This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE
5317376258

Digitized by Google

UNIVERSIDAD DE MADRID
SALA DE LECTURA "MENÉNDEZ PELAYO"

Digitized by Google

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE
5317376258

Digitized by Google

6-62

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE
5317376258

Digitized by Google

Digitized by Google

6-6a

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES

JURIS CANONICI

IN

VARIOS TRACTATUS DIVISÆ.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DE LA FACULTAD DE DERECHO
Vol. 1804 Obra 765
Estante 35 Tabla 2
Clasificación 348.324

Digitized by Google

D 52029

Digitized by Google

TRACTATUS

DE

CAPITULIS

AUCTORE

D. BOUIX

THEOLOGIÆ AC JURIS UTRIUSQUE DOCTORE.

EDITIO SECUNDA

AB IPSOMET AUCTORE RECOGNITA

APUD PERISSE FRATRES, CATHOLICOS BIBLIOPOLAS.

PARISIIS
IN NOVA DOMO
REGIS RUFFET ET Cie, SUCrs
VIA DICTA SI SULPICII, 38

LUGDUNI
IN VETERI DOMO
VIA DICTA MERCATORIA, 49
ET VIA CENTRALI, 34

1862

Digitized by Google

FACULTAS IMPRIMENDI

PRIORI EDITIONI PRÆFIXA

8 martii 1852. — IMPRIMATUR. — FR. DOMINICUS BUTTAONI, Ordinis Prædicatorum, sacri Palatii Magister.

8 martii 1852. — IMPRIMATUR. — F. R. LIGI-BUSSI, Archiepiscopus Iconiensis, vicesgerens.

FACULTAS IMPRIMENDI

ADDITIONES AC MUTATIONES QUÆ SECUNDÆ HUIC EDITIONI ACCESSERUNT.

M. l'abbé D. Bouix voulant faire réimprimer dans notre diocèse son traité *de Capitulis*, dont la première édition porte l'*Imprimatur* de la censure romaine, et nous ayant demandé notre autorisation pour les passages ajoutés et modifiés dans la seconde édition, nous avons fait examiner ces changements; et sur le rapport qui nous a été présenté, nous accordons l'autorisation demandée.

Donné en notre Palais épiscopal, le 24 Janvier 1862.

† PIERRE, Évêque de Versailles.

CORBEIL. — Typ. et stér. de CRÉTÉ.

Digitized by Google

FACULTAD DE SECRETARIA DE DERECHO

TRACTATUS
DE CAPITULIS

PROŒMIUM

De veneranda Capitulorum institutione jus canonicum expositurus, præmonitum lectorem volui, quo ordine tota tractatio distribuenda visa sit. Quinque scilicet partibus universa materia comprehensa est : 1° *Quid sit Capitulum;* ubi expenditur institutionis hujus historia, essentia et interna ordinatio. 2° *A quo sit*, sive de potestate ad quam pertineat capitula, dignitates et canonicatus erigere, aut eosdem canonicatus et dignitates conferre. 3° *Ad quid teneatur*, seu de Canonicorum obligationibus. 4° *Quid possit*, seu de Capitulorum prærogativis. Et 5° tandem *quid evadat sede vacante.*

PARS PRIMA

QUID SIT CAPITULUM

In quatuor sectiones propositum argumentum dividitur : 1° Quid sit Capitulum quoad sua constitutiva fundamentalia, seu de ipsius essentia. 2° Quid sit quoad varias personas quibus coalescit vel quæ ipsi aptantur. 3° Quid sit quoad bona temporalia quibus sustentatur. 4° Quid sit quoad legem ipsius coadunationes regulantem.

Digitized by Google

SECTIO I

QUID SIT QUOAD SUA CONSTITUTIVA FUNDAMENTALIA, SEU DE IPSIUS ESSENTIA

CAPUT I

DE CAPITULORUM INSTITUTIONE NOTIO HISTORICA

« Eminent in antiquitate splendidis conspicui attributionibus « Canonici. » (Nardi, *Dei Párochi*, tom. II, pag. 209.) Quas prærogativas in hac dissertatione commemoraturus, statim ab exordio præmonitos lectores volo, ne quid sinistri adversus recentem Ecclesiæ disciplinam in mente revolvant, quum viderint Capitulorum priscam in aliquibus coarctatam præpotentiam atque imminuta jura. Recordari enim debent, hæc, quantacumque olim fuerint, non ex ulla institutione divina, sed ex disciplinari et variabili Ecclesiæ ordinatione Capitulis inhæsisse. Quod cum in confesso sit etiam apud eos qui summo studio Capitulorum jura tueri conantur, non est cur eorum zelus reformidetur. At illi reformidandi novatores ac prorsus repellendi, qui, recentibus etiam temporibus, parochorum institutionem divinam jactitarunt; qui dum unico diœcesis pastori, nempe Episcopo, prætensos illos alios pastores, ex quodam ipsis proprio et divino jure, fere exæquant, totius ecclesiasticæ hierarchiæ subversionem et ruinam moliuntur (1). Nec mirum istiusmodi venenatos scriptores quanto ardentius parochis favent, eo acrius in Capitula injuriis atque mendaciis debacchari. Genuina enim de Canonicorum institutione reserata historia, jam totum ruit, ut videbimus, atque in fumum evanescit jansenisticum presbyterianismi systema.

§ 1

QUID FUERIT ANTIQUUM PRESBYTERIUM

« Petrus (cujus successores auctoritate minòres non sunt) et « Episcopi Ecclesiam regunt; atque universi orbis in diœceses

(1) Confutatam illam presbyterianismi doctrinam vide in meo Tractatu *De Parocho*.

Digitized by Google

« sive ecclesias facta divisio est. *Episcopi per terræ terminos* « *definiti ex Jesu Christi sunt sententia*, aiebat magnus ille « Apostolorum discipulus sanctus Ignatius martyr (epistola ad « Magnes.). Quisque porro Episcopus, etiam dum adhuc vive- « rent Apostoli, sibi clerum adjunxit, quem in sacro munere « adjutorem haberet. » Id postquam variis monumentis probavit Nardi, cujus verba hic in latinum translata referimus, sic prosequitur : « Clerus ille tribus prioribus sæculis fere ubique « constabat duodecim sacerdotibus (collegii apostolici formam « exhibentibus, ipso vero Episcopo Christi Domini personam « referente), et septem diaconis, ad instar eorum qui in Actibus « Apostolorum commemorantur. Addebantur pro varia loco- « rum necessitate ministri inferiores, qui et minores clerici vo- « cabantur, e quibus assumerentur presbyteri et diaconi. Illi ergo « duodecim presbyteri et septem diaconi *senatum* Ecclesiæ et « *consilium* Episcopi soli constituebant. Præter istos, non extabant « primis omnino Ecclesiæ exordiis alii presbyteri aut diaconi. « Adhærebant semper Episcopo, a quo et omnino pendebant. « Ingens ipsamet Alexandrina civitas nonnisi duodecim pres- « byteros et septem diaconos majores habebat. Ex isto numero « eligebatur Patriarcha; qua facta electione novus ordinabatur « presbyter aut diaconus. Canon 62 Nicæno-Arabicus vult, *ut* « *non sint pauci presbyteri in Ecclesia, ne deficiat oratio et* « *ministerium Ecclesiæ ;* at non vult esse nimis multos, *ne* « *sumptus Ecclesiæ augeatur*. Erant autem duodecim cum sep- « tem diaconis, ut perpetuo memorant antiqui canones.

« Excipienda tantum Sedes Apostolica, quæ, ita exigente « multiplicitate negotiorum, et ad majorem, qui talem Ecclesiam « decebat, splendorem, duplum habebat presbyterorum cardina- « lium numerum, id est viginti quatuor cum archipresbytero.

« Si quando necesse foret impendi sacrum ministerium extra « civitatem episcopalem, mittebatur unus e presbyteris vel « diaconis, qui, expleto ministerio, vel habita ad convertendos « gentiles ruri degentes concione, redibat ad Episcopum ; atque « is modo unum, modo alterum ad hujusmodi ministerium pro « arbitrio deputabat. Nullus autem ruri degebat; sed fideles ruri « commorantes, qui pauci tunc temporis erant, ad cœtum epis- « copalem in civitatem conveniebant. Atque ita est frequenta-

Digitized by Google

« tum ad IV usque sæculum. Tunc solummodo cœperunt ab « Episcopo ruri constitui aliqui clerici, ubi ingens numero re- « sidebat fidelium populus. Hinc ortæ plebaniæ, sive parochiæ « rurales. In civitatibus autem nulla per *mille annos* extitit pa- « rochia. Presbyteri autem et diaconi illi qui ruri sæculo IV con- « stituti sunt, valde differebant a presbyteris et diaconis senatus « episcopalis. Licet enim veri sacerdotes essent et diaconi, cen- « sebantur tamen inferioris gradus; tum quia alii, ut vidimus, « institutionis erant apostolicæ, tum quia consilium Episcopi « conflabant, tum quia una cum Episcopo diœcesim, clerum sci- « licet et populum, regebant, tum denique quia, absente, im- « pedito aut mortuo Episcopo, jurisdictionem ordinariam exer- « cebant. Inferioritatem illam presbyterorum et diaconorum « qui non erant de gremio senatus episcopalis (aut, ut nos di- « cimus de Capitulo), a primo Ecclesiæ sæculo usque ad hodierna « tempora sine ulla omnino interruptione permanasse, proba- « bimus tanto monumentorum splendore, qui oculos *Parochia- « listis* (1) eruat. »

« Ille porro uniuscujusque ecclesiæ senatus statim ab ipso « Apostolorum tempore constitutus, nullo unquam temporis « intervallo interruptus usque nunc perseveravit; profecto « usque ad finem mundi duraturus, ad confusionem eorum qui « indefesso molimine illum de medio tollere tentant. Apostoli- « citatis enim sigillo, Ecclesiæ Christi sponsæ nunquam non « acceptissimo, insignitur.

« Quod prioribus olim temporibus principalis ille post Epis- « copum clericorum cœtus varia induerit nomina *coronæ*, « *senatus*, *presbyterii*..., postea vero *collegium*, *capitulum*, « *canonici*... dictus sit, id nihili refert : sub vocabulorum di- « versitate res semper eadem permansit, nec potest erroneis « novatorum aut minus eruditorum interpretationibus im- « mutari.

« Antiquiori tamen et frequentiori usu viguit olim ad desi- « gnandum senatum ecclesiasticum, sive Capitulum, id est, « duodecim prædictos presbyteros et septem diaconos cathe- « drales, *presbyterii* denominatio. Quæri posset cur hujusmodi

(1) Hoc nomine *Parochialistarum* vocat Nardi novatores, qui jura parochorum ultra modum extollunt.

Digitized by Google

« collegium, cum non presbyteris tantum sed et diaconis con-
« staret, presbyterii potius quam *diaconii* vel *presbyterodiaconii*
« nomen sortitum sit. De quo triplex afferri potest ratio : 1° Quia
« pars dignitate major inferiorem includebat, unde et æquum
« erat *presbyterium* a potiori collegii parte vocitari. 2° Quia
« solet a majori numero nomen usurpari : duodecim porro
« extabant presbyteri, et septem tantum diaconi. 3° Quia vox
« *presbyterium* initio inducta non est ad significandum sacer-
« dotii ordinem, sed, prout græce sonat, *seniorum coaduna-*
« *tionem*, sub quo sensu non minus diaconos quam presbyteros
« ipsos comprehendebat. » (Nardi, *Dei Párochi*, tom. II, pag. 216 et seq.)

§ 2

QUOD POSTEA VOCATUM FUIT CAPITULUM, EAMDEM INSTITUTIONEM ESSE VIDETUR AC ANTIQUUM PRESBYTERIUM, AC PROINDE APOSTOLICAM DICI POSSE

Probatur 1°. Ex regula sancti Augustini : *quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur*. Percurrendo totam sæculorum seriem ab apostolicis temporibus usque nunc, semper et ubique reperitur in unaquaque cathedrali Capitulum, id est, collegium presbyterorum et diaconorum auxiliantium Episcopo in ecclesiæ regimine, et, mortuo vel absente Episcopo, diœcesim episcopali et ordinaria jurisdictione regentium. Aliunde nunquam assignari potuit nec tempus, nec locus, nec concilium, nec pontificia constitutio, quibus hujusmodi collegia instituta fuerint; sed quaquaversum pervolvantur monumenta ecclesiastica, ubique jam constituta et vigentia occurrunt : ergo apostolicis institutionibus adscribenda sunt.

Probatur 2°. Argumentis positivis. Extitisse olim ab Ecclesiæ exordiis collegium cathedrale clericorum, auxilians Episcopo in ecclesiæ regimine, et diœcesim mortuo Episcopo gubernans, consensu unanimi tradunt et tanquam omnino certum et exploratum agnoscunt omnium temporum canonistæ, theologi et eruditi quique scriptores, nec in dubium ullus unquam revocavit. Extare hodiernis temporibus in qualibet cathedrali cleri-

Digitized by Google

corum collegium, quod pariter de jure communi sit consilium Episcopi, et mortuo Episcopo jurisdictionem ordinariam in regenda diœcesi explicet, videre suis oculis quisque potest. Aliunde percurrendo juxta sæculorum seriem monumenta ecclesiastica, nullum reperitur vacuum, nulla interruptio; sed pro qualibet ætate extant documenta, hujusmodi institutionem vigentem supponentia et positive testantia. Posset quidem hic describi illa monumentorum series; sed cum adeo facile ab unoquoque explorari possit et a nullo negetur, ne in immensum tractatus præsens excrescat, omittendam duximus. Si ergo Capitulum hodiernum sine ulla intermissione veteri presbyterio successit, non diversa institutio est, sed prorsus identica. Prior autem certo apostolica, ergo posterior. Mutata scilicet nomina; res eadem substantialiter permansit.

Si probationem ex doctorum consensu modo solito afferre vellemus, omnes fere transcribendi essent qui de hac re scripserunt canonistæ et eruditi.

At non dubitamus quin lector unius aut alterius ex præcipuis testimonio lubens acquiescat. Sic Thomassinus de antiquo presbyterio :

« Quanquam nulla esset communis vitæ societas inter cle-
« ricos cathedralium ecclesiarum per quinque priora sæcula,
« nec inter se nec cum Episcopo, coalescebant illi tamen in
« unum quoddam veluti corpus cum eo, et in partem sollici-
« tudinis atque imperii sacri quamdam societatem veniebant...
« Ergo presbyteri diaconique civitatum episcopalium, qui clerus
« erat superior diœceseos, et quem jam hinc donabimus Capi-
« tuli nomine, quanquam illud eis posterius tantum accesserit,
« clerus hic, inquam, in unum corpus, in unum senatum
« consiliumque cum Episcopo coibat; cumque eo principe et
« capite suo, clericis populisque diœceseos omnibus moraba-
« tur. » (Vetus et nova Disc., part. I, lib. III, c. VII, n. 2.) Deveniens postea ad Capitula, qualia, verbi gratia, extabant sub Carolo Magno, probat ex professo institutionis identitatem : « Implebant
« ergo certissime Capitula eumdem locum idemque præstabant
« ministerium, quod et antiquissimus ille singularum eccle-
« siarum clerus, quo inconsulto nihil gerebatur. » (Part. I, lib. III, c. IX, n. 13.)

Digitized by Google

Illam Capitulorum hodiernorum cum antiquo *presbyterio* seu *senatu* Ecclesiæ primitivæ identitatem confirmasse videtur Tridentina synodus, dum eodem *senatus* Ecclesiæ nomine Canonicos appellavit.

Illam apostolicam Canonicorum institutionem declaravit Concilium Aquisgranense anni 816, dum eam pronuntiavit *Evangelica et apostolica auctoritate fultam et cæteris superemineutem institutionibus*. (Apud Nardi, tom. II, pag. 230.)

Inde vero jam patet ingens discrimen Canonicos inter et Parochos. Somniarunt quidem Jansenistæ divinam parochorum institutionem et eorum duobus et septuaginta discipulis Christi successionem. At mendacia hæc sunt. Parochi siquidem ante sæculum IV extiterunt nulli, et in civitatibus ante XI sæculum introductos non fuisse demonstrat inter alios Nardi in suo eruditissimo tractatu *Dei Párochi*. Unde libere ab initio ab Episcopis deputati sunt, idque ut meri ipsius præsulis vicarii, et ad ejus arbitrium revocabiles. Quod postea ipsis accessit juris, ex consuetudinibus, et non antiquis Ecclesiæ decretis, promanavit. Unus enim tantum est jure divino in qualibet ecclesia parochus seu pastor, isque Episcopus. At vero Capitulum ab initio in partem sollicitudinis Episcopo adjunctum. Et hinc perpetua omni tempore Ecclesiæ cura, ut canonicis supra parochos et cæteros quoscumque de clero debitus honor et præcellentia servaretur.

Ex dictis satis confutatus remanet Barbosa, *laboriosissimus quidem jurisconsultor*, *sed inter eruditos sane non numerandus* (1), qui originem Canonicorum ex nescio quibus psalmistis et cantoribus antiquis expiscatur, absque ulla cæteroquin probatione. Probationem tamen assertioni Barbosæ quæsivit obscurus quidam auctor de quo meminit Nardi (tom. II, pag. 227). Legit nempe in Laodiceno canone 15 : *Non oportet præter canonicos cantores*, *aliquos alios canere in Ecclesia ;* et vocem adjectivam *canonicos*, quæ ibi idem sonat ac *legitime constitutos*, putavit designare cathedrales Canonicos. Cujus crassæ ignorantiæ lapsus luce meridiana clarius patet ex antiquis versionibus quæ sic habent : *Non licere præter canonicos psaltes*, *id est*, *qui regulariter cantores existunt*, etc. In alia versione

(1) Ita eum vocant Marius Lupus et Nardi (*Dei Párochi*, t. II, p. 227).

Digitized by Google

legitur : *Quod non oporteat amplius præter eos qui regulariter cantores existunt.*

Notandum tamen est circa identitatem illam Capitulorum cum antiquis presbyteriis seu cathedralibus collegiis, non omnino concordes reperiri eruditos omnes. Muratori, verbi gratia, a superius exposita doctrina tantisper dissonat. Primitivum quidem presbyterium non aliter describit ac citati jam auctores : « Qui « in ecclesiastica eruditione versati sunt, ait, satis norunt vel an- « tiquis post Christum sæculis unamquamque ecclesiam (matri- « cem intelligo, sive cathedralem et parochiales) ad suum mi- « nisterium varios delegisse presbyteros, diaconos et clericos, « qui ejusdem gremio inserti atque albo inscripti, perpetuo fa- « mulatu illic Deo ac populo inserviebant. Paucis erant contentæ « parochiales ecclesiæ, multis ecclesia cathedralis ; atque ita « conformatus clerus istius ut collegium constitueret, ac formam « quamdam senatus, cujus caput Episcopus fuit. Adstabant au- « tem præcipui sacerdotes et diaconi Episcopo ad sacra minis- « tranda et ad varias ecclesiastici regiminis opportunitates. « Aderant et episcopalibus conciliis ; majorisque momenti nego- « tia non sine illorum consilio expediebantur. » Ast non omnino concordat cum Thomassino et Nardi in affirmanda identitate hujus antiqui cathedralis collegii cum institutione Canonicorum proprie dicta : sic enim subjungit : « Attamen in sacra ejusmodi « republica nondum quidem perspicis nisi levia lineamenta *Ca-* « *nonicorum*, de quibus nunc mihi futurus est sermo. Eorum « originem plerique statuunt post annum a Christo nato 700... « Mihi tamen videtur altius repetenda illorum origo ; scilicet sæ- « culo Christi IV mihi pæne certum est Eusebium Vercellensem « Episcopum... sacri hujus instituti fundamenta jecisse. » Cæteroquin sustinet idem Muratori clericos sub forma et regula sancti Eusebii Vercellensis Episcopi viventes, nullatenus monachos proprie dictos fuisse, in quo Thomassinum deserit ; et idem putat dicendum de simili sancti Augustini institutione, et de subsecuta sæculo VIII a Chrodogando Metensi Episcopo data clero regula. « Sæculares adhuc, non monachi : monachorum tamen « vitam ac disciplinam non modica ex parte æmulantes. » (Antiquitates Italicæ, tom. V, dissert. 62.)

Digitized by Google

§ 3

FALSUM EST CAPITULA DERIVASSE AB INSTITUTIONE MONASTICA, SEU CANONICOS AB EXORDIO FUISSE MONACHOS

Sic habetur in concilio Cachuthensi, anni 787, canone 4 : *Episcopi diligenti cura provideant, quo omnes Canonici sui canonice vivant, et monachi seu monachæ regulariter conversentur tam in cibis quam in vestibus; ut discretio sit inter Canonicum et monachum vel sæcularem.* Ibi certe jam clare satis exprimitur discrimen Canonicos inter et monachos.

At vero in celebri Concilio Aquisgranensi, anni 816, res ita patet ut nullus relinquatur effugii exitus : *Quia evidenti auctoritate liquet canonicam institutionem cæteris præstare institutionibus, debeant necesse est qui hujus professionis censentur nomine, procurare qualiter in semetipsis eamdem institutionem vita et moribus exornent... Quia qui tantæ auctoritatis institutione pollent, et se aliis imitabiles præbere debent... Quamquam enim Canonicis, quia in sacris canonibus illis prohibitum non legitur, liceat linum induere, carnibus vesci, dare et accipere, proprias res et Ecclesiæ cum humilitate et justitia habere (quod monachis qui secundum regularem institutionem arctiorem ducunt vitam penitus inhibitum est), non tamen in cavendis vitiis et amplectendis virtutibus eorum a monachorum distare debet vita. Monachi namque, qui, evangelicum præceptum sequentes, renuntiatis patrimoniis, sua Christo dedere, merito de facultatibus Ecclesiæ subsidium accipiunt temporale... Et quia nihil sibi proprium reliquerunt, manifestum est illos copiosioribus Ecclesiæ sumptibus quam Canonicos, qui suis et Ecclesiæ licite utuntur rebus, indigere. Unusquisque enim, ut ait Apostolus, proprium donum habet a Deo.* (Can. 115.)

Solet in plerisque Canonicorum congregationibus irrationabiliter fieri ut nonnulli clerici qui et divitiis affluunt, majorem cæteris annonam accipiant... Quapropter communi consensu statuere placuit ut accipiant singuli Canonici per singulos dies quatuor libras vini... (Can. 121 et 122.)

Reprehensibilem apud plerosque Canonicos inolevisse comperimus usum, eo quod cucullas, quibus solis monachis uten-

Digitized by Google

dum est, induant : cum utique illorum habitum penitus usurpare non debeant, a quorum proposito quodammodo distant... Sicut enim turpe est virum vestem muliebrem, et mulierem vestem virilem induere; ita valde indecorum est Canonicum vestem monasticam induere, nisi tamen cum veste etiam propositum voluerit assumere. (Can. 125.) *Quamvis Canonicis proprias licitum sit habere mansiones, debet tamen a prælato mansio infirmorum et senum intra claustra Canonicorum fieri; ut qui suam forte non habent...* (Can. 142.)

Notandum vero est acta hujus Concilii, ut in eorum exordio declaratur, non ad mutandam disciplinam, sed ad rememorandos canones et Patrum sententias, habita et concinnata fuisse.

Porro ex prædictis textibus sic argumentari licet : tempore citatorum conciliorum, octavo nempe et nono sæculo, Capitula habebantur tanquam institutio ab institutione monachorum omnino diversa. Tanquam certum tenebant Patres Aquisgranenses, a nullo unquam canone prohibitum fuisse Canonicis possidere bona temporalia, et de iis pro arbitrio disponere ; nihil alienum ab officio Canonicis proprio reperiunt in eo quod Canonici sint divites, et qui proprias domos possident in iis habitent, et non in claustro canonicali. Atque ista affirmant et sentiunt, non tanquam factum sui temporis, sed tanquam ad institutionem ipsam Canonicorum pertinentia et ex canonum priscorum exploratione. Imo Canonicos aliquid usurpare in habitu quod monachis erat proprium, vituperandum existimant. Ergo ante nonum sæculum Canonici a monachis semper diversi fuerant, licet et ipsi sub quadam lege et norma degentes. Ergo falsum est Canonicos, ex primæva sua institutione fuisse monachos, qui postea degeneres ad vitam sæcularem migraverint.

Nec dicatur Canonicos aliquando saltem fuisse monachos seu regulares, cum illud exprimat et testetur ipsummet eorum nomen.

Nam *primo* ostendetur infra, Canonicos multo probabilius dictos esse non a *canone, regula*, sed a *canone* quatenus olim exprimebat *catalogum*, quo registrati seu descripti erant omnes clerici alicui ecclesiæ addicti. Dicebantur scilicet *de canone* hujus ecclesiæ, seu hujus ecclesiæ Canonici. *Secundo*, etiamsi ita dicti fuissent ob aliquam regulam ab iis servatam, non seque-

Digitized by Google

retur eam regulam fuisse monachalem, et ipsos confundendos esse cum iis quos hodie vocamus regulares, et qui tribus votis solitis vitam religiosam profitentur. Regulam illam priscam Canonicorum observabant ipsimet Episcopi, nec ideo eos monachos fuisse quisquam somniabit. *Tertio*, tota illa argumentatio ex etymologia nominis omnino subvertitur per istud ratiocinium: Ante Concilium Aquisgranense Canonici nunquam fuerant monachi, ut constat ex actis hujus synodi ; atqui tamen jam a longo tempore vocabantur Canonici ; ergo non vocati sunt Canonici ex eo quod fuerint monachi. Quod autem jam ante nonum sæculum usurpata fuerit *Canonicorum* appellatio eodem prorsus sensu quem illi hodie annectimus, videre est apud S. Gregorium Turonensem, qui scripsit sæculo sexto, et qui (Hist. lib. 10) meminit *mensæ Canonicorum* ecclesiæ Turonensis et ecclesiæ Bituricensis ; et in canone 2 tertii Concilii Aurelianensis, anni 538 ; et in quodam diplomate Chilperici regis, anni 580, in quo etiam agitur de *mensa Canonicorum* (Miræus, Diplom. Belg., tom. II, pag. 1310); in concilio Romano, anni 607 ; et in aliquibus monumentis annorum 615 et 625 relatis a Mabillonio (Vitæ Episcoporum Cenoman.); et in statutis ecclesiæ Remensis quæ ad septimum sæculum referuntur. In subsequentis autem ævi monumentis adeo abundant exempla, ut illa memorare supervacaneum sit.

Muratori (dissertatione 62) ostendit quam absonum sit confundere Canonicos sæculares antiquorum temporum, licet vitam communem agentes, cum Canonicis regularibus recentioris ævi et cum monachis. Existimat monachos non fuisse illos qui quarto sæculo vitam communem ducebant cum sancto Eusebio Vercellensi Episcopo, nec eos quos sanctus Augustinus ad simile institutum adduxerat ; sed congregationes illas nihil aliud fuisse quam ipsosmet presbyteros et diaconos cathedrales, id est, Canonicos cum clericis minoribus. Addit Muratori illorum *Canonicam*, id est, domum, aliquando monasterium fuisse vocatam, non quod a monachis incoleretur; sed quod monasterii speciem quamdam referret. Quod satis aperte indicat Paulus Diaconus in Vitis Episcoporum Metensium, ubi loquens de Chrodogando sic habet : *Clerum adunavit, et ad instar cœnobii intra claustrorum septa conversari fecit.* Dum dicit *ad instar,* indicat simile aliquid

Digitized by Google

vitæ monasticæ inductum fuisse, non ipsam monasticam institutionem. Legi etiam de hac re potest Vita sancti Augustini a Possidio, capite XXV.

§ 4

QUID FUERINT OLIM PRESBYTERIA SEU CAPITULA QUOAD EXERCITIUM PAROCHIALITATIS

I. *Præmittitur notio de variis nominibus quibus cathedralis Ecclesia antiquitus designari solebat.* — Statim ac in monumentis antiquitatis janseniani et presbyteristæ occurrunt in hæc verba, *presbyter plebis*, *presbyter matricis ecclesiæ*, contendunt ibi agi de parocho, et parochos quales nunc extant in tali et tali remoto sæculo se reperisse exclamant. Eruditi autem viri jampridem pro explorato habent, illis vocibus presbyterum cathedralis, unum scilicet de presbyterio, designari. Non igitur abs re erit novatorum illam fraudem vel ignorantiam retundere. Nos quidem hodie *plebanam* sive *matricem* dicimus parochiam illam ruralem quæ baptisterium habet, et illud sabbato sancto renovat assistentibus circumjacentium ecclesiarum parochis. Sed quemadmodum *parochiæ* vocabulum in antiquitate non aliud significat quam *diœcesim*, ita voces *plebs* et *matrix* nil aliud remotis sæculis quam *cathedralem* designabant. *Plebs* insuper significat totum civitatis et diœcesis populum, quatenus sub uno pastore Episcopo gregem unum constituentem. *Ursacius et Valens Romanæ plebis Episcopum adeunt*, inquit sanctus Hilarius. (Fragm. 2, Collectio concil., tom. III, col. 668.) In concilio Carthaginensi anni 318, can. 5, prohibetur ne Episcopus in ecclesia sua recipiat clericum *de plebe aliena* absque consensu et litteris *cjus Episcopi de cujus plebe est*. Item in concilio Carthaginensi anni 347, can. 40, legitur : *In eadem plebe, cui ordinandus est Episcopus*. In celebri collatione Carthaginensi catholicos inter et Donatistas, subscriptio Episcoporum est hoc modo : *N. Episcopus plebis N.* ; quod et in multis aliis monumentis reperitur. Apud Prudentium (hymno de sancto Quirino) legitur : *Sanctæ plebis Episcopus*. Extat epistola sancti Eusebii Vercellensis Episcopi sic inscripta : *Plebibus Vercellensibus, Novariensibus, Hipporegiensibus et Dertonensibus* (Biblioth.

Digitized by Google

Patrum, tom. XV, pag. 627); ubi *plebibus* idem sonat ac diœcesibus. *Plebium cathedræ* dicuntur cathedrales in Vita S. Fulgentii, ab auctore synchrono conscripta; in concilio Hipponensi quarti sæculi; in Pontificali Damasiano; in carminibus S. Damasii Papæ, et passim apud Patres, verbi gratia, capite I et VI, epistolæ 12, sancti Leonis Magni. *Plebs dicta etiam cathedralis*, inquit Ducange, quod probat citando cartam quamdam Caroli Calvi. Reperitur et vocabulum *archiepiscopi plebani* (Concil. tom. XXII, col. 298). Plura monumenta vide apud Nardi (*Dei Párochi*, tom. II, pag. 219). At ex allatis satis constat *plebem* antiquitus dici solitam fuisse cathedralem ecclesiam et totam Episcopi diœcesim. Imo quando sola occurrit illa vox in monumentis veteribus, de *plebe Episcopi* intelligenda est, non alterius sacerdotis.

Frequentius *matricis* et *matris ecclesiæ* appellatione vocari solebat cathedralis; ex quo etiam intelligitur quare cathedrales presbyteri et diaconi dicerentur *matricularii*. In actibus authenticis sancti Gaudentii martyris et Riminensis Episcopi, de illo sancto præsule ad civitatem suam reduce dicitur : « Dolosum « Arianorum typum, in laqueum et deceptionem simplicium « adinventum, presbyterio exposuit, et coram universa ecclesia « damnavit. Martianum quoque presbyterum *matricularium* « *suum*, Arianis pertinaciter adhærentem, catholica commu- « nione privavit. » Per *matricem* intelligi olim solitam cathedralem, ingenti monumentorum mole probat Nardi (loco citato, pag. 220). Unica ergo erat in tota diœcesi ecclesia proprie dicta. Unica eadem erat parochia, antequam sæculo IV *plebaniæ* ruri constituerentur; in civitatibus autem unica hæc per mille annos parochia permansit, quamvis fere ubique adessent simul Oratoria et Collegiatæ. « Toutes les paroisses du diocèse sont « les filles de la cathédrale, parce qu'il n'y en a point une « seule qui n'en soit sortie, du moins médiatement. Ceci est « aisé à comprendre. Avant qu'il y eût des paroisses à la cam- « pagne, la cathédrale était *la seule cure* du diocèse. Les « autorités que M. Huillier rapporte sont sans réplique. » (Mémoires du clergé de France, tom. VI, pag. 1171.)

II. Ante IV sæculum nullus in mundo extitit parochus quales hodie extant; sed Episcopus ex iis quæ hodie per parochos

Digitized by Google

fiunt, alia ipse explebat, prædicando nempe, et sacramenta administrando, alia per Collegium seu Capitulum cathedrale; idque tum in civitate Episcopali, tum extra.

III. Quarto sæculo constituti sunt ruri in præcipuis locis plebani seu rurales parochi, iique non tantum Episcopo sed et Capitulo cathedrali remanebant subjecti.

IV. Per mille annos nullus ullibi extitit parochus in civitatibus cathedralibus. In iis ergo totum munus quod hodie parochiale dicitur, per Episcopum et Capitulum cathedrale exercebatur; et unica erat parochia, nempe cathedralis; cateræ ecclesiæ, collegiatæ erant vel tantum oratoria.

Tria ultima puncta hic affirmamus tantum, non adductis probationibus; quia materiam illam ex professo discutimus in tractatu *De parocho*. Videri etiam potest Nardi (*Dei Párochi*), qui doctrinam illam (nullos scilicet fuisse ullibi parochos ante sæculum IV, et nullos in civitatibus ante sæculum XI, atque adeo ad collegium cathedrale simul cum Episcopo pertinuisse id omne quod hodie parochialitatis est), tanta documentorum mole corroborat, ut apud eruditos extra controversiam jam ivisse existimandum sit. Unde dum unicus in tota diœcesi fuit parochus, Episcopus scilicet ante sæculum IV, et unicus idem in civitate per mille annos, in exercitio parochialitatis sicut in cæteris ei auxiliabatur cathedrale collegium.

Ne autem aut novam aut minus receptam illam doctrinam esse aliquis suspicetur, aliquod ex recentioribus documentum subjungemus.

In Sacra Congregatione concilii die 27 maii 1820 sic disserebat secretarius ejusdem Congregationis (in *Thesauro resolutionum*, tom. LXXX, pag. 159): « Et certe animadvertendum « est, per tria fere priora sæcula nullam in ecclesiasticis monu- « mentis parochorum mentionem occurrere. Una enim in « principe diœceseos civitate erat ecclesia, ad quam Christiani « omnes non modo urbis illius, sed etiam vicinorum pagorum « confluebant; præsentibusque Eucharistia dispensabatur, ab- « sentibus per diaconos mittebatur, qui in præfato Episcopi « senatu sua munera gerebant. Aucto deinceps fidelium nu- « mero, aliisque in civitatibus ædificatis ecclesiis, certi presby- « teri ad eas diebus festis mittebantur; qui tamen perpetui non

Digitized by Google

« erant earum ecclesiarum rectores. Serius autem constitutæ « sunt parœciæ; primo quidem in vicis et pagis, dein in civi- « tatibus, si majores quædam Romani imperii excipiantur « urbes. » Auctoritates autem ibi citatæ, sunt Petavius, Thomassinus, Muratorius, Marius Lupus, etc.

§ 5

QUÆ FUERINT OLIM PRÆCIPUA CAPITULI SIVE COLLEGII CATHEDRALIS JURA ET PRÆROGATIVÆ

I. Generatim dicendum est hujusmodi collegia in quadam fuisse auctoritatis et dignitatis Episcopi participatione et societate, quod apud eruditos quoscumque prorsus compertum est. « Quis ambiget, ait Thomassinus (part. III, lib. II, c. cxv, n. ul- « timo), quin hujusmodi presbyterorum et diaconorum colle- « gium in eamdem copularetur gloriæ et auctoritatis societatem « cum Apostolicæ Sedis præsule; non aliter atque ecclesiæ cu- « juscumque seu cathedralis seu metropolitanæ clerus, pro suo « quisque modo cum Pontifice suo? »

II. *Tituli seu nomina quibus olim capitula fuerunt condecorata.* — Quando in veteribus monumentis agitur de eo quod Episcopus facere debet cum præsentia et consilio *clericorum suorum*, monent eruditi per illos clericos intelligendum cathedrale collegium duodecim presbyterorum et septem diaconorum, minime vero reliquos de clero; ita ut illa vox *sui* ex usu designaverit solos cathedrales. Designantur etiam sæpe per ista verba *clerici qui circa ipsum sunt.* Sanctus Basilius memorat *senatum presbyterii per singulas civitates* (epist. 319). Sanctus vero Hieronymus, loquens de modo quo Episcopus agere debeat erga clerum, memorat verbum oratoris Domitii ad imperatorem : *Cur ego te habeam ut principem, cum tu me non habeas ut senatorem?* (Epist. ad Nepotianum.) Quod autem allusionem faciat ad antiquum presbyterium quod nunc vocamus Capitulum, innuunt hæc alia ipsius verba : « Ecclesia « habet senatum cœtum presbyterorum... Senatum quoque « Romani habebant, quorum consilio cuncta agebant; et nos « habemus senatum nostrum cœtum presbyterorum. » (S. Hie-

Digitized by Google

ron. in Bibliotheca Patrum, tom. IV, col. 1201.) Honorifica autem Capitulis antiquitus attributa nomina fuse recenset Nardi, a quo hæc pauca excerpimus :

« Jam *consiliarios Episcopi* et *Ecclesiæ coronam* vocant « *Constitutiones apostolicæ* (1) (lib. II, c. XXVIII) presbyteros et « diaconos episcopalis presbyterii. *Consilium et senatus Eccle-* « *siæ* iidem dicuntur in trigesimo septimo Canonum Apostolo- « rum. Eos *coronam* vocat sanctus Ignatius martyr in epistola « ad Magnesianos (c. XIII), *consessum Episcopi* in epistola ad « Philadelphienses (n. 8), *collegium* in epistola ad Smyrnenses, et « *consilium* in epistola ad Trallianos; in qua ultima commendat « reverentiam *presbyterio* debitam non solum ob characterem, « sed insuper quia est *consilium Dei*. Sæpius tamen eos nomine « presbyterii memorat. Istos autem titulos reperimus ad poste- « riora sæcula transisse. *Collegii* denominatio reperitur usurpata « in conciliis, in jure canonico, in litteris Pontificum. Una, verbi « gratia, ex istis litteris, anni 1072, memorat *reverendum colle-* « *gium matris ecclesiæ Cabilonensis* (*Gallia christiana*, Appen- « dix, n. 11); idem dicendum de aliis titulis, præcipue vero de « nomine *consilii et senatus*. *Consiliarios* passim Tridentina « synodus Canonicos vocat, et *senatum Ecclesiæ*, in sessione 24, « c. 12. Senatum pariter eos dixerat S. Gregorius Nazianzenus, « dum scilicet (in carmine iambico 23) querelam contra eos sic « expressit : *Secundos qui tenent templi sacri thronos*, *senatus* « *ille splendidus plebique præsidens, in me fuerunt haud boni :* « *quis credidisset hoc?* Anno 900, eamdem vocem reperimus in « Vita sancti Brunonis, Coloniensis ecclesiæ capitulo applica- « tam : *Episcopi autem qui frequentes aderant, et hujus sancti* « *clerus senatus super cathedralem pontificalem sedere fece-* « *runt*. Et anno 1085, Ambianensis Episcopus adhuc eodem « vocabulo capitulum cathedrale designat : *Totius senatus nostri* « *assensu*. » (Conc., tom. XX, col. 611.) Ita Nardi. (*Dei Párochi*, tom. II, pag. 382 et seq.)

(1) Quamvis constet nunc librum Constitutionum quæ dicuntur *apostolicæ* non fuisse ab ipsis Apostolis nec a sancto Clemente conscriptum, pro explorato habent eruditi, eum esse antiquissimum et quarti ad minus sæculi. Idem fere dicendum de collectione quæ inscribitur *Canones Apostolorum*. Vide in tractatu meo *De principiis juris canonici* rem discussam.

Digitized by Google

Ostendit pariter idem auctor Canonicos tum in antiquitate, tum recentioribus sæculis vocatos fuisse *seniores, conseniores, primores* et *primates, majores,* clericos in *gradu et dignitate, prioris gradus, e latere Episcopi;* et tandem *canonicos,* quia *ex canone : diaconi septem esse debent ex canone, etiamsi sit magna civitas* (Conc. Neocæsar., can. 15, anno 314); item *ordinarios et fratres.* Quanto honore haberentur et superiores cæteris de clero semper habiti sint, multis probat monumentis, e quibus unum aut alterum depromimus : *Prælati nostræ ecclesiæ,* ait Ambianensis Episcopus duodecimo sæculo. (Gallia christ., Append., n. 13.) *Membra nostra principalia,* ait alius Episcopus, anno 1234. Anno vero 1252, Perchtoldus Patavinus Episcopus prohibet ne archidiaconus fiat qui non sit canonicus, *cum Canonici cathedralis ecclesiæ sint supra prælatos* (intelligit abbates monachorum) *suæ diœcesis universos, sicut cardinales Sedis Apostolicæ cum Summo Pontifice super Ecclesiam universam.* (Germania sacra, t. I, p. 392.) *Pertinent canonici ad caput qui est Episcopus, tanquam nobiliora membra.* (Conc. Aquileiense, 1596, c. 10.)

III. *Cardinales nihil aliud fuerunt quam collegium cathedrale, et canonici nihil aliud quam cardinales cujuslibet ecclesiæ.* — Hanc thesim ex professo et cæteris fusius demonstravit Nardi in suo opere *Dei Párochi.* Quam summi momenti materiam rejicimus ad tractatum *De parocho*, hic tantum paucissima delibaturi.

Muratori, in sua dissertatione 62 *de Canonicis,* fatetur jam ab anno 615 canonicos vocatos fuisse *Cardinales.* « In epistola 7 « sancti Zachariæ Papæ ad Pipinum (anno 741) cardinales vo- « catos videmus canonicos. In capitulari anni 810 ipsa cathedralis « *cardinalis* ecclesia vocatur. In synodo Patavina anni 955 cathe- « dralis item vocatur ecclesia *cardinis.* Usque ad annum 1208 « metropolis Ravennatensis appellatione *cardinariæ* memoratur. « Diploma quoddam anni 1190 probat *canonicatum et cardi-* « *nariam* fuisse voces synonymas. Joannes Diaconus in Vita « sancti Gregorii Magni sic habet : *Cardinales violenter in* « *paræciis ordinatos forensibus, in pristinum cardinem Gre-* « *gorius revocabat.* Qui textus Thomassino adeo visus est « clarus, ut sic concludere coactus sit : *Quo liquet ejus ævo*

Digitized by Google

« *solitos non dici cardinales, nisi presbyteros, diaconos et* « *subdiaconos urbium episcopalium.* Idem liquet ex epistola « *Zachariæ Papæ ad Pipinum :* de presbyteris agrorum, quam « obedientiam debeant exhibere episcopis et presbyteris cardi- « nalibus. *Ad quod refertur ab eo* (nempe Zacharia Papa) *canon* « *Neocæsariensis, quo sancitur qua observantia prosequi debeant* « *agrestes* (presbyteri) *presbyteros urbanos.* In civitate parochi « nulli erant. At parochi rurales, ut ibi dicitur, obedire debe- « bant canonicis. »

« Apud sanctum Gregorium Magnum videmus officium ce- « lebrandi missam quibusque vice sua, attribui presbyteris « cathedralis *cardinalibus.* In diplomate quodam anni 859 re- « peritur : *Reginaldus archipresbyter cardinalis civitatis* « *Placentinæ et præpositus xenodochii in loco et fundo Lu-* « *ciano.* In alio diplomate memorantur presbyteri et diaconi « *cardinales* ecclesiæ Placentinæ. Et item in diplomatibus « anni 886 et 896. (Apud Campi, part. 1, Append. n. 10.) « Joannes VIII, anno 872, epist. 22, ad clerum Mediolanensem « jubet in archiepiscopum eligi *qui de cardinalibus presbyteris* « *aut diaconis dignior fuerit.* (Referente Arnulpho. *Hist.* « *Mediol.*, l. I, c. 1, apud Muratori, t. IV.) Ugo Italiæ rex, « videns non eligi in archiepiscopum nisi *unum de cardinalibus* « *quos vocant ordinarios* (1), procuravit filium suum cathe- « dralis Mediolanensis fieri canonicum. Item legitur, *Vincentius* « *archipresbyter cardinis* (nempe civitatis Lucensis) *et vicedo-* « *minus;* et alii canonici subscribunt cum nomine *cardinalis.* « (Apud Muratori, Antiq. med. ævi, t. VI, col. 407.) » Hujusmodi citationes per plures paginas congerit Nardi, ingentem numerum ecclesiarum memorando, in quibus cardinales vocabantur canonici. Postea sic concludit (t. II, p. 414) :

« Ne unum quidem reperire est diploma in quo titulus car- « dinalis aliis quam canonicis tribuatur, non solum ante an- « num 1000, ante quem nulli extiterunt in civitatibus parochi, « sed neque etiam post XI sæculum quo cœperunt introduci. Ex « allatis monumentis constat in plurimis cathedralibus cardi- « nalibus cardinales vocari solitos fuisse canonicos..., idque in

(1) Adhuc hodie Canonicos cathedralis Mediolanensis *ordinarios* vocari notat Nardi.

Digitized by Google

« Gallia, Hispania, Italia, Germania, in Oriente ; unde et con-
« cludi debet generalem fuisse illum usum... Non ergo ex titu-
« lis, aut ex ecclesiis titularibus nomen traxere tum Sanctæ
« Romanæ Ecclesiæ cardinales, tum aliarum cathedralium
« canonici, sed ex ipsorum adhærentia *Cardini*, id est, ex eo
« quod priores Summo Pontifici, posteriores cujuslibet eccle-
« siæ Episcopo adhærerent. Idipsum fatetur Thomassinus
« (l. 2, c. 15, num. ult.), præeminentiam nempe Cardinalium
« Romanorum inde manare, quod Summo Pontifici, id est,
« cardini, adhæreant, atque cum ipso in unum corpus coeant ;
« et idem provenisse Canonicis ex eadem cum Episcopo suo
« coadunatione. Cum eo tamen immenso discrimine (addimus
« nos) quod presbyterium inter Ecclesiæ Universalis, et pres-
« byteria ecclesiarum particularium intercedit. » Confutat postea Nardi objecta a Parochistis, qui contendunt antiquitus cardinales dictos fuisse ipsosmet parochos ; et objiciunt canonem 54 concilii Meldensis anni 845 : *Ut titulos cardinales in urbibus et suburbiis constitutos Episcopi honeste sine retractatione ordinent et constituant*. Ibi nempe agitur de oratoriis civitatis et suburbiorum. In civitate autem nulli tunc erant parochi ; concludendum ergo istos titulos pertinuisse ad collegium canonicorum, *ad cardinem* scilicet, id est, ad cathedralem. Ad quod probandum adducit Nardi inter alia insigne monumentum in quo expressis terminis iidem qui dicuntur *cardinales* dicuntur et *Canonici : Sanctæ Bergamensis ecclesiæ cardinalibus canonicis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, quos Dominus nunc in sede ipsius ordinis gubernat*. Agitur ibi de iis qui degebant *in sede ipsius ordinis*, id est, in cathedrali, quæ vocabatur ordo ; unde et clerici cathedralis dicebantur *de ordine* seu *ordinarii*. Porro ii degentes in sede ordinis seu in cathedrali dicuntur *cardinales canonici*. Idem probat sequens documentum (apud Nardi, t. II, p. 410) : *Nostræ autem ecclesiæ antiquo honore sacerdotibus pastum præparet atque tribuat, quo tantummodo cardinales sacerdotes, presbyteri scilicet ac diaconi et subdiaconi ad comedendum conveniant*. Oratoria autem quæ in civitatibus constituebantur sub nomine *titulorum cardinalium* « non ha-
« bebant sibi addictum sive incardinatum aliquod membrum
« presbyterii : id enim pugnabat cum canonibus tunc vigenti-

Digitized by Google

« bus, sicut pugnat cum historia et factis; sed pertinebant ad « *cardinem*, sive ad cardinales collective sumptos, id est, ad ca- « pitulum, non ad individua membra. » (Nardi, loco citato, p. 421.) Docet auctor ille in prædictis oratoriis civitatum a capitulis collocatos fuisse temporum decursu sacerdotes secundi gradus, qui veluti capellani, loco ipsiusmet capituli, illis oratoriis inserviebant et ea custodiebant. Ex negligentia autem et desidia capitulorum evenisse, ut hujusmodi capellani paulatim in parochos a cathedrali seu capitulo independentes transierint.

Notandum vero jampridem a Summis Pontificibus decretum fuisse, sicut nomen *Papæ,* olim Episcopis commune, soli Romano Pontifici; ita nomen *cardinalium* solis Romanæ Ecclesiæ cardinalibus esse tribuendum. Ex indulto speciali excepti canonici Sancti Jacobi Compostellæ, et quidam alii, quibus nomen illud retinere permissum est.

IV. *Potestas et præeminentia.* — Episcopus non poterat causas judicare sine interventu et consilio sui senatus, id est, cathedralis collegii : *Assistant autem judicio diaconi et presbyteri* (Constitutiones Apostolicæ, l. 2, c. 47). Concilium autem Illiberitanum anni 305 sic habet canone 74 : *Si autem non probaverit conventus clericorum, placuit per quinquennium abstineri.*

Episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum suorum, alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi clericorum sententia firmetur. (Concil. Carthag. IV, can. 23.)

Illa necessitas præsentiæ et consilii canonicorum in judiciis Episcopi firma permanebat adhuc media ætate. Sic enim legitur in *Excerptionibus Egberti,* canone 45 : *Episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum suorum, excepta causa confessionis.* Juxta concilium Elvense anni 1065 causæ adhuc pertinebant *ad judicium Episcopi et Canonicorum.*

Dicebat S. Chrysostomus de suo collegio cathedrali : *Qui nobiscum navim gubernant, navim demergere sunt conati.* (Sermo post reditum, n. 5.)

Sicut hodie, ita ab initio et per non interruptam seriem sæculorum, mortuo Episcopo, gubernium ecclesiæ ad collegium cathedrale pertinebat. (Vide Conc. Arausic. I, canone 30.) Ordinationes fieri nequibant absque ejusdem collegii consilio :

Digitized by Google

Episcopus sine consilio clericorum suorum clericos non ordinet. (Conc. Carthag. IV, c. 22.) De qua disciplina aliquid retinere volens Tridentina synodus decrevit ordinationes fieri in cathedrali, *vocatis præsentibusque ad id ecclesiæ canonicis.* (Sess. 23, c. 8, De ref.)

Summus erat honor adscribi presbyterio seu Capitulo cathedrali (vide Nardi id variis monumentis statuentem; t. II, p. 240). Ita etiam, ut Episcopi qui in suis civitatibus non recipiebantur, collegio cathedrali adderentur ; episcopalia tamen ibi exercere non poterant nisi permittente loci Episcopo. (Conc. Ancyranum, can. 17. — Antiochenum, can. 18. — Nicænum, can. 8.)

Olim sicut hodie sedebant in subselliis elatis ad dexteram et sinistram Episcopi, quæ subsellia modo secundi throni, modo tribunalia, modo cathedræ apud veteres nuncupantur. (Nardi, *Dei Párochi*, t. II, pag. 242.) Sanctus Gregorius Nazianzenus, de suo presbyterio sic queritur : *Secundos qui tenent templi sacri thronos* (*senatus ille splendidus plebique præsidens*), *in me fuerunt haud boni : quis credidisset hoc ?* (Carmen 23.) Archipresbyter erat semper presbyterorum senior ; at archidiaconus electione constituebatur. Sedebant autem sicut hodie ordine (ut dicunt canonistæ) ancianitatis. Cujus ordinis turbatio quam gravis æstimaretur, videri potest epistola 19 sancti Leonis Magni ad Dorum Episcopum.

Potestatem excommunicandi habebant cumulative cum Episcopo, et ita in multis capitulis perseverasse usque ad Concilium Tridentinum videre est. (Sess. 25, c. 6.)

Præcipuam partem in electione Episcopi exercebat collegium cathedrale. Totum id quod hodie parochis proprium est, ab Episcopo, adjuvante et supplente cathedrali capitulo, in tota diœcesi per tria sæcula, in civitatibus per mille annos fuisse peractum, jam in præcedenti paragrapho indicavimus.

Quæ prærogativarum antiqui cathedralis collegii, tenuissima licet expositio, si bene expendatur, quisque facile genuinam ab eruditis tradi hujus institutionis notionem fatebitur, quum affirmant, id esse capitulum cathedrale cum Episcopo, quod collegium cardinalium cum Summo Pontifice : superiores dignitate omnibus in toto orbe cardinales, quia unum corpus cum Papa et membra ipsius : superiores dignitate omnibus de diœcesi

Digitized by Google

canonici, quia unum corpus cum Episcopo. Universam Ecclesiam defuncto Papa regit cardinalium collegium : universam diœcesim mortuo Episcopo gubernat capitulum. Tota præeminentia et potestas cardinalium, quia capitulum seu consistorium Summi Pontificis : tota præeminentia et potestas canonicorum, quia Episcopi cardinales. In cardinalibus honoratur vicarii Christi dignitas et universalis potestas : in capitulo dignitas et potestas episcopalis culminis. Splendore cardinalitii gradus fulget et extollitur Pontificia dignitas : decore et amplitudine capitulorum splendet et dilatatur episcopalis majestas.

§ 6

UNDE ET QUANDO CŒPERINT DISSENSIONES AC LITES EPISCOPUM INTER ET CAPITULUM

« Eo etiam tempore quo canonici vivebant in communi sub « immediata cura Episcopi, ante expletum Ecclesiæ millena- « rium, haud dubitarim lites aliquas et discordias eos inter et « Episcopum fuisse ; nam talis est humanæ naturæ conditio, ut « humanum defectum secum præferat, nec omnes pro omni « circumstantia intra virtutum limites se contineant. Certe obser- « vat Thomassinus (t. II, l. 3, c. 8) ex prærogativis et honori- « ficentiis quæ canonicorum cœtui tribuebantur, *subrepsisse « nonnunquam minus modestis ut inflarentur, et minus obse- « quentes suo se præberent Episcopo. Inde*, ait ipse, *tot conci- « liorum canones quibus vetantur presbyteri, nisi consentiente « Episcopo, tentare quidquam.*

« Cæterum, ut hæc vetera prætermittam, et recentiora dum- « taxat post millenarium persequar, tunc graves inter Episcopum « et capitulum discordias ortum habuisse crediderim, cum ex « occasione defectionis quam fecerant canonici a vita communi, « tentarunt Episcopi ut eos ad pristinam vivendi formam revo- « carent ; quod contigit circa millenarium et tenuit duo subse- « quentia sæcula. Per totam enim eam ætatem multis frustra « conatibus captis adnixi sunt Episcopi, imo etiam ipsi Romani « Pontifices, ut ad veterem disciplinam canonicos adducerent. « Hinc gravissimæ lites, ac dissensiones permultæ. Celebris inter « alias est quæ tunc temporis, nempe sæculo undecimo, exarsit

Digitized by Google

« inter sanctum Anselmum Lucensem Episcopum et suos cano-
« nicos, de qua fuse agit Andreas Rota (in sancti Episcopi his-
« toria, c. XIII); ubi apparet canonicorum aliquot in extremam
« efferatos rabiem extrema potius subire voluisse, quam sancto
« Episcopo parere et vitæ communi sese accommodare.

« Quinimo sæculo eodem sanctus Gregorius VII (1), ut Epi-
« scopi ea in re canonicos sibi obtemperantes haberent, decre-
« talem constitutionem edidit (de vita et honest. Clericorum, cap.
« *Quoniam*) : *Quoniam*, inquit, *statuimus ut facultatibus ec-*
« *clesiarum vestrarum, proventibus et expensis diligenter*
« *inspectis, certum in eis valeatis ponere numerum clerico-*
« *rum, et statuere ut bona eorum veniant in commune, in una*
« *domo vescantur, atque sub uno tecto dormiant et quiescant :*
« *si vero contradictores extiterint, licitum vobis sit per sus-*
« *pensionem officii, et beneficii, ac graviori etiam pœna, si*
« *opus fuerit, ad hanc observantiam eos compellere, appel-*
« *latione non obstante.* » Ita Andreucci societatis Jesu, initio sui tractatus, *De tuenda concordia inter Episcopum et capitulum.*

§ 7

QUÆNAM FUERINT CELEBRIORES ALIQUOT DISCORDIÆ, A MILLENARIO ECCLESIÆ AD HÆC USQUE TEMPORA

« Prima inter Episcopum et capitulum discordia fuit ex occasione, ut diximus, vitæ communis, quam Episcopi urgebant acerrime, canonici vero omnino recusabant : unde Leonis IX, Alexandri III, Gregorii VII, aliorumque Romanorum Pontificum constitutiones prodiere. Hæc tandem compressa est post sæculum decimum tertium, persistentibus canonicis in suscepto vitæ singularis consilio ; adeo ut frustra ipse sanctus Carolus nuperis temporibus veterem vivendi morem in suis canonicis exoptaverit.

« Altera fuit ex eo quod aliqui ex Episcopis non uterentur consilio canonicorum, in abbatibus, abbatissis et aliis ecclesias-

(1) Auctor citatus, tribuendo hanc decretalem sancto Gregorio VII, contradicit canonistis qui ut Gonzalez illam esse Gregorii VIII existimant. Videri etiam potest in causa Brugensi 24 augusti 1850, probabilius esse, in hac decretali agi tantum de canonicis regularibus.

Digitized by Google

ticis personis instituendis : quare cum id permoleste ferrent capitulares, litem intentarunt et ad Romanum Pontificem recursum habuerunt, qui (ut extat in citato capite *Novit*) causam capitularibus adjudicavit, ac tales institutiones carere robore firmitatis decrevit.

« Tertia fuit ex eo quod in Senonensi provincia non vocarentur ab archiepiscopo capitula cathedralium ad provinciale concilium. Hac de re graviter conquesti sunt canonici apud Romanum Pontificem, qui (uti habetur capite 10, *de his quæ fiunt a prælato sine...*) scripsit Archiepiscopo, videri sibi, ut capitula ipsa ad hujusmodi concilia debeant invitari, et eorum nuntii ad tractatum admitti, maxime super illis quæ ipsa capitula contingere dignoscuntur.

« Quarta controversia fuit super materia fructuum canonicatus. Nam canonici Meldenses constitutionem fecerant, juramento interposito confirmatam, quod canonici nihil perciperent, nisi cum in ecclesia residerent, illis exceptis qui propter infirmitatem excusarentur, et qui essent in servitio Apostolicæ Sedis. Cum autem Episcopus haberet aliquos canonicos in servitio suo, capitulum occasione illius constitutionis subtrahebat illis fructus præbendarum suarum : quare Episcopus id ægre ferens, ad Pontificem rem detulit, qui mandavit ut duo canonici in servitio Episcopi existentes integre suarum præbendarum fructus perciperent. (Ex capite *Ad audientiam* 15, *de clericis non residentibus.*)

« Quinta fuit ex occasione residentiæ. Nam canonici nonnulli prætextu privilegiorum aberant ab Ecclesia ; unde maxima oriebatur divini cultus diminutio. Petiit Episcopus super hoc ecclesiæ suæ provideri. Quocirca edixit Pontifex ut, non obstantibus privilegiis apostolicis, et prædecessoris Episcopi silentio, absentes canonicos ad residendum Episcopus revocaret, et, si dicto audientes non fuerint, de ipsorum beneficiis congruam subtraheret, quam in substitutos inservientes contribueret. (Ex capite 16 *Cum ad hoc, De clericis non resid.*)

« Sexta et gravis disceptatio sub Honorio III orta est ex auctoritate quam capitulares sibi arrogabant : nam Parisienses canonici, irrequisito Episcopo suo, et sine ejus consensu quasdam consuetudines ecclesiæ suæ immutabant, et quasdam faciebant

Digitized by Google

de novo. Cum autem id nollet Episcopus, ad Romanum pontificium tribunal causa inducta est. Hinc vero prodiit decretum, ne canonici absque Episcopi sui consensu constitutiones et consuetudines ecclesiæ suæ approbatas immutarent, vel novas inducerent. (Ex capite *Cum consuetudinis*, de cons.)

« Septima controversia fuit ex causa visitationis, nolentibus alicubi capitulis propter exemptionem vel consuetudinem subjici episcopali visitationi. In qua controversia Concilium Tridentinum (sess. 6, de ref., c. 4) ab Episcopis stetit, decernens capitula omnia, sive cathedralia, sive alia, posse visitari, corrigi et puniri ab Episcopo, non obstante exemptione, consuetudine etc., in contrarium. Propter executionem talis decreti magna illa lis ac dissensio orta est inter sanctum archiepiscopum Carolum (Borromæum) et capitulum canonicorum de Scala; quæ tandem sancti Pii V auctoritate et sancti Archiepiscopi ecclesiastica fortitudine, in ipsius Archiepiscopi laudem et archiepiscopalis potestatis incrementum cessit.

« Octava controversia fuit super administratione bonorum ecclesiæ, seu fabricæ : contendentibus alicubi canonicis plenam sibi esse potestatem de iis disponendi independenter ab Episcopo; et ex alia parte id negante Episcopo. Pro qua controversia allegabatur a canonicis caput *Relatum* 12, *De testamentis,* ubi capitulis, consequenter et iis qui a capitulis constituuntur, sacristæ vel thesaurarii, tribuitur administratio bonorum omnium ecclesiæ acquisitorum, cum exclusione Episcopi. Ex opposito proponebatur ab Episcopo, quod pro administratione bonorum fabricæ Episcopus habet assistentiam generalem juris, et fundatam intentionem. (Can. 3, 5, 6, causæ 10, quæst. 1. — Trid. sess. 22, c. 9, de ref., et sess. 24, c. 3, de ref.) Tandem sacra Rota, teste Emerico, decisione 1083, et sæpius sacri concilii congregatio, ab Episcopo pronuntiavit.

« Nona valde contumax controversia fuit ex occasione Cæremonialis, nempe pro associationibus (les occasions où il faut accompagner l'évêque), assistentia, aliisque honoris significationibus, quas Episcopi putarunt hic et nunc sibi deberi, non ita existimantibus capitularibus. De qua multæ prodierunt atque identidem prodeunt sacrarum Urbis Congregationum decisiones ac declarationes. » Hactenus eximiæ vir doctrinæ Andreucci,

Digitized by Google

initio sui tractatus *De tuenda concordia inter Episcopum et capitulum.*

Discordiæ autem quas memorat laudatus auctor nemini admirationi esse debent, nedum scandalo. Cum enim hierarchicæ in Ecclesia potestates aliæ aliis subnectantur, multa necessario oriri debuerunt dubia donec uniuscujusque fines ultimatim fuerint determinati. Ecclesia vero, Spiritus sancti inspiratione ducta, non statim ab initio legibus præcavet orituras circa instituta sua difficultates omnes ; sed sensim variis occurrentibus casibus, experientiæ documentis innixa, rationem quoque habens locorum et temporum, suam complet legislationem ; atque ita extruitur mirabile illud juris ecclesiastici ædificium, cujus sapientiam simul cum suavi fortitudine, divinum aliquid redolet, ita ut stuporem etiam iis qui foris sunt non semel excitaverit. Cum ergo contendunt duæ potestates ecclesiasticæ de materia in limitibus quasi utriusque posita, nullum inde per se exsurgit sponsæ Christi Ecclesiæ dedecus aut macula, cum præsto sit semper supremus controversiarum judex, qui omnia componat, ille nempe cui dedit Christus pascendos agnos et oves, ligandique et solvendi potestatem. Exsurgit tantummodo occasio qua institutiones ecclesiasticæ novis enuntiationibus determinatæ magis ac magis divinæ sapientiæ decore resplendeant. Hinc et sancte possunt viri ecclesiastici de talibus litigare, id est, dubiorum hujus modi legitimam solutionem quærere. Quod autem interdum ex devio affectu minus recte contentio efferveat, hoc evenit per accidens ex humana infirmitate, quæ institutionum ecclesiasticarum utilitati et intrinsecæ bonitati nihil detrahere potest. Fuerunt innumeræ metropolitanos inter vel patriarchas et Episcopos contentiones : imo non paucæ Episcopos inter et Summum Pontificem. Quis vero adeo insaniat, ut de instituta in Ecclesia vel pontificia, vel metropolitana, vel episcopali dignitate, aliquid sinistri autumet?

Illud tamen advertendum circa ea de quibus acturi sumus capitulorum jura, facilem hisce temporibus non esse jurium illorum cognitionem, ob graves præsertim mutationes, ex recentiorum temporum tempestatibus ubique fere exortas. Hinc non paucas speramus per quantulumcumque tractatum hunc, contentiones et difficultates posse præpediri. Quæstiones enim etiam

Digitized by Google

quammaxime practicas atque in præsenti rerum statu occurrentes, nobis est in proposito pro posse discutere atque resolvere.

§ 8

QUOMODO NOTIO HISTORICA DE CAPITULIS IN QUODDAM SYSTEMA A JOANNE POLITO FUERIT ORDINATA

Joannes Politi, juris utriusque doctor et ecclesiæ Montis-Asii archipresbyter, scripsit de *jurisprudentia ecclesiastica universa* non ultimo reponenda loco novem volumina. Quod opus Pii VII judicio et correctioni expressissima humilitatis et obedientiæ formula subjecit. Caute tamen legendus ille auctor atque in non paucis omnino derelinquendus; qui scilicet, intemperantis eruditionis fuco nimis fretus, affirmat sæpe potius quam probat, atque in opiniones quasdam a sana doctrina alienas abripitur. Id prænotari necesse fuit, ne forte, dum eum in præsenti materia citandum duximus, nos ejus doctrinæ in omnibus assentire quis existimet. Quem scilicet auctorem, non ut normam sentiendi, sed ut noscat lector varia de præsenti argumento excogitata, commemoramus.

Institutionem capitulorum a prisco temporum apostolicorum presbyterio esse deducendam, prout viris eruditissimis Thomassino, Berardo, Nardio, aliisque non paucis certum et exploratum visum est, ita et Polito :

« Quis nescit, inquit, eos quos nunc *canonicos* nominamus, « longe ante extitisse quam *canonici* appellarentur? Sive enim « canonici hoc suum cognomen a vita communi et canonica « sunt mutuati, certum est vitam hanc communem canonicam- « que ante nominis hujus honorem sub auspiciis Eusebii Ver- « cellensis, atque Augustini Hipponensis eos coluisse : sive illud « ab ecclesiæ canone, seu albo, seu matricula, in qua descripti « erant, sibi assumpserunt, haud dubium est quin ii in hunc ca- « nonem seu album jam inde usque a primis Ecclesiæ sæculis relati « sint, dictique proinde a Cyrillo Hierosolymitano, et a S. Basilio « (Epist. 1. can.) clerici matricularii : sive demum ex canone sti- « pendii canonicorum nomen traxerunt, noto notius est Cypriani « tempore eos extitisse, vocatosque *sportulantes fratres* (ep. 66).

Digitized by Google

« Altius igitur quam scriptorum vulgo fertur canonicorum « origo ducenda est. Unde autem nisi ex primis illis presbyteris, « quos Apostoli Apostolorumque discipuli illis quas fundabant « ecclesiis, initio statim præfecerunt... Hisce enimvero majo- « ribus nostri orti sunt canonici; ex hisce recta linea descendit « nostrarum cathedralium ecclesiarum clerus; in eorum pres- « byteriorum locum, nostrorum temporum successere capitula. « Quod si temporum lapsu atque decursu non minimam capitis « diminutionem passa sunt, si e suo principatu dejecta, si in ser- « vitutem adducta, non genus, sed fortuna eorum desiit digni- « tati (1). Nec varia vitæ genera mutationesque, nec status « conversiones, nec rerum temporumque inclinationes efficere « unquam possunt, ut qui orti sunt ex stirpe antiquissima, ii « ejusdem stirpis ac generis esse desinant. De canonicorum « igitur juribus disputaturi, ab apostolicis illis presbyteris cur- « sum auspicemur, ac per omnes eorum vicissitudines casusque « discurramus, donec ad sequiora hæc nostra sæcula perventum « fuerit. » (Politi, *Jurisprudentia ecclesiastica universa*, tom. V, quæst. 1, pag. 2, edit. Venet. 1790.)

Quo in antecessum adnotato, citatus auctor varios canonicorum status historice distinguit hoc modo :

Primus status : A primo exordio ecclesiarum usque ad annum 61, quo cœpere Episcopi *diœcesani* ecclesiis præfici, christianorum cœtui cuilibet præerat constitutorum ibi ab Apostolis presbyterorum collegium. Illi nempe presbyteri, divinum Eucharistiæ sacrificium celebrabant, sacramenta ministrabant, concionibus et catechesibus vacabant, et cum fideli populo sacram agebant *in hymnis* et *canticis spiritualibus* psalmodiam. Ab iis porro primitivis presbyteris, existimat Politus, nulla unquam interrupta successione, canonicos exordia sumpsisse.

Secundus status : « Incipit ab anno 61, quo decretum fuit ut « presbyterorum unus cæteris præficeretur, qui diœcesanus Epi-

(1) Nimius in hoc loco citatus auctor : quod enim a prisca eminentia et prærogativarum amplitudine tantisper defecerint capitula, id non fortunæ tribuendum, sed sapientissimo semper et nunquam non laudando Ecclesiæ regimini, quæ pro temporum ratione disciplinæ universalis regulas moderatur atque attemperat.

Digitized by Google

« scopus dictus postea fuit, et desinit circa finem sæculi III, cum « parœciæ condi cœperunt. In secundo hoc ecclesiarum statu, « in eam potestatem, qua antea potiebantur presbyteria, ingressi « sunt presbyterorum præfecti, scilicet ii qui a nobis diœcesani « Episcopi nominantur. Non amplius igitur singuli presbyteri « ab sui collegii nutu, sed ab Episcopi jussu pendebant; non « amplius singula mandata ab presbyterorum universitate, sed « ab Episcopo recipiebant. Hinc illæ sancti Ignatii voces : *Sine « Episcopo nemo quidquam eorum faciat quæ ad Ecclesiam « pertinent. Nemini licet baptizare sine Episcopi jussu. Nulli « licitum est Eucharistiam celebrare absque venia Episcopi.* » (Epistola ad Smyrnenses.) « Quemadmodum vero antea presby- « terii scita irrita erant, nisi omnium, vel saltem plurimorum « presbyterorum sententia accessisset, ita etiam postea Episcopi « jussa rata minime erant, quæ presbyteri suffragio suo non « comprobarant. Verbo, presbyteri uti singuli in hoc secundo « statu ne tantillum quidem suo loco moti fuerunt; presbyteri « vero uti universi, juribus suis exciderunt, præsidisque impe- « rium senserunt. » (Politi, Jurisprudentia ecclesiastica universa, tom. V, pag. 39; edit. Venet. 1790.)

Ut probet citatus auctor quod ibi affirmat, Episcopi nempe jussa rata antea non fuisse quam accessisset assensus presbyterii, remittit ad plura operis sui loca. At vero hæc nisi caute et præeunte definitionum Ecclesiæ face quis accipiat atque interpretetur, periculum ei imminet ne in certissimum et damnatum errorem abripiatur, quo negabatur Episcopi supra presbyteros ex divina ordinatione superioritas; quod in tractatu *de Episcopo* sedulo ostendimus. Nec audacia caret asserere ecclesias primitus exstitisse absque ullo Episcopo a presbyterorum tantum collegio gubernatas, et Episcopos dein ab ejusdem presbyterii consensu fuisse in toto diœcesis regimine dependentes.

Tertius status : « Finis sæculi III initium attulit tertio eccle- « siarum statui. Vertente sæculo III, in singulis diœcesibus « christianorum numerus adeo creverat, ut unius templi an- « gustiæ eos capere non amplius possent. In id igitur res « redierat, ut necesse fuerit ecclesiarum numerum augeri. « Quamobrem non amplius in singulis diœcesibus singulæ « ecclesiæ, sed in una eademque diœcesi, atque adeo in una

Digitized by Google

« eademque urbe plures ecclesiæ exstrui cœperunt, quæ tamen « cathedrali obsequentes essent, ac secundas agerent. Ut autem « essent qui in secundis hisce ecclesiis rem divinam peragerent, « verbum Dei explanarent, sacra administrarent, ab ecclesia « cathedrali missitabantur presbyteri qui hisce muneribus funge- « rentur, quin tamen suum locum, dignitatem et rem in ecclesia « cathedrali amitterent. Innocentius I, anno 404, in ea quam ad « Decentium Eugubinum scripsit epistola, rem hanc planissime « et apertissime illustrat : *De fermento quod die dominica per « titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum « omnes ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ; qua- « rum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam « nobiscum convenire non possunt, ideo fermentum a nobis « confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra commu- « nione maxime illa die non judicent separatos.* (Epist. I, c. 5; « apud Labbæum Concil. tom. II, p. 1247.) Ex hisce Innocentii « verbis tria intelligimus : 1° Romæ tunc temporis plures secun- « darum partium exstitisse ecclesias : *cum omnes ecclesiæ nostræ « intra civitatem sint constitutæ.* 2° Illas in presbyterorum fidem « ac curam concessisse : *propter plebem sibi creditam.* 3° Hosce « presbyteros suam pristinam in ecclesia episcopali dignitatem « retinuisse : *quia eo die nobiscum convenire non possunt.* « Hujusce disciplinæ præclarissima vestigia adhuc habemus in « Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, in quibus et veteris presbyterii « et priscorum parochorum expressam imaginem intuemur. » (Politi, *Jurisprudentia eccl. universa*, t. V, p. 81; edit. Venet. 1790.)

Concordat Thomassinus (part. I, lib. 3, cap. 9, § 13) : « Venio ad ecclesias græcas, ubi illud primum edocet Justi- « nianus (in Novellis) Constantinopoli unam primo duntaxat « fuisse ecclesiam, cui postquam tres aliæ accesserunt, tum « prioris illius ministros in has per vices missitari solitos, ut « divina ibi munia obirent. » Idem Thomassinus (part. I, lib. 3, cap. 7, § 8) : « Præcipua autem antiquissimi illius cleri et « hodiernorum capitulorum discrimina erant istiusmodi : « 1° Non constabat clerus ille nisi presbyteris et diaconis. « 2° Presbyteri et diaconi hi, parochi ipsi erant et pastores « omnium civitatis ecclesiarum; aut si necdum essent divulsæ

Digitized by Google

« a cathedrali parochia, in ea ipsa parochorum munia omnia « implebant. 3° Ipsa sua ordinatione hunc gradum conseque- « bantur. 4° Clerus etiamnum Romanæ Ecclesiæ formam pra- « se fert splendidissimam expressissimamque ejus cleri, qui olim « singulis in cathedralibus ecclesiis Episcopo copulabatur. »

Concordat Selvagius (lib. 1, pag. 299, edit. Patav., 1780) : « Duo sunt observanda : primum, nullos antiquitus presbyteros « vel alios clericos ad peculiares in eadem civitate vel diœcesi « ecclesias fuisse alligatos; at vero ad harum ministerium de « ecclesia matrice, seu cathedrali, fuisse indiscriminatim adhi- « bitos. » Concordat Berardi (*Jus. eccl. universum,* part. 2, diss. 1, cap. 1) : « Observo opus tum fuisse, ut quidam clerici « aut diaconi (causa oblationum vel prædiorum) diœceses lus- « trarent, aut sacerdotes prout res incideret, fideles constitutos « in vicis divinis mysteriis recrearent; singuli tamen brevi ad « cathedralem ecclesiam redituri. Tum vero clerici illi adhuc « adscripti dicebantur cathedrali ecclesiæ, a qua non nisi ex « temporaria causa aberant; proptereaque eodem jure quo cæ- « teri in cathedrali ecclesia perpetuo residentes censebantur. »

Quartus status : « Octava christiani nominis ætas videbatur, « atque ecclesiastica disciplina in pejus quotidie ruere pessum- « que ire videbatur, cum Chrodogandus Metensis Episcopus, « de suorum clericorum licentia præcidenda, eorumque vita « in melius componenda cogitavit. Itaque clerum suum *adu-* « *navit, et ad instar cœnobii intra claustrorum septa conver-* « *sari fecit ,normamque eis instituit qualiter in ecclesia mili-* « *tare deberent.* (Paulus Diaconus, apud Duchesne, t. II, Hist. « Franciæ.) Chrodogando facem prætulerant Eusebius Vercel- « lensis atque Augustinus Hipponensis; sed tanti ædificii pro- « vehendi altiusque educendi gloriam posterioribus sæculis « reliquerant. Huic operi fastigium imposuere sæculo IX Patres « Moguntini (Conc. Mog., anno 813, c. 9), Turonenses (Conc. « Turon. 3, can. 23), Aquisgranenses, ac tandem Eugenius II « in Concilio Romano (anno 826, can. 7).

« Hæc res clericorum familiæ herciscundæ causam dedit. « Antehac omnis diœceseos clerici cathedralis ecclesiæ erant « alumni; nec parochiales ecclesiæ ullos alios sacrorum suorum « habuere ministros, quam cathedralis ecclesiæ presbyteros...

Digitized by Google

« At post Chrodogandi institutum, mutata repente scena est. « Nam cum ii presbyteri, quibus parœciarum ministeria man- « dabantur, non possent cum Episcopo episcopalisque ecclesiæ « clericis diu noctuque una esse, una degere, una vivere, uno « conclavi, uno cubiculo, uno triclinio uti, necesse fuit inter « cathedralis ecclesiæ clericos ac parœciarum presbyteros her- « ctum quodammodo cieri, atque hosce in tot rursus familias « scindi quot erant ecclesiæ. Ex illo singulæ ecclesiæ res suas « sibi habere et procurare cœperunt, singulæ suos clericos alere, « sua bona, suas possessiones unaquæque agnoscere, suisque « territoriis terminos ac fines pangere. Licet autem vitæ com- « munitas principio nonnisi in cathedrales ecclesias illata fuerit, « postea tamen in illas etiam parochiales introiit, quæ clerico- « rum numero et bonorum copia abundabant; unde collegiatæ « ecclesiæ. Harum numerum auxerunt alia præterea clericorum « collegia, qui nulla animarum cura onerati in divinis tantum « laudibus persolvendis occupabantur. » (Joannes Politi, *Jurisprudentia eccl. univ.*, tom. V, pag. 93, edit. Venet., 1790.)

« Quæ res impulerant canonicos ut vivendi rationem e mo- « nachorum regula sumerent, eædem etiam perpulere ut et « psallendi formam indidem mutuarentur. Neque vero ante « Chrodogandum cathedralis ecclesiæ clerici statis diei horis... « ad solemnem psalmodiam quotidie compellebantur; sed satis « erat si dominicis festisque diebus matutinas vespertinasque « Deo laudes persolvissent... Post Chrodogandi tempora horæ « canonicæ ex cœnobiis in cathedrales collegiatasque ecclesias « pedem intulerunt. » (Loco citato, p. 99.)

Quintus status : « Communis canonicorum vita ac mensa ad « Chrodogandi regulas exacta, sæculo x vertente dissui cœpit, « quo tempore ecclesiastica disciplina denuo fluere ac retro ferri « visa est (1). Vitæ communis dissolutio aliam (2) peperit bono- « rum divisionem. Non amplius canonicis una mensa, una do- « mus, una arca, sed singuli suam mensam, suam domum, suam

(1) Testatur id Trithemius in Chron. Hirsaug., ann 977. — Vide etiam Muratori (*Antich. ital.*, dissert. 62, tom. III, pag. 341).

(2) Prior bonorum divisio tunc evenerat, quando occasione regulæ Chrodogandi bona omnium clericorum diœcesis, quæ semper ad unicam cathedralem ecclesiam pertinuerant, cœperunt ex parte variis aliis ecclesiis attribui.

Digitized by Google

« arcam habuere. Quinimo ipsos ecclesiæ fundos, qui commu-
« nem victum canonicis eo usque suggesserant, inter se partiri,
« singulique suos agros possidere (quos præbendas dixerunt),
« iisque suo arbitratu frui voluerunt. Hinc avaritia,... ambi-
« tio,... tota vitiorum cohors in canonicorum ordinem exundavit.
« Huic pesti tam exitiali mederi omni ope omnique studio
« annisi sunt viri pietate et doctrina eximii. Nec ullum remedium
« potius ac præsentius visum fuit, quam si aut monachi in ca-
« nonicorum locum subrogarentur, aut canonici monachorum
« compedibus constringerentur. Rem totam narrat Dubois, Hist.
« eccl. Paris., lib. XI, pag. 788. » (Loco citato, pag. 108.)

Sextus et ultimus canonicorum status. Sub illa rubrica citatus auctor mutationem illam describit, qua capitulum ab Episcopo in diœcesis regimine adhiberi desiit. « Hinc inter « caput ac membra factum divortium. Episcopus non amplius « nativis suis membris uti, sed adscititiis; alios vicarios, alios « adjutores, alios notarios, alios administros sibi adjungere; « canonici non amplius naturale caput, sed insitivum; non « amplius Episcopum, sed præpositum aut decanum sui cor-
« poris caput habere; ita ut Episcopus et capitulum non amplius « unum corpus, sed duo corpora jam esse videantur. Quinimo « inter Episcopum et capitulum tantum factum est dissidium, « tantaque inde discordiarum seges orta, ut necesse fuerit capi-
« tulo immunitates dari, quæ tanquam murus essent tranquil-
« litatis. » (Loco cit., pag. 123.)

Cætera quæ subjungit citatus auctor, de Episcoporum in capitula tyrannide, utpote declamata magis quam considerate dicta, non referimus. Præsentem certe capitulorum statum plus æquo lamentatur atque lugubribus depingit coloribus. Illa enim quæ nunc viget de capitulis disciplina, a Tridentinis Patribus probata fuit atque sancita. Temeritate autem non caret, quod concilio œcumenico et *Spiritui sancto visum sit* universali jure decernere, in quæstionem de sapientia et opportunitate vocare. Jus autem commune de capitulis a Tridentina synodo deliberatum atque firmatum, sicubi ab Episcopis illæsum non servetur, id quidem, non vero ipsam ab Ecclesia statutam disciplinam, canonista redarguat. Quin imo æquum etiam est, dum abusus ex parte Episcoporum (si qui sint) commemoran-

Digitized by Google

tur, meminisse quanta vicissim ex capitulorum attentatis molimínibus non raro passa sit legitima atque indubitata præsulum auctoritas.

CAPUT II

DE INSTITUTIONIS HUJUS ESSENTIALI ET PRÆCIPUO FINE

Propositio I. — *Finis essentialis et primarius capitulorum cathedralium est, auxiliari et supplere Episcopo in ecclesiæ seu diœcesis regimine.* — Dicitur *auxiliari*, nempe sede plena; *supplere*, nempe vacante sede. Quo in antecessum adnotato, sic probatur propositio.

Ex synopsi historica in sectione præcedenti delineata manifestum fit capitulum, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, et fuisse de facto, et vocatum fuisse *consilium Episcopi;* item manifestum est capitulum ab Ecclesia habitum fuisse tanquam cujuslibet ecclesiæ particularis seu diœcesis *senatum;* item certum est capitula id muneris semper exercuisse, auxiliandi nempe et supplendi Episcopo in ecclesiæ suæ regimine.

Porro hoc ipsum munus est finis principalis et essentialis, propter quem instituta fuere capitula, quod sic probatur : Nisi propter dictum finem instituta fuissent, dicendum esset illa instituta fuisse principaliter, vel ut vitam regularem aut communem ducerent, vel ut publicæ officii divini celebrationi vacarent, vel ut fruerentur quibusdam bonis temporalibus, nempe præbendis; nihil enim aliud excogitari potest tanquam finis ab Ecclesia intentus in capitulorum institutione. Atqui triplex dicta hypothesis rejicienda est. Nam quod capitulum induerit formam vitæ regularis et communis, fuit aliquid ipsi accidentale. Initio enim exstabat *consilium Episcopi* ex presbyteris et diaconis civitatis episcopalis conflatum, licet isti nondum in eadem domo communitatem constituerent, ut videre est apud Thomassinum et alios de hac materia tractantes. Postea quidem multiplicato clero, quidam electi sunt ad idem munus Episcopo auxiliandi in diœcesis regimine, et hi ab aliis segregati in domo Episcopi vitam communem egerunt; sed hac nova forma non creatum fuit *consilium Episcopi* et *senatus ecclesiæ,* sed jam exsistens perfectiori et utiliori disciplina ordinatum est. Tandem vita illa regularis et

Digitized by Google

communis iterum sublata est, quin Ecclesia existimaverit capitula fuisse sublata aut aliquid de constitutione sua essentiali amisisse; ita ut nunc ubique exstent sine vita communi vera capitula. Porro id quod initio non viguit in capitulis, et quod postea introductum, tandem omnino remotum est, remanentibus in suo esse capitulis, est aliquid accidentale, non essentiale; ergo non est finis capitulorum proprius, principalis et essentialis. — Idem concludendum videtur de celebratione et recitatione divini officii. Equidem omni tempore capitula hoc munere functa sunt. At vero, quemadmodum de parochis, licet de facto dominicis et solemnioribus diebus dictum officium celebrent, insulse quis diceret eos in præcipuum finem persolvendarum solemniter horarum canonicarum fuisse institutos, ita prorsus absone id diceretur de canonicis. A cathedrali quidem capitulo celebratum semper fuit divinum officium : at antiquitus statutis diebus, non quotidie : at cum populo sicut hodie a parochis : at matutinæ tantum et vespertinæ Dei laudes. Si enim verum sit quod ex eruditis viris in superiore capite adnotavimus, a Chrodogandi tantum tempore invaluit mos a cœnobiis mutuatus, ut collegium cathedrale quotidie statutis horis choro adesset et persolvendis in choro septem officii divini partibus adstringeretur. Quod ergo post tot sæcula jam exsistentibus capitulis accessit, et sine quo tamdiu exstiterant, minime potest dici principaliter ab Ecclesia intentum fuisse tanquam præcipuum in capitulis instituendis finem.

De præbendis vero lucrandis quatenus fine ab Ecclesia intento dum capitula instituit, vix quæstio moveri potest. Nam quod affixi sint quidam reditus temporales ad sustentandos canonicos, id fuit medium ad finem per capitulorum institutionem obtinendum, non vero finis ipse. Repugnat scilicet Ecclesiam instituere collegium clericorum in hunc præcipuum et primarium finem, ut hi clerici pecuniam lucrentur. Et præterea ut certum ab omnibus admittitur posse clericum habere canoniam sine ulla præbenda; ex quo solo patet præbendas et reditus temporales, quocumque vocentur nomine, non esse de essentia capituli, nec proinde etiam de fine essentiali seu primario ab Ecclesia intento.

Ergo remanet in institutione capitulorum Ecclesiam tanquam finem primarium et præcipuum intendisse, ut sint *senatus Eccle-*

Digitized by Google

siæ, consilium Episcopi, id est, ut Episcopo auxilientur in Ecclesiæ regimine.

Confirmatur hæc de capitulorum institutione et fine quam tradimus, doctrina, analysi eorum quæ de eodem argumento scripsit Thomassinus. (*Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, parte I, l. III, c. 7.)

1° Probat Thomassinus presbyteros et diaconos civitatis episcopalis ab initio *consilium* Episcopi et *senatum* conflasse, cum quo et per quem Episcopus diœcesim suam regebat. « Quanquam, « ait, nulla esset communis vitæ societas inter clericos cathedra- « lium ecclesiarum per quinque priora sæcula, nec inter se, nec « cum Episcopo, coalescebant illi tamen in unum quoddam veluti « corpus cum eo, et in partem sollicitudinis atque imperii sacri « quamdam societatem veniebant... Ergo presbyteri diaconique « civitatum episcopalium, qui clerus erat superior diœceseos, et « quem jam hinc donabimus capituli nomine, quanquam illud « eis posterius tantum accesserit, clerus hic, inquam, in unum « corpus, in unum senatum consiliumque cum Episcopo coibat, « cumque eo principe et capite suo, clericisque populisque diœ- « ceseos omnibus moderabatur. » Hoc probat Thomassinus refertissima monumentorum copia.

2° Probat deinde presbyterium Romanæ Ecclesiæ, id est, presbyteros et diaconos Summi Pontificis jam ab initio in universalis Ecclesiæ regimine Romano Episcopo adlaborasse. « Depo- « sitionis sententiam contorsit Felix Papa in pseudopontificem « Antiochenum Petrum Cnapheum, eamque promulgavit suo « et eorum nomine qui una secum apostolicum thronum regerent, « hoc est, presbyterorum et diaconorum Ecclesiæ Romanæ : « *Firma sit hæc tua depositio a me, et ab his qui una mecum* « *apostolicum thronum regunt*... Ex his splendet capitulorum « antiquitas dignitasque summa, hoc est, collegii presbyterorum « et diaconorum Episcopo adunatorum in tractandis guberna- « culis ecclesiæ cathedralis, immo et throni Romæ apostolici... « Ut intelligas clerum superiorem metropolitani, primatis, pa- « triarchæ, adeoque Summi Pontificis, illum esse senatum ad « quem referebantur causæ omnes quæ ad ipsum præsulem per- « feruntur, quocumque se exporrigat ejus potestas... Romanis « hisce conciliis (*nempe ex Papa et presbyterio suo constantibus*)

Digitized by Google

« lites dirimebantur, aliis ex provinciis, imo et a patriarchatibus « aliis ad Papam devolutæ, nec alibi primum quam in ejus se- « natu seu consistorio presbyterorum et diaconorum discep- « tandæ, quod olim Romæ *presbyterium* dicebatur, nunc passim « in Occidente capitulum. »

3° Ad probandam hanc capituli seu presbyterii in regimine diœcesis participationem, citat Thomassinus duos concilii Carthaginensis 4 canones : *Episcopus sine consensu clericorum suorum clericos non ordinet* (can. 22). *Ut Episcopus nullus causam audiat absque præsentia clericorum suorum : alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi clericorum sententia confirmetur* (can. 23). — Citat præterea Thomassinus sequentia Patrum dicta : *Et nos habemus senatum nostrum, cœtum presbyterorum.* (Hieronymus in c. 3 Isaiæ.) *Senatum presbyterii quod est in civitate,* τὸ συνέδριον τοῦ πρεσβυτηρίου τοῦ κατὰ τὴν πόλιν (S. Basilius, epist. 319.) *Consiliarii et assessores Episcopi, in locum senatus Apostolorum,* σύμβουλοι καὶ συνεδρευταὶ τοῦ ἐπισκόπου, εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων. (S. Ignatius martyr, ad Trallianos.)

4° Ita concludit Thomassinus : « Ex his manifeste patet « primis his Ecclesiæ adolescentis temporibus clerum superio- « rem cujusque civitatis in consilium et quasi senatum Episcopi « coaluisse, et tum spiritalem, tum etiam temporalem adminis- « trationem Ecclesiæ capessivisse. Ea tum capitulorum primi- « genia natura, ea erant officia. Communi non utebantur domo, « nec mensa, uti nec nunc : sed in communi possidebant res om- « nes Ecclesiæ... »

5° Exhibet postea Thomassinus collegium cardinalium tanquam permanentem et perfectissimum primitivorum capitulorum typum : « Clerus etiam nunc Romanæ Ecclesiæ formam « præ se fert splendidissimam expressissimamque ejus cleri, qui « olim singulis in cathedralibus ecclesiis Episcopo copulabatur. « Constat enim Romani Pontificis clerus presbyteris diaconisque « cardinalibus, seu titularibus ecclesiarum omnium Romæ pa- « rochialium parochis, cum Pontifice et sub Pontifice conspi- « rantibus et collaborantibus Romano in consistorio de negotiis « omnibus, quæ ex pontificia spiritali ditione, ex universo, in- « quam, christiano orbe Romam referuntur. »

6° Probat etiam Thomassinus, mortuo aut etiam absente Epi-

Digitized by Google

scopo, regimen Ecclesiæ non vicario alicui, sed capitulo, id est, clero cathedralis, devolvi solitum : « Migrante e terris Episcopo, « diœcesim universam administrabat clerus ecclesiæ cathedralis, « tractandis his sacris habenis superstite Episcopo jam edoctus « et insuefactus. Abunde patuit quam vere clero Romano incum- « beret Romanæ Ecclesiæ regimen vacante sede, cum ad clerum « Carthaginensem scripsit in hunc modum : *Et cum incumbat « nobis, qui videmur præpositi esse, et vice patris custodire gre- « gem, si negligentes inveniamur, dicetur nobis... quoniam per- « ditum non requisivimus, et errantem non correximus.* Et alia « rursus epistola : *Omnes enim nos decet pro corpore totius « Ecclesiæ, cujus per varias quasque provincias membra digesta « sunt, excubare...* Clerus Romanus hic scribit ut sarcinam ges- « tans et sollicitudinem omnium ecclesiarum ; nec ab ea senten- « tia recedit Cyprianus in suis ad eum responsis... Palam est, « cum non raro abesse ab Ecclesia sua Episcopus cogeretur, re- « gimen devolvi solitum fuisse ad clerum universum, nullo spe- « cialiter designato vicario Episcopi absentis. »

7° Tandem, postquam narravit Thomassinus (cap. 9 libri II partis I) quomodo deventum sit ad formam quam exhibuerunt capitula sub Carolo Magno, concludit unum et idem ministerium fuisse, tum primitivi illius priorum sæculorum *consilii* et *senatus* Episcopo adjuncti, tum collegiorum quæ postea *capitula* dicta sunt et in hanc usque diem perseverant : « Implebant ergo « certissime capitula eumdem locum, idemque præstabant minis- « terium quod et antiquissimus ille singularum ecclesiarum cle- « rus, quo inconsulto nihil gerebatur. »

Ex illa vero doctrinæ ab eruditissimo Thomassino expositæ, quantulacumque analysi, quisque facile concludet non immerito institutioni capitulorum assignari tanquam *essentiale et primarium*, munus auxiliandi et supplendi Episcopo in diœcesis regimine, non vero munus vitam agendi communem, aut cantandi in choro, aut jus ad præbendas.

Licet auctores venenatos, qualis inprimis est Van Espen, citare refugiamus, cum tamen ex iis qui scriptore illo utpote gallicanissimo, plurimum delectantur, non pauci tentent capitulorum venerandam institutionem ad jus stalli et præbendæ reducere, non abs re erit illis ex suo Van Espenio contrariam thesim ob-

Digitized by Google

trudere. Thesim illam sic inscribit Van Espen ; « *Præcipuum* « officium canonicorum cathedralium est opera et consilio Epis- « copis in ecclesiæ regimine assistere. » Quam ut probet, memorat priscum illum primitivæ Ecclesiæ *senatum*, vetus illud Episcopi *consilium*. Tum de illis Episcopi consiliariis et assessoribus sic affirmat : « Quos *canonicos cathedrales*, tanquam « *cathedræ* episcopali propius adhærentes, posterior ætas nuncu- « pavit, hi in pristinum presbyterorum et diaconorum *presbyte-* « *rium* atque *senatum* successerunt : quo fit ut, quemadmodum « olim presbyteri et diaconi civitatis episcopalis unum cum « Episcopo tanquam capite corpus constituerent, fratresque Epi- « scopi dicerentur, ita canonici cathedrales in locum ipsorum « suffecti unum cum Episcopo corpus componere dicantur ; et « ut Episcopi ipsos tanquam fratres agnoscant canonica decrevit « auctoritas. Hi sunt, sine quorum consilio hodie, ut olim, « majora ecclesiæ negotia Episcopus absolvere non pòtest ; qui « similiter, ut olim, absente aut mortuo Episcopo, pro corpore « totius diœcesis debent excubare. (Cap. *Novit*, extra. De his quæ « fiunt a prælato sine consensu capituli.) Non mirum proinde « quod, ut martyr Ignatius presbyterium *ecclesiæ senatum* vo- « cavit, eodem titulo synodus Tridentina hodierna cathedralia « capitula exornet. Quare jampridem canonicos suos monuit ma- « gnus ille Gandensium Antistes Lindanus : *Ut nulla ratione* « *putarent se apud Deum excusari, si solum officio recitando* « *occupentur : inprimis vero*, inquit, *per Germaniam qui ad* « *docendum, Episcopoque suo serviendum præcipue sunt à Ca-* « *rolo Magno instituti, quemadmodum tabulæ fundationum* « *sonant*. Totum hoc canonicorum officium brevi verborum « periodo complectitur synodus Rothomagensis (anno 1681, tit. « de episc. et capit. n. 28), dum declarat : *Præcipuam in ecclesiis* « *auctoritatem ad Episcopos pertinere, eosque consilio et opera* « *capitulorum et dignitatum juvari debere, ut membrorum* « *capiti cohærentium et obsequentium*. Decet proinde, ut cum « synodo Burdigalensi (an. 1624, c. 9, n. 8) loquar, *metropoli-* « *tanam et alias cathedrales ecclesias, eas personas ita probi-* « *tate ac scientia commendatas ad canonicatus eligere et assu-* « *mere, ut ex iis corpus capituli coalescens senatus Episcoporum* « *unde consilium accersant merito dici possit.* » (Van Espen,

Digitized by Google

De institutione et officio canonicorum, parte I, cap. 2, § 1.) — Paulo post, § 3, varia ex principiis positis consectaria eruens, sic habet: « Cum ex dictis hoc capite constet canonicos institutos « esse ut Episcopos *opera* et *officio* juvent, facile ex illis colli- « gere licet : primo, multum a vero aberrare qui totum canoni- « corum officium in sola divini officii persolutione consistere « credunt. Secundo, verissime jampridem a Guillelmo Parisiensi « notatum fuisse quod, *canonicus nomen sit officii, operis et « militiæ clericalis, non autem redituum, præbendarum aut « emolumentorum.* »

Concordat Barbosa (De canonicis cap. 1, pp. 47 et 48.) : « Ut « Episcopi fratres essent consiliarii, et cum eo unum quodammodo « corpus efficerent, et eidem consilium et auxilium in negotiis « ecclesiæ pertractandis præstarent... Hoc autem Canonicorum « Collegium sive corpus cum ipso Episcopo, olim dicebatur « *consilium Episcopi ;* hodie vocatur capitulum a capite sub « quo regi vel congregari debet ad præstanda consilia ; hujus « vero caput est ipse Episcopus. »

Propositio II. — *Non antiquo tantum, sed etiam novo jure canonici sunt consiliarii nati Episcoporum.* — Hanc thesim sic probat Thomassinus (part. 1, l. 3, c. 10) : « Nec ambigi certe po- « test quin novo etiam jure canonici haberi debeant consiliarii, « ut vocant, nati Episcoporum. Concilium Elnense anni 1065 « causas rejicit ad judicium Episcopi et canonicorum : *Emendet « ad judicium Episcopi et canonicorum... Querela ad Episco- « pum vel ejus canonicos fiat.* Prohibuit Callistus II ne archi- « presbyteri vel archidiaconi clericos interdicerent in jussu Archie- « piscopi et capituli : *Præter Archiepiscopi et totius capituli « vestri commune consilium* (epist. 13). Alexander III Papa scitis- « sime patriarcham Hierosolymitanum admonebat, cum unum « se in corpus cum suis canonicis conjunxisset, cujus illi mem- « bra, ipse caput esset, præposterum esse ut non ipsos præ cæte- « ris omnibus in consilium adhiberet, et iis inconsultis destitueret « institueretque abbates, abbatissas aliosque beneficiarios quos- « cumque : *Novit plenius tuæ discretionis prudentia, qualiter tu « et fratres tui unum corpus sitis : ita quod tu caput et fratres « tui membra esse comprobentur. Unde nec decet, omissis mem- « bris, te aliorum consilio in ecclesiæ tuæ negotiis uti : cum id non*

Digitized by Google

« *sit dubium et honestati tuæ et sanctorum Patrum institutio-*
« *nibus contraire. Innotuit autem auribus nostris quod tu sine*
« *consilio fratrum tuorum abbates, abbatissas et cœteras perso-*
« *nas ecclesiasticas instituis et destituis...* (Cap. *Novit* et cap.
« *Quanto*, De his quæ fiunt a præl. sine cons. cap.) Synodus
« Augustana anno 1548 statuta synodalia Episcopi assensione
« capituli corroborat : *Approbante cathedralis ecclesiæ nostræ*
« *venerabili capitulo statuimus et ordinamus.* (Can. 3.) Cardina-
« lis Polus in articulis reformationis ecclesiæ Anglicanæ fatetur
« institutos esse canonicos ut consiliarii sint et collaboratores
« Episcoporum, utque divinis laudibus decantandis indefessi in-
« cumbant : *Cum canonicatus et præbendas in Ecclesia insti-*
« *tuendi ratio et causa hæc fuerit, ut qui ad eos assumuntur,*
« *Episcopo assistant, eumque in muneris sui functione, consilio*
« *et opera adjuvent, et in divinis officiis celebrandis ecclesiæ*
« *deserviant.*

« In concilio Tridentino (sess. 24, c. 12), ubi *senatus ecclesiæ*
« vocatur capitulum, usque adeo reviviscere visa est prisca illa
« concordia inter Episcopum et capitulum, ut sanctus Caro-
« lus... intercedendum duxerit iis qui modum non tenebant,
« infringebantque eo auctoritatem Episcopi, ut semper sen-
« tentiæ capituli sui obsequi teneretur. Ea ergo super re decla-
« ratum ab eo est (Concil. Mediolan. V, c. 11) non esse locum
« ei sententiæ nisi ubi id expressissime cautum est a Concilio
« Tridentino : *Ubi a Tridentina synodo aut provincialibus*
« *conciliis constitutum est, de capituli clerive consilio aliquid*
« *agendum esse, non propterea tamen illud sequendi necessi-*
« *tatem sibi impositam esse Episcopus existimet, nisi in iis*
« *tantum de quibus id speciatim nominatimque cautum est.* »
(Concilium Tridentinum mandat ab episcopis requiri consilium capituli : Sess. 5, c. 1. — Sess. 24, c. 12. — Sess. 23, c. 18. — Sess. 24, c. 15.) — Si quis tamen dicere maluerit publicam divini officii recitationem esse quid *præcipuum* et *essentiale* et ab Ecclesia *præcipue* intentum in capitulorum institutione, non contendemus, modo simul tanquam non minus essentiale et præcipuum admittat munus auxiliandi Episcopo in ecclesiæ regimine.

Objicere quis posset capitula non fuisse ad aliquem finem

Digitized by Google

fixum et immutabilem instituta, sed pro variis temporibus ad diversos fines aptata, ornata fuisse variis ab Ecclesia juribus. — Sed respondetur hypothesim illam monumentis Ecclesiasticis omnino repugnare. Videmus enim capitulorum institutionem tanquam aliquid constans et in quibusdam præcipuis exercendis officiis et juribus, in tota sæculorum elapsorum serie viguisse. Videmus etiam legislationem Ecclesiæ perpetuo supponere eadem capitula tanquam institutionem quamdam specialem, omnino determinatam et juribus sibi propriis pollentem. Et inter jura et officia capitulorum hæc duo videmus permanenter et immutabiliter vigere, munus nempe auxiliandi Episcopo, et in ornamentum divini cultus, officiorum sacrorum publicam celebrationem. Quod etiam confirmant facta recentia :

In brevi 16 Julii 1801, Summus Pontifex expostulavit a præsulibus tum Galliæ tum Belgii spontaneam suarum sedium demissionem : *Dimittendæ a vobis sponte episcopales vestræ sedes sunt ; eædemque in manibus nostris liberæ resignandæ.* Consensum autem capitulorum simul requisivit : *Cogimur, urgente temporum necessitate... significare vobis omnino necesse esse nobis saltem intra decem dies, iis responsum e scripto dari a vobis, idque responsum una cum capitulorum vestrorum libero consensu extradi, a quo litteræ nostræ vobis reddentur... Nisi intra decem dies absolutum responsum dederitis... perinde cogemur habere vos vestraque capitula, ac si obsequi postulationibus nostris recusaretis.* (Hæc verba excerpsimus e sigillato exemplari subscripto *Michael Patriarcha hierosolymitanus*, apud P. Angelini in collegio Romano asservato, fasciculo 2 monumentorum pontificatus Pii VII.)

In sua constitutione *Ecclesia Christi* (18 kalendas septembris 1801), sic de capitulis et seminariis loquitur idem Pius VII : *Cum vero tum clericorum institutioni, tum Episcoporum consilio suæque ecclesiæ administrationi consulere necesse sit, illud non omisimus, ut iidem Episcopi unum habeant in cathedrali ecclesia capitulum unumque seminarium.* Item in concordato quod hoc anno 1851 iniit Pius IX cum Hispania, quid sint etiam hodie capitula iis exprimitur terminis qui in tota retro antiquitate usurpari solebant : *Cum cathedralia capitula Archiepiscoporum et Episcoporum senatum consiliumque*

Digitized by Google

constituant (art. 15). Similia frequenter occurrunt in recentioribus monumentis de fine capitulis essentiali et præcipuo testimonia. In thesauro resolutionum sacræ congregationis concilii, pagina 167 et 347, anni 1817, dicitur esse Ecclesiæ mentem ut Episcopus consilio capituli utatur ; et capitula esse consiliarios natos Episcoporum. Unde quod initio fuerunt, quod postea constanter permanserunt, idem etiamnum esse pergunt capitula : nec ex factis aliquarum diœcesium, ubi Episcopi capitula intra fines exercitii choralis coercuissent, existimandum est illam ideo institutionem a fine et jure sibi proprio excidisse.

CAPUT III

DE DEFINITIONE ET VARIIS SPECIEBUS CAPITULORUM

§ 1

DE VOCE IPSA CAPITULI

« Nomen hoc usurpatur, 1° pro distinctione unius materiæ « ab alia ; et sic dicuntur *capitula* decretalium. 2° Pro loco in « quo canonici congregantur resque ad eos pertinentes ab iis « deciduntur. 3° Ejus appellatione venit universitas sæcularium « vel regularium, seu collegium certarum personarum eccle- « siasticarum, certæ alicui ecclesiæ aut monasterio adscriptarum, « in unum congregatarum seu collegialiter convenientium. » (Leurenius, Forum ecclesiasticum, lib. 3, tit. XI, quæst. 123.) « Capitulum sic dictum, inquit Papias, quod capitula ibi « legantur : *Capitula librorum dicta, quod breviter capiant et* « *contineant aliquam sententiam, sive quasi caput et titulus* « *majoris scripti. Unde clericorum capitulum dictum, quod* « *capitula ibi exponantur,* nempe regulæ. » (Dufresne, Glossarium, verbo *Capitulum.*) Aliqui dixerunt capitulum dici collegium canonicorum cathedralium ex eo quod sit in ecclesiæ seu diœcesi *parvum caput*, dum Episcopus est caput magnum seu principale. Ita, sua risibili eruditione celebris Bordenave, canonicus Lescarensis, qui per 14 paginas in-folio de voce *Capitulum* mirabilia profert. (*L'estat des Eglises cath.*, pag. 32, Paris, 1643.) « Ainsi que Dieu, inquit, en la création du monde,

Digitized by Google

« print l'homme et le plaça dans le paradis terrestre, en lui « donnant un adjoinct (Non est bonum, dixit Dominus, homi- « nem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi); l'épouse « du Seigneur, trouvant au commencement qu'il n'étoit pas « bon que le Prélat fût seul (Væ soli, quia cum ceciderit non « habet sublevantem se), elle lui fit un aide semblable à lui. Si « bien qu'après avoir formé l'un et l'autre, elle vit comment « elle les nommeroit; et imposant à l'évêque le titre de superin- « tendant soubs ce nom *caput*, elle voulut que la compagnie des « chanoines qui devoit être avec luy s'appelast *capitulum:* « avec ordonnance expresse qu'ils se joignissent ensemble, et « fussent deux en une église. »

Inter multas etymologias quas refert Sarnellus (*Il clero secolare nel suo splendore*, cap. VI), illi adhæret opinioni quæ tenet capitulum ita dictum, *quia capitatim decernunt de rebus suis* canonici. Putat eadem de causa Capitularia dictas fuisse leges Caroli Magni, quia nempe fiebant dante sensum suum quolibet consiliario. Cæterum adnotat idem auctor vocem Capitulum quatenus collegium canonicorum designantem valde antiquam non esse, cum non reperiatur in conciliis Aquisgranæ et Moguntiæ noni sæculi, in quibus tamen agitur de canonicis. (Vide etiamSarnellum, *Lett. eccl.* tom. V, lettera 10.)

§ 2

DE ACCURATA CAPITULORUM DEFINITIONE

Sic Schmalzgrueber: « Capituli nomine intelligitur congre- « gata universitas, sive collegium clericorum, qui sub uno « prælato, ut membra sub uno capite, degunt et cum eo unum « corpus constituunt. Ita Gonzalez (in caput I, tituli XI, *De his* « *quæ fiunt a majore parte capituli*), et quoad rem passim « doctores reliqui. (In lib. III Decretalium, tit. XI, n. 1.)

Porro descriptio hujusmodi, a multis canonistis usurpata, haberi nequit tanquam rigorosa et proprie dicta definitio. Nedum enim capitulum accurate discernat ab aliis omnibus coadunationibus quæ capitula non sunt, illud e contra confundit cum qualibet clericorum congregatione sub aliquo

Digitized by Google

sibi proprio superiore viventium. Congregatio Sancti Sulpitii, verbi gratia, juxta prædictam definitionem dicenda esset capitulum : siquidem quælibet Sulpitianæ familiæ domus est *clericorum collegium sub uno prælato, ut membra sub uno capite, degentium.* Cur autem rigorem in definiendo capitulo doctores veteres ita neglexerint, ratio esse videtur, quod omnibus perfecte notum esset quid essent capitula, nec ulla videretur utilitas in collimanda et discutienda stricta definitione. Nunc vero temporis, cum ipsa essentialia capitulorum jura (quod nunquam olim acciderat) in quæstionem vocentur, abs re non erit a definitione proprie dicta ordiri, et omnem ambiguitatem a notione rei, de qua tractandum est, removere.

Primo, certum est et extra controversiam, capitulum esse aliquod genus societatis clericalis, seu esse *aliquam clericorum societatem :* componitur enim clericis qui communi actione concurrunt ad communem aliquem finem.

Secundo, certum est pariter, societatem illam constituere verum et integrum corpus sociale ecclesiasticum, in quo nempe aliquis præemineat tanquam caput, et alii subsint tanquam membra. Ita supra allata definitio affirmat, et tenent unanimiter doctores omnes.

Tertio, ut recte definiatur capitulum, definitio enuntiare debet differentiam proximam qua illud sociale clericorum corpus ab omni alia clericorum societate quæ capitulum non sit, accurate distinguatur.

Quarto, differentia illa proxima desumenda est ex fine primario et essentiali capitulis proprio. Nam societates ejusdem generis optime distinguuntur per varios fines unicuique proprios. Et aliunde non perfecte cognoscitur aliqua societas, nisi cognoscatur proprius ejus finis.

Quinto, tota ergo difficultas in eo est ut determinetur proprius et essentialis capitulorum finis.

Jam vero in præcedenti capite probatum est finem illum essentialem et primarium esse munus *auxiliandi et supplendi Episcopo in diœcesis regimine.* Hinc patet via ad rectam capituli definitionem, quæ sic statui potest : *Collegium clericorum ab Ecclesia institutum ad auxiliandum et supplendum Episcopo in diœcesis suæ regimine.*

Digitized by Google

« print l'homme et le plaça dans le paradis terrestre, en lui « donnant un adjoinct (Non est bonum, dixit Dominus, homi- « nem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi) ; l'épouse « du Seigneur, trouvant au commencement qu'il n'étoit pas « bon que le Prélat fût seul (Væ soli, quia cum ceciderit non « habet sublevantem se), elle lui fit un aide semblable à lui. Si « bien qu'après avoir formé l'un et l'autre, elle vit comment « elle les nommeroit ; et imposant à l'évêque le titre de superin- « tendant soubs ce nom *caput*, elle voulut que la compagnie des « chanoines qui devoit être avec luy s'appelast *capitulum :* « avec ordonnance expresse qu'ils se joignissent ensemble, et « fussent deux en une église. »

Inter multas etymologias quas refert Sarnellus (*Il clero secolare nel suo splendore*, cap. VI), illi adhæret opinioni quæ tenet capitulum ita dictum, *quia capitatim decernunt de rebus suis* canonici. Putat eadem de causa Capitularia dictas fuisse leges Caroli Magni, quia nempe fiebant dante sensum suum quolibet consiliario. Cæterum adnotat idem auctor vocem Capitulum quatenus collegium canonicorum designantem valde antiquam non esse, cum non reperiatur in conciliis Aquisgranæ et Moguntiæ noni sæculi, in quibus tamen agitur de canonicis. (Vide etiamSarnellum, *Lett. eccl.* tom. V, lettera 10.)

§ 2

DE ACCURATA CAPITULORUM DEFINITIONE

Sic Schmalzgrueber : « Capituli nomine intelligitur congre- « gata universitas, sive collegium clericorum, qui sub uno « prælato, ut membra sub uno capite, degunt et cum eo unum « corpus constituunt. Ita Gonzalez (in caput I, tituli XI, *De his* « *quæ fiunt a majore parte capituli*), et quoad rem passim « doctores reliqui. (In lib. III Decretalium, tit. XI, n. 1.)

Porro descriptio hujusmodi, a multis canonistis usurpata, haberi nequit tanquam rigorosa et proprie dicta definitio. Nedum enim capitulum accurate discernat ab aliis omnibus coadunationibus quæ capitula non sunt, illud e contra confundit cum qualibet clericorum congregatione sub aliquo

Digitized by Google

sibi proprio superiore viventium. Congregatio Sancti Sulpitii, verbi gratia, juxta prædictam definitionem dicenda esset capitulum : siquidem quælibet Sulpitianæ familiæ domus est *clericorum collegium sub uno prælato, ut membra sub uno capite, degentium.* Cur autem rigorem in definiendo capitulo doctores veteres ita neglexerint, ratio esse videtur, quod omnibus perfecte notum esset quid essent capitula, nec ulla videretur utilitas in collimanda et discutienda stricta definitione. Nunc vero temporis, cum ipsa essentialia capitulorum jura (quod nunquam olim acciderat) in quæstionem vocentur, abs re non erit a definitione proprie dicta ordiri, et omnem ambiguitatem a notione rei, de qua tractandum est, removere.

Primo, certum est et extra controversiam, capitulum esse aliquod genus societatis clericalis, seu esse *aliquam clericorum societatem :* componitur enim clericis qui communi actione concurrunt ad communem aliquem finem.

Secundo, certum est pariter, societatem illam constituere verum et integrum corpus sociale ecclesiasticum, in quo nempe aliquis præemineat tanquam caput, et alii subsint tanquam membra. Ita supra allata definitio affirmat, et tenent unanimiter doctores omnes.

Tertio, ut recte definiatur capitulum, definitio enuntiare debet differentiam proximam qua illud sociale clericorum corpus ab omni alia clericorum societate quæ capitulum non sit, accurate distinguatur.

Quarto, differentia illa proxima desumenda est ex fine primario et essentiali capitulis proprio. Nam societates ejusdem generis optime distinguuntur per varios fines unicuique proprios. Et aliunde non perfecte cognoscitur aliqua societas, nisi cognoscatur proprius ejus finis.

Quinto, tota ergo difficultas in eo est ut determinetur proprius et essentialis capitulorum finis.

Jam vero in præcedenti capite probatum est finem illum essentialem et primarium esse munus *auxiliandi et supplendi Episcopo in diœcesis regimine.* Hinc patet via ad rectam capituli definitionem, quæ sic statui potest : *Collegium clericorum ab Ecclesia institutum ad auxiliandum et supplendum Episcopo in diœcesis suæ regimine.*

Digitized by Google

Dicitur *ab Ecclesia institutum*, ut institutio illa juris communis et universalis distinguatur a particulari institutione, qua Episcopus aliquos clericos in corpus quoddam coadunaret ut sibi essent a consiliis. Dicitur *ad auxiliandum Episcopo*, nempe sede plena; et additur *ad supplendum*, nempe sede vacante seu mortuo Episcopo.

Ex illa autem definitione quædam immediate fluunt corollaria: 1° Aliquis non constituitur canonicus per jus ad aliquam præbendam; 2° nec per jus ad habendum stallum in choro; 3° nec per obligationem ad publicam officii recitationem. Hæc omnia scilicet secundaria sunt, et a jure capitulis annexa, non autem ipsam capituli essentiam constituunt. Constituitur autem canonicus per incorporationem in collegium illud quod ad auxiliandum et supplendum Episcopo ab Ecclesia est institutum. Quod collegium, etiamsi nullo temporali reditu donaretur, et etiamsi ab Ecclesia aliquando tolleretur obligatio officii in choro publice recitandi, nihilominus vere remaneret capitulum, nec putandum esset a suis essentialibus excidisse. E contra vero si capitulum aliquod spoliaretur jure auxiliandi et supplendi Episcopo, etiamsi pergeret frui præbendis et cantare in choro, jam rationem capituli amisisset, et in novum aliud transiisset. Unde potest quidem Ecclesia capitula supprimere, non vero facere ut amisso munere auxiliandi Episcopo in ecclesiæ regimine, collegium aliquod clericorum sit jam verum et proprie dictum capitulum.

§ 3

CAPITULORUM VARIÆ SPECIES

Distinguitur 1° In capitulum proprie dictum seu *cathedrale*, cui soli convenit supra allata definitio; et in capitulum improprie dictum, seu *collegiale*, quod nempe in alia quam cathedrali ecclesia erectum fuit. In collegialibus capitulis deficit illud quod supra ostendimus esse primarium et essentiale in capitulis proprie dictis, munus nempe Episcopo auxiliandi vel supplendi in ecclesiæ regimine. Canonici collegiatarum nullam jurisdictionem episcopalem exercere habent mortuo Episcopo, nec sunt de jure *Episcopi consilium*, nec *senatus ecclesiæ;* sed

Digitized by Google

instituti sunt tantummodo ad decorem cultus publici in aliqua ecclesia celebrandi; ad quem finem sustentantur præbendis et aliis temporalibus proventibus. Hinc finis capitulo collegiali proprius et primarius inveniri quidem potest, et de facto invenitur in capitulis cathedralibus, sed tanquam finis secundarius seu accessorius. Et ideo licet nomen capituli sit utrisque commune, merito tamen cathedrale canonicorum collegium habendum est ut capitulum proprie dictum, collegiale vero sensu lato tantum et improprio, ac longe diverso.

Distinguitur 2° In sæculare et regulare. 3° In exemptum et non exemptum. 4° In numeratum et non numeratum, quæ distinctiones suo loco explanabuntur.

Capitula autem Collegiatarum ipsa in duas species subdividuntur, de quo in sequenti paragrapho.

§ 4

DE COLLEGIATARUM DIGNITATE, ET IN INSIGNES ET NON INSIGNES DISTINCTIONE

« Illustrior et excellentior est ecclesia collegiata qualibet simplici parochiali. Collegiatæ sunt secundariæ post cathedrales (Concil. Coloniense II, p. 3, cap. 2). Ecclesiæ collegiatæ majores sunt titulo quam parochiales. Et proinde ab Episcopo primum visitantur cathedrales, et postea collegiatæ; denique parochiales ecclesiæ. Et hæ possunt per alios inferiores ab Episcopo visitari; collegiatæ vero per Episcopum tantum. Parochialis non solum in civitate, sed et in villis et pagis quibuscumque instituitur; at collegiata non conceditur nisi in civitatibus vel oppidis, aut terris insignibus, in quibus habitant homines civiles et populus numerosus; quod fit ne Collegiatæ dignitas vilescat. In odiosis appellatione *ecclesiæ parochialis* non includitur collegiata, licet in ea exerceatur cura animarum; ratio est quia habet qualitatem collegii supra curam. Quæ collegii qualitas tam considerabilis est, ut si ecclesia filialis, dependens a parochiali baptismali (quæ dicitur Matrix), erigatur in collegiatam, anteponenda sit in præeminentiis ipsi Baptismali Matrici... Ecclesia parochialis non parvum recipit honorificentiæ incrementum, si erigatur in collegiatam; quod facile suadetur ex eo quod Episcopus potest

Digitized by Google

instituere parochialem, non vero collegiatam. Nec potest destruere collegiatam, et de collegiata facere non collegiatam ; nam qui non potest instituere, non potest destituere. Quod si ecclesia collegiata fuerit diruta absque facultate Summi Pontificis, statim reædificata continuat privilegia collegiatæ. »

Quinimo ecclesia quæ olim fuit collegiata, quamvis in præsentiarum ob ejus paupertatem non habeat actu collegium, nihilominus si non constet fuisse auctoritate pontificia destructam, nuncupari potest collegiata ; atque si venerit ad pinguiorem fortunam, uti poterit juribus collegii uti prius, quia numquam fuit extincta habitu. »

« Collegiatæ prælatio eo magis emicat, si fuerit *insignis;* cum hæc præferatur non insignibus etiam prius institutis; ratio est quia qualitas *insignitatis* attenditur. Collegiata dicitur *insignis* dum pro tali fuerit a Papa enuntiata. Appellatur etiam insignis ea collegiata quæ retinet eas qualitates quæ ipsam talem reddunt ex fama, sive communi hominum opinione ac æstimatione, licet de hujusmodi insignitate nullum fuerit factum verbum a Papa in ejus diplomate. Pariformiter insignis per se dicitur collegiata, quando est in loco non parum conspicuo constituta. » (Ceccoperius apud Scarfantonium, t. I, p. 27, editio Lucæ 1723.)

Addit Scarfantonius (ib. pag. 29) quæstionem, utrum aliqua collegiata quæ a Papa non declarata est insignis, talis nihilominus nuncupari debeat, relinqui arbitrio prudentis judicis; qui perpensis tum loci, tum structuræ ædificii qualitate, insimul cum numero et qualitate canonicorum, aliisque similibus circumstantiis, statuere debet an tali prærogativa digna exsistat. Ita etiam Cardinalis de Luca (De præeminentiis, discursu 8, p. 14).

Illud singulare est in ecclesiis collegiatis, prærogativa insignitatis fulgentibus, ut primæ dignitates earum conferri tantum debeant magistris et doctoribus aut licentiatis in theologia seu in jure canonico (Trid. sess. 24, c. 12, de ref.). Ita etiam decisum a Rota refert Scarfantonius (loco citato).

« Scire autem collegiatam esse insignem vel non insignem « ad plura confert, tum ob differentiam residentiæ et servitii « chori inter unam et aliam, tum etiam ad alios effectus in-

Digitized by Google

« ductos per Tridentinum (sess. 24, c. 12). Jure autem cano-
« nico definitum non est quænam ecclesia dicatur *insignis;*
« unde res ex facto dependet, attento nomine *insignis*, quæ ec-
« clesiæ nobilitatem et excellentiam præ se fert, quodque colle-
« giata insignis proximior est cathedrali ac fere illam æmulatur.
« Unde doctores pro inspiciendo an collegiata sit insignis, rem
« arbitrio judicis relinquunt, ad instar probationis nobilitatis. »
(Cardinalis Petra, comment. in Const. 7 Innocentii IV, sect. 2, n. 35, in tom. III.)

Obligatio ad quotidianum officium in choro, a Tridentina synodo sancita (sess. 24, c. 12, De ref.), non attingit nisi capitula cathedralia et collegiatas *insignes*. Collegiatæ enim non insignes, licet regulariter ad idem teneantur, in triplici tamen casu eximuntur, nempe *primo*, si ecclesia sit ruralis ; *secundo*, si consuetudo contraria sit immemorabilis ; *tertio*, si reditus sint valde tenues (Vide Cardin. Petra, loco modo citato, n. 27.)

CAPUT IV

DE DEFINITIONE ET VARIIS SPECIEBUS CANONICORUM

Licet definito, quid sit capitulum, et expositis capitulorum variis speciebus, inutile videri possit eamdem quæstionem instituere quoad canonicos, qui nihil aliud sunt quam capituli membra, quædam tamen notiones, ad melius introspiciendam hujus institutionis ecclesiasticæ naturam non parum juvantes, cum voce ipsa *canonicorum* connectuntur ; quas ideo sub hoc speciali capite colligere et exhibere maluimus.

§ 1

DE ORIGINE ILLIUS VOCIS, CANONICUS

Inter varia quæ apud auctores occurrunt circa illius vocabuli etymologiam, duplex tantum opinio attendenda est. Cætera enim a viris parum eruditis prolata, omni fundamento destituuntur.

I^a *Sententia* — Desumit vocem illam a *canone*, sumpto pro *regula*, et indicante vitam regularem et communem, quam du-

Digitized by Google

cebant canonici eo tempore, quo hoc nomine donati sunt, per quam denominationem ab aliis clericis, eamdem vitam regularem non agentibus, distinguebantur. Et illa quidem opinio ab auctoribus generaliter recepta est. Jam, suo tempore, Alcuinus ad eam inclinasse videtur dum dicit (in homilia de zizania) : *est namque canon vitæ, ut dictum est, et est canon pecuniæ, videlicet alicujus pensionis certæ : unde solet dici : Solve mihi canonem meum, id est, pensionem meam. Eia ergo, o canonice, inveniamus a quo derivaris, id est, a canone pecuniæ, non a canone vitæ : id est, a canone regionis, non a canone religionis.* Ivo Carnutensis in sua epistola 203 sic habet : *Canonici appellati estis, quod canonicas regulas vos velle observare cæteris arctius devovistis.* Hinc generatim canonistæ vocabulum illud a *regula* derivare consueverunt : *Dicitur canonicus a canone, hoc est, a regula recte et bene vivendi, sub qua recipitur*, ait Scarfantonius (t. I, p. 5, edit. Lucæ, 1723).

II^a *Sententia* — Existimat vocem illam derivari a *canone* sumpto pro *catalogo*, in quo inscripti erant clerici alicui ecclesiæ inservientes, qui ideo dicebantur de canone seu de catalogo ecclesiæ, seu illius ecclesiæ canonici. Quam opinionem sustinet eruditus Sarnelli, Vigiliensis Episcopus (*Lettere ecclesiastiche*, tom. I, lettera 4). Per canonem autem intellectum olim fuisse prædictum catalogum, et per *canonicos* prædictos clericos huic catalogo inscriptos, probat præcipue ex sequentibus monumentis : Auctor græcus Balsamon, explicans quo sensu sanctus Basilius vocem canonicos usurpasset, sic habet : *Canonicos eos dicit qui in canone numerantur, scilicet clericos, monachos...* — Concilium autem Nicænum (canone 16) : *Sacerdotes, aut diaconi, aut generatim quicumque sunt in canone recensiti.* — Concilium Antiochenum, canone 2 : *Si quis deprehensus fuerit Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut alius qui de canone sit, cum excommunicatis communicans...* — Idem concilium, canone 6 : *Idem sit decretum circa sacerdotes et diaconos et omnes qui de canone sunt.* — Et iterum eadem synodus, canone 11 : *Si quis, Episcopus vel presbyter, aut generatim quis de canone.*— Concilium Chalcedonense, canone 2 : *Si quis Episcopus per pecunias promoveat vel œconomum, vel defensorem, vel mansionarium, vel omnino aliquem qui sit in canone...*

Digitized by Google

Concilium Laodicenum, canone 15 : *Non aliis licere intra ecclesiam canere quam canonicis cantoribus, qui ambonem conscendunt et de membranis legunt.* — Concilium Turonense II, anno 570, canone 20 : *Quotiescumque archi-presbyter, seu in vico manserit, seu ad villam suam ambulaverit, unus lector canonicorum suorum...* Ex illis monumentis putat Sarnelli se posse concludere canonicorum nomen olim attribui solitum fuisse iis omnibus clericis qui descripti erant in *canone* seu catalogo illius ecclesiæ, in cujus servitium fuerant ordinati.

Sententiam illam ante Sarnellum propugnaverat Cabassutius. Disserens enim in supra citatum canonem 15 Concilii Laodiceni sub Damaso papa, sic habet : *Observa hic etiam vocem canonicorum fuisse olim quoque cantoribus ecclesiasticis attributam... Isto itaque Laodiceno canone vocem canonicorum in ecclesiis affectam clericis cantoribus, observa esse vetustioris usus quam opinantur illi qui ejus originem ad canonicos regulares referunt, eo quod canon regulam apud Græcos significet. At Laodiceni concilii temporibus nondum institutio emerserat canonicorum dictorum regularium, hoc sensu, quod ad religiosam et asceticam professionem addicti erant, quæ eos a clero ut vocant sæculari secerneret. Enimvero ante istiusmodi institutionem regularem votis adstrictam, canonici denominabantur a canone, quatenus pro matricula seu catalogo usurpatur in ecclesia, ut tertii quartique sæculi testimoniis, plerisque huc adducendis compertum fiet, in quibus clerici de sportulis et oblationibus ecclesiarum participantes, clerici* DE CANONE *aut canonici vocabantur.* (*Notitia Conciliorum*, pag. 153, edit. Lugduni, 1680).

Existimat insuper Sarnelli vocabulum *canonicorum* non designasse primitus sacerdotes et diaconos qui proprie constituebant *presbyterium* seu *consilium Episcopi*, sed alios clericos inferiores; et officium cantandi hisce inferioribus fuisse proprium. Sacerdotes autem et diaconos presbyterii nedum divino cantui deputarentur, prohibitos fuisse ne tali officio vacarent, cum ad altiora intenti esse deberent. Quod probat hoc sancti Gregorii Magni decreto : *In sancta Romana ecclesia dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, ut quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur, et in diaconatus ordine constituti modulationi vocis inserviant, quos ad prædicationis officium*

Digitized by Google

et eleemosynarum studium vacare congruebat. Unde fit plerumque ut ad sacrum ministerium, dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligatur, et cantor minister Deum moribus stimulet, cum populum vocibus delectat. Qua in re præsenti decreto constituo, ut in hac sede sacri altaris ministri cantare non debeant, solumque evangelicæ lectionis officium inter missarum solemnia exsolvant : psalmos vero ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos, vel si necessitas exigit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentaverit, anathema sit. (C. *in sancta Romana*, dist. 92.) Quo citato monumento addit Sarnellus sibi non tantum risum, sed et admirationem movisse Episcopum illum, qui ut persuaderet canonicos ad cantum divini officii esse adstrictos, sic arguebat : « Vultis videre canonicos ad cantum ecclesiasticum teneri ? Attendite ad vocis etymologiam : *canonicus a canendo.* » Hic tria adnotabimus : 1° Certissimum est canonicos ad cantandum in choro divinum officium omnino teneri (ut infra fuse probabitur), licet non ex vocis etymologia, ut volebat memoratus Episcopus. 2° Si vera sit opinio Sarnelli, nempe eos qui primitus *canonici* dicti sunt non conflasse *presbyterium*, seu *concilium Episcopi* et *ecclesiæ senatum*, sed fuisse clericos inferiores, ab illo presbyterio, utpote solis presbyteris et diaconis constante, distinctos ; dicendum esset id mutatum postea fuisse, sive membra presbyterii nomen canonicorum induerint, sive collegium canonicorum in locum presbyterii transierit. Unde verum semper remaneret quod tradunt Thomassinus et alii communiter, cathedralis capituli institutionem veteri presbyterio seu consilio Episcopi successisse. Atque adeo æstimandam esse canonicorum institutionem, non ex eo quod forte fuerunt qui primitus dicti sunt canonici, sed ex eo quod fuit antiquum illud Episcopi concilium et ecclesiæ senatus cui certo successit cathedrale capitulum. 3° Si vera sit etymologia quam tradit Sarnellus, omnino evanescit difficultas apud auctores discussa, quomodo canonici dici potuerint alii *regulares*, et alii *non regulares :* in altera enim opinione canonicus regularis idem sonat ac *regularis regularis.*

Quonam vero tempore *canonicorum* denominatio apud Occidentis ecclesias in usum venerit, in latebris antiquitatis latet. At vero jam a sexto saltem sæculo usurpari solitum fuisse illud vo-

Digitized by Google

cabulum eodem quo apud nos sensu, facile probant eruditi.

« Si, uti nonnulli existimant, rerum ortus ad tempus sibi parti « cognominis est referendus, canonici haud magno sunt natu, nec « sæculo sexto grandiores. Prima enim canonicorum mentio et « usurpatio occurrit in Concilio Arvernensi, canone 25, anno 531 : « *Si quis ex presbyteris aut diaconis qui neque in civitate, neque in « parochiis canonicus esse dignoscitur, sed in villulis habitans, « in oratoriis officio sancto deserviens celebrat divina mysteria, « festivitates præcipuas, Domini natale, Pascha, Pentecosten, « et si quæ principales sunt, nullatenus alibi, nisi cum Epi- « scopo suo in civitate teneat.* Alia canonicorum commemoratio « habetur in Canone 11, synodi Aurelianensis III, anni 538 : « *Inter reliquos canonicos clericos, ne hac licencia alii vitientur, « nullatenus habeantur; neque ex rebus ecclesiasticis cum ca- « nonicis stipendia aut munera ulla percipiant.* Si in Gregorii « Turonensis scripta incidis, canonicorum etiam mensam offen- « dis, anno 574, in vita S. Patrocli, c. IX : *Sanctus Patroclus « officium diaconatus sumens vacabat jejuniis, atque in ora- « tione assidua promptus effundebatur, ut nec ad convivium « mensæ canonicæ cum reliquis accederet clericis; quod au- « diens archidiaconus ait : Aut cum reliquis fatribus cibum « sume, aut certe discede a nobis; non enim rectum videtur ut « dissimules cum his habere victum, cum quibus ecclesiasticum « implere putaris officium.* Et in *historia*, libro X, de Dandido « Turonensi Episcopo hæc scribit : *Hic mensam canonicorum « instituit.* Canonicorum nomen reperitur etiam in testamento « Berticranni Episcopi Cenomanensis, anno 615 exarato, in « quo hæc leguntur : *Agericus Episcopus Turonensis nobis « vendidit portionem villæ, quæ S. Martini fuit, et venditio- « nem cum canonicis suis nobis fecit.* Atque itidem in tabulis « Lonegisili monachi, conscriptis anno 625, in quibus is spon- « det, *se soluturum ad opus canonicorum Cenomanensium duo « modia vini ad charitatem faciendam.* Quod si alia quæris « monumenta quæ tibi ante Pipini et Chrodogandi tempora ca- « nonicorum mentionem injiciant, habe ea apud Dubois (in *Hist. « eccl. Paris.* l. IV, c. 5, pag. 180), ubi Landericus Episcopus « Parisiensis ita ait : *Quapropter noverit omnium Catholicæ « Ecclesiæ cultorum generalis universitas, quod dominus glo-*

Digitized by Google

« *riosissimus Clodovicus Francorum rex, divino irradiatus lu-* « *mine, religiosa petitione humilitatis nostræ extremitatem* « *poposcit, ut et nos et canonicorum nostrorum communis fra-* « *ternitas*... Et apud Mabillonium (in præf. act. Benedict. ad « sæcul. III, part. I, pag. 20), ubi recitantur litteræ Stephani « Papæ hisce ferme verbis : *Et quoniam ad preces Chludovici* « *filii Dagoberti regis, dominus Landericus Parisiacæ Urbis* « *Episcopus a sua et omnium suorum successorum potestate* « *deinceps cum consilio suorum canonicorum et fratrum suo-* « *rum coepiscoporum regionis illius*... Vide eumdem Mabillo- « nium (part. II, ad sæcul. III, act. Benedict. pag. 336). » Ita Joannes Politi in suo opere cui titulus *Jurisprudentia ecclesiastica universa*, tom. V, pag. 1, edit. Venet. 1790.

§ 2

QUÆNAM SIT RECTA CANONICORUM DEFINITIO

Cum supra definitum fuerit quid sit capitulum, et canonicus nihil aliud sit quam unus ex membris capituli, jam supervacaneum est huic quæstioni immorari. Notandum tamen, cum dicitur canonicum esse unum de capituli membris, addendum esse *proprie dictis;* quia capitulum sibi adjuncta habere potest in auxilium ad varia obeunda munia clericos alios sub nomine beneficiatorum, vel coadjutorum, vel capellanorum, vel mansionariorum ; qui licet aliquo sensu ad capitulum pertineant et unum quid cum eo efficiant, non tamen sunt capituli stricte sumpti membra.

§ 3

CANONICORUM VARIÆ SPECIES

1° Distinguuntur in *cathedrales* et *collegiales*, juxta sensum modo enuntiatum quoad capitula. 2° In *canonicos præbendarios*, qui nempe præbendam habent; et simpliciter canonicos qui præbenda carent. 3° In *numeratos*, et *supranumerarios*. Quando nempe determinatus fuit aliquis certus canonicorum numerus qui mutari non debeat, canonici præter istum numerum admissi di-

Digitized by Google

cuntur supranumerarii. 4° Supranumerarii subdividuntur in tres species, quorum alii a Summo Pontifice creantur canonici cum *expectativa* primæ præbendæ vacaturæ; alii fiunt canonici tantum ad honorem, et dicuntur canonici honorarii; alii superadduntur cum fundatione novæ præbendæ. 5° Præcipue olim distinguebantur in regulares et sæculares. Cum autem de canonicis regularibus vix quidquam in decursu operis dicturi simus, ne omnino prætermittatur notio de jure quo regebantur, et ut intelligi valeant quæ de ipsis apud canonistas occurrunt, in sequenti paragrapho magis scitu necessaria subjungimus.

§ 4

NOTIO DE CANONICIS REGULARIBUS

Licet jam a multo tempore sæcularisata fuerint capitula canonicorum regularium, et fere ubique desierint, non tamen abs re erit, præcipuas saltem indicare juris quæstiones quas fuse olim canonistæ tractabant. Hæc de hujusmodi capitulis tradit et probationibus firmat Barbosa in suo tractatu de canonicis, capite I :

1° Canonici regulares cathedralium seu aliarum ecclesiarum habent bona saltem ad usufructum, et possunt de illis bonis inter vivos ad opera pia disponere.

2° Episcopus in canonicos regulares cathedralium (exceptis iis quæ concernunt regularia instituta) habet omnimodam jurisdictionem, licet non sit religiosus.

3° Episcopus si fuerit simul abbas in sua cathedrali regulari, habet omnimodam jurisdictionem in canonicos regulares suæ cathedralis, etiam in iis quæ concernunt regularia instituta.

4° Episcopus, si fuerit simul abbas in sua cathedrali regulari, repræsentat duplicem personam, videlicet proprii et veri abbatis in concernentibus regularia instituta, et simul proprii Episcopi quoad reliqua; et sic potest dici abbas et Episcopus.

5° Episcopus abbas dum confert canonicatum vel dignitatem in sua cathedrali ecclesia regulari, non confert tamquam abbas, sed tamquam Episcopus, et canonicus sic provisus non potest amoveri per superiorem regularem.

6° Episcopus abbas, in iis quæ ad regulam canonicorum re-

Digitized by Google

gularium pertinent, pro vicario uti debet aliquo monacho, non autem sæculari.

7° Episcopus in puniendis delictis canonicorum regularium, non indiget consensu neque etiam consilio capituli.

8° Non potest mutare statum regularitatis.

9° Canonicus regularis qui portionis vel bonorum sibi concessorum dominium usurpat, et non est paratus ea relinquere ad nutum superioris sui, peccat contra votum paupertatis.

Ex paucis istis intelligi potest, cujus conditionis olim essent et quo jure regerentur capitula canonicorum regularium, seu communem et aliquatenus monasticam vitam agentium.

SECTIO II

QUID SIT CAPITULUM QUOAD VARIAS PERSONAS QUIBUS COALESCIT VEL QUÆ IPSI APTANTUR

Jam ad introspiciendam capitulorum institutionem propius accedendum est. Imprimis autem ad accuratam hujusmodi notionem confert personarum quibus coalescit capitulum enumeratio, et de cujusque earum ordine, officio, juribus et prærogativis indagatio.

CAPUT I

QUIBUS PROPRIE PERSONIS CONSTITUATUR CAPITULUM

I. *Episcopus et abbas non sunt proprie de capitulo.* — « Prælatus, puta Episcopus, Abbas, non venit nomine capituli, « seu una cum capitularibus constituit capitulum; sed ut di- « versa, et unum in altero non contentum, distinguuntur, licet « de cætero faciant unam ecclesiam, velut caput et membra « unum corpus; et sic dici potest (Episcopus) spectare ad ec- « clesiam, non vero ad capitulum ecclesiæ. (Tamquam idem do- « centes citat Leurenius Barbosam, Pirrhing, Reiffenstuel et « alios, tum addit :) Et hæc quidem proprie et in rigore lo- « quendo; nam in largiori significatione et in materia favorabili, « nomine capituli comprehendi etiam Prælatum veluti caput il-

Digitized by Google

« lius principale, fatetur Ancharanus et Abbas. » (Leurenius, *Forum eccles.*, lib. III, tit. II, quæst. 125.)

II. *Utrum Decanus sit proprie de capitulo* — Eum esse de capitulo contendit Leurenius (*Forum eccles.*, lib. III, tit. XI, quæst. 125), et adducit Pirrhing et Reiffenstuel tamquam eamdem amplexos sententiam. Nihilominus tenent Fagnanus et Barbosa decanum non esse de capitulo, nisi simul sit canonicus, vel nisi sic habeat consuetudo. (Vide Leurenium loco citato.) Non videtur aliter dicendum de decano ac de aliis dignitatibus : seclusa scilicet contraria consuetudine decanus non est de capitulo nisi simul sit canonicus.

III. *Vicarius generalis Episcopi non est de capitulo.* — « Vi-
« carium generalem Episcopi, dum canonicus est, esse de capi-
« tulo et vocem in eo habere dubium non est; quamvis sedere
« debeat et dare votum loco suo capitulari, habito nimirum res-
« pectu ancianitatis et dignitatis cæterorum canonicorum (Vin-
« trig., t. II, annot. 14, § 2, n. 14. — Barbosa, *De canonicis*,
« cap. 15, n. 12); et si tractandum sit de rebus ad sui vel Epis-
« copi sui commodum spectantibus, debet exire de capitulo.
« (Ventrig. et Barbosa, locis citatis, testantes sic decisum a con-
« gregatione Episcoporum et regularium.)

« Si vero canonicus non est, adeoque nec de capitulo, eidem
« intervenire nequit, etiam absente Episcopo. (Pignatelli, con-
« sult. 154, n. 6.) Unde etiam eum admittere non tenentur ca-
« nonici, etsi possint, nisi forte consuetudine vel alio speciali
« jure id ei competeret, aut etiam interveniret ad sedanda scan-
« dala tumultuantium in capitulo canonicorum. In quo casu
« eum admittere tenentur, etsi tunc nullum possit ferre suffra-
« gium. » (Leurenius, *Forum eccles.*, lib. III, tit. XI, quæst. 125.)

IV. *Aliæ dignitates, præter decanatum* (1) *non sunt de capitulo.* — « Soli canonici constituunt capitulum seu sunt capi-
« tulares; ita ut etiam Præpositi, dum non sunt canonici, non
« constituant una cum canonicis capitulum. Idem est de aliis
« dignitatibus, si canonicali præbenda careant... De jure com-
« muni dignitates non sunt de capitulo, nisi in earum erectione
« exprimatur concessio stalli in choro, et vocis in capitulo, vel
« nisi statuto vel consuetudine disponatur quod sint de capitulo. »

(1) De quo aliquatenus controvertitur, sed sine fundamento, ut modo dictum est.

Digitized by Google

(Leurenius, *Forum eccles.* in tit. XI, lib. III, Decretalium, quæst. 124.)

« In ecclesia sæculari, nomine capituli venire tantum cano-
« nicos, regulariter est dicendum. (Rota, decisio 144, n. 2,
« partis 19 recentium.) Unde excluduntur dignitátes, quæ non
« dicuntur de capitulo, quamvis in Italia de consuetudine di-
« cantur de capitulo... Et sic regula extra Italiam est, ut digni-
« tates non sint de capitulo, in Italia vero quod sint; utraque
« tamen regula limitationem accipiente ex contrario usu. »
(Card. Petra, Commentarium in primam constitutionem S. Leonis Magni, sect. 2, n. 9.)

« De jure dignitates cathedrálium non sunt de gremio et
« corpore capituli, quod per solos canonicos constituitur...
« Verum quotiescumque consuetudo invaluerit, per quam di-
« gnitates fuerint admissæ ad pertractanda negotia capitularia,
« ac in eis vocem activam et passivam habuerint insimul cum
« canonicis, vel ex statuto ecclesiæ, sive ex fundatione vocem
« habeant in capitulo, de ejus gremio reputandæ sunt... Eoque
« maxime prædictæ dignitates reputandæ sunt de corpore capituli,
« si in traditione possessionis fuerit eisdem dignitatibus assigna-
« tum capitulariter stallum in choro et locus in capitulo; cum
« talis installatio importet concessionem pleni juris canonici. »
(Scarfantonius, t. I, p. 177, editio Lucensis, 1723.)

V. *Coadjutor Episcopi non est de capitulo, nisi sit simul canonicus.* — Illud etiam docet Leurenius, loco citato, quæstione 125. Si autem coadjutor Episcopi sit canonicus, an debeat exire quando tractatur negotium, illius aut coadjuti utilitatem principaliter concernens? Affirmant Barbosa, Garcia, Vintriglia, sed negant alii. (Vide Leurenium, loco citato.)

VI. *Cæteri qui non sunt de capitulo.* — Inter eos qui de capitulo non sunt, enumerat Leurenius coadjutores canonicorum (loco citato, quæst. 125, n. 4), capellanos, vicarios, portionarios, aliosque beneficiarios non canonicos, licet hi omnes in celebratione missarum choroque assistant. Item canonici supernumerarii (alias nuncupati Domiciliares) non pertinent ad capitulum, nec sunt ad illud vocandi.

« Nomine capituli nec etiam veniunt beneficiati, nec capel-
« lani, seu portionarii, etsi perpetui. Beneficiati enim debent

Digitized by Google

« obsequi canonicis, nec eis parificari. » (Petra, in I const. S. Leonis Magni, sect. 2, n. 11, tom. I.)

« Rota sæpius approbavit, etiam de jure communi, quod « capitulum constituunt soli canonici, et non portionarii... et « hanc opinionem doctores communiter sequuntur. Limitatur « communiter ut non procedat ubi statuto vel consuetudine « aliter cavetur, scilicet portionarios esse de capitulo. Prout « etiam dicitur, quod licet decanus et aliæ dignitates non sint « de capitulo, tamen secus ubi statutum vel consuetudo eccle- « siæ disponit quod censeantur esse de capitulo. » Ita Rubeus (Singularia ex Rotæ decisionibus, T. II, p. 29, edit. Rom. 1637), qui multis allegationibus hæc asserta probat.

VII. Ex præmissis concludendum est, attento rigore juris communis dignitates non magis esse de capitulo, quam beneficiatos, capellanos et portionarios; utrosque tamen ex statuto et consuetudine posse esse de capitulo. Est tamen, dignitates inter et cæteros dictos, magnum discrimen. Nam dignitates solent ex statuto vel consuetudine esse de capitulo; ita ut in Italia, testante cardinali Petra, id regulariter locum habeat, et in aliis regionibus frequenter. At contra rarissimum est ut ex statuto, vel sufficienter probata consuetudine, ad cæteros supradictos pertineant jura canonialia. Dignitates quidem admitti in gremium capituli decet valde, et honorificum est capitulo, nedum noxium. Cæteris autem, cum sint canonicis inferiores, si concedantur omnia jura canonialia, ita ut de capitulo haberi debeant, est quidem honorificum et proficuum ipsis, non capitulo; nam ex illa accessione aliquo modo capitulum decrescit.

CAPUT II

DE DUPLICI CAPITULI CAPITE

I. Capituli cujuslibet caput duplex est, nempe principale et numerale. *Principale* est Episcopus, sive alius prælatus habens territorium et jurisdictionem quasi episcopalem. *Numerale* est primus in numero sive in ordine eorum quibus constat capitulum. (Apud Scarfantonium, lib. IV, tit. I, n. 8.)

Ex eo tamen quod duplex caput habeat capitulum, tanquam

Digitized by Google

monstruosum corpus non est habendum. Non enim habet duo illa capita sub eodem respectu, sed sub diverso. Quatenus scilicet constituit *senatum ecclesiæ* et *consilium natum* Episcopi, habet pro capite ipsummet Episcopum; et sic considerata, membra capituli sunt ipsius Episcopi adjuvantia membra; sub quo respectu Episcopus est vere de corpore capituli, ipsius nempe pars principalis et nobilissima: repugnat enim eum non esse de corpore capituli sub eo respectu, sub quo est illius corporis caput.

Quatenus vero capitulum habet jura, et interesse, et officia sibi propria, constituit corpus ab Episcopo sejunctum. Et sub hoc respectu Episcopus non est de corpore capituli; sed capitulum aliud habet proprium sibi caput, cum quo efficit integrum aliquod corpus sociale; unde fit ut Episcopus non habeat vocem in negotiis capitularibus, ut docent canonistæ omnes; ex quibus satis erit adduxisse Scarfantonium (Tom. II, pag. 105, n. 19, edit. Lucæ, 1723): « Episcopus, sive Prælatus gaudens jurisdictione quasi episcopali, licet sit semper « caput principale capituli, nihilominus regulariter non ve- « niunt nomine capituli, nec dicuntur esse de capitulo, neque « habent vocem in negotiis capitularibus. Ratio est quia sunt « contradistincti et segregati a capitulo. »

Attendenda omnino est fundamentalis hæc et propria capitulorum constitutio, ut intelligatur ratio eorum, quæ a jure de hujusmodi clericorum corporibus statuta sunt.

II. Jam vero si quæratur quodnam sit caput *numerale* capituli, fatemur nobis occurrisse difficultatem, cujus plenam solutionem nondum apud auctores invenimus. Docent quidem eum qui præest capitulo, et qui hoc ipso de jure (nisi aliter statuatur) jus habet coadunandi capitulum, quocumque nomine vocetur, censeri debere tanquam *primam* capituli *dignitatem*. Sed docent simul (ut capite præcedenti vidimus, et ut plenius dicetur infra cap. V, ubi agemus de dignitatibus in genere) dignitates de jure non esse de capitulo. Unde inferunt etiam dignitatem illam quæ convocat capitulum et illi præest non esse de corpore capituli, nec habere vocem in capitulo, nisi hoc obtineat ex locali statuto aut consuetudine, aut sit simul canonicus (1).

(1) Beneficium quod habet titulum archidiaconatus, aut propositurae, aut deca-

Digitized by Google

Hinc difficultas, an archidiaconus, verbi gratia, aut præpositus, in diplomate apostolico erectionis tanquam *prima dignitas* enuntiatus, sit necne caput numerale capituli. Si enim est caput, quomodo non est de corpore cujus est caput, et non habet vocem sicut alia membra, et quomodo stare potest quod nulla dignitas, etiam prima, de jure, et præscindendo a speciali statuto et consuetudine, sit de capitulo? Si autem non sit caput, quomodo ad eum pertinet præsidere et convocare, et præterea, quodnam erit tunc verum caput et quænam ipsius jura?

In praxi quidem evanescit prædicta difficultas, quando primæ dignitati assignatur non tantum stallum in choro, sed insuper locus in capitulo; quia per talem installationem certum est acquiri plenum jus canoniæ, ac proinde etiam vocem activam et passivam; unde tali modo installata prima dignitas erit procul dubio de corpore capituli et ipsius caput. Si vero capitulares ei denegent locum et vocem in capitulo, redit exposita difficultas, quam doctioribus enodandam relinquimus.

III. « Non est de essentia capituli hujusmodi caput (nempe « *numerale*)... sed sufficit quod illud habeat in potentia. Unde « eo defuncto vel absente, remanet capitulum, et antiquior ca- « nonicus, hoc est major de capitulo, restat caput. » (Ceccoperius, l. IV, t. I.)

IV. « Canonici non dicuntur membra hujusmodi capitis. « Præfatum tamen caput numerale, sive in ordine, est mem- « brum nobilius ipsius capituli. » (Ceccoperius, loco cit., n. 12.)

CAPUT III

QUOMODO EX LEGE TRIDENTINA OMNES CANONICATUS ANNECTI DEBEANT TRIBUS MAJORIBUS ORDINIBUS, NEMPE PRESBYTERATUS, DIACONATUS ET SUBDIACONATUS.

I. In capitulis diu non fuere nisi presbyteri et diaconi. « Sicut « instituta a Christo hierarchia, inquit Thomassinus, non

natus, non est præbenda *canonialis*, ac proinde per se solum non dat jus ad *canoniam* sed ad *dignitatem* vel *officium* quæ his titulis correspondent.

Digitized by Google

monstruosum corpus non est habendum. Non enim habet duo illa capita sub eodem respectu, sed sub diverso. Quatenus scilicet constituit *senatum ecclesiæ* et *consilium natum* Episcopi, habet pro capite ipsummet Episcopum; et sic considerata, membra capituli sunt ipsius Episcopi adjuvantia membra; sub quo respectu Episcopus est vere de corpore capituli, ipsius nempe pars principalis et nobilissima: repugnat enim eum non esse de corpore capituli sub eo respectu, sub quo est illius corporis caput.

Quatenus vero capitulum habet jura, et interesse, et officia sibi propria, constituit corpus ab Episcopo sejunctum. Et sub hoc respectu Episcopus non est de corpore capituli; sed capitulum aliud habet proprium sibi caput, cum quo efficit integrum aliquod corpus sociale; unde fit ut Episcopus non habeat vocem in negotiis capitularibus, ut docent canonistæ omnes; ex quibus satis erit adduxisse Scarfantonium (Tom. II, pag. 105, n. 19, edit. Lucæ, 1723): « Episcopus, sive Prælatus gaudens jurisdictione quasi episcopali, licet sit semper « caput principale capituli, nihilominus regulariter non ve« niunt nomine capituli, nec dicuntur esse de capitulo, neque « habent vocem in negotiis capitularibus. Ratio est quia sunt « contradistincti et segregati a capitulo. »

Attendenda omnino est fundamentalis hæc et propria capitulorum constitutio, ut intelligatur ratio eorum, quæ a jure de hujusmodi clericorum corporibus statuta sunt.

II. Jam vero si quæratur quodnam sit caput *numerale* capituli, fatemur nobis occurrisse difficultatem, cujus plenam solutionem nondum apud auctores invenimus. Docent quidem eum qui præest capitulo, et qui hoc ipso de jure (nisi aliter statuatur) jus habet coadunandi capitulum, quocumque nomine vocetur, censeri debere tanquam *primam* capituli *dignitatem*. Sed docent simul (ut capite præcedenti vidimus, et ut plenius dicetur infra cap. V, ubi agemus de dignitatibus in genere) dignitates de jure non esse de capitulo. Unde inferunt etiam dignitatem illam quæ convocat capitulum et illi præest non esse de corpore capituli, nec habere vocem in capitulo, nisi hoc obtineat ex locali statuto aut consuetudine, aut sit simul canonicus (1).

(1) Beneficium quod habet titulum archidiaconatus, aut propositurae, aut deca-

Digitized by Google

Hinc difficultas, an archidiaconus, verbi gratia, aut præpositus, in diplomate apostolico erectionis tanquam *prima dignitas* enuntiatus, sit necne caput numerale capituli. Si enim est caput, quomodo non est de corpore cujus est caput, et non habet vocem sicut alia membra, et quomodo stare potest quod nulla dignitas, etiam prima, de jure, et præscindendo a speciali statuto et consuetudine, sit de capitulo? Si autem non sit caput, quomodo ad eum pertinet præsidere et convocare, et præterea, quodnam erit tunc verum caput et quænam ipsius jura?

In praxi quidem evanescit prædicta difficultas, quando primæ dignitati assignatur non tantum stallum in choro, sed insuper locus in capitulo; quia per talem installationem certum est acquiri plenum jus canoniæ, ac proinde etiam vocem activam et passivam; unde tali modo installata prima dignitas erit procul dubio de corpore capituli et ipsius caput. Si vero capitulares ei denegent locum et vocem in capitulo, redit exposita difficultas, quam doctioribus enodandam relinquimus.

III. « Non est de essentia capituli hujusmodi caput (nempe « *numerale*)... sed sufficit quod illud habeat in potentia. Unde « eo defuncto vel absente, remanet capitulum, et antiquior ca- « nonicus, hoc est major de capitulo, restat caput. » (Ceccoperius, l. IV, t. I.)

IV. « Canonici non dicuntur membra hujusmodi capitis. « Præfatum tamen caput numerale, sive in ordine, est mem- « brum nobilius ipsius capituli. » (Ceccoperius, loco cit., n. 12.)

CAPUT III

QUOMODO EX LEGE TRIDENTINA OMNES CANONICATUS ANNECTI DEBEANT TRIBUS MAJORIBUS ORDINIBUS, NEMPE PRESBYTERATUS, DIACONATUS ET SUBDIACONATUS.

I. In capitulis diu non fuere nisi presbyteri et diaconi. « Sicut « instituta a Christo hierarchia, inquit Thomassinus, non

natus, non est præbenda *canonialis*, ac proinde per se solum non dat jus ad *canoniam* sed ad *dignitatem* vel *officium* quæ his titulis correspondent.

Digitized by Google

« constat nisi Episcopis, presbyteris et diaconis, ita capitula, « seu sacri principatus effigies luculentissimæ, presbyteris tan- « tum constabant olim et diaconis, in unum cum Episcopo « senatum consiliumque conscriptis. Pascalis II (epis. 10) « Episcopo compostellano formam delineans componendæ « ecclesiæ suæ, jubebat ut presbyteros in ea et diaconos car- « dinales institueret, quibus consiliariis et cooperatoribus ute- « retur : *Cardinales in ecclesia tua presbyteros seu diaconos « tales constitue, qui digne valeant commissa sibi ecclesias- « tici regiminis onera sustinere.* »

II. « At cum Urbani II tempore cœpisset subdiaconatus in « sacros ordines evehi, tunc quoque cum subdiaconis commu- « nicari cœpere potissima quæque canonicorum jura et orna- « menta, ut et superiores sedes implerent, et jure suffragii poti- « rentur in capitulo. » (Thomassinus, *Vetus et nov. discipl.* parte I, l. III, c. 10.) Irrepente autem abusu, multis in locis invaluerat et capitula deturpabat consuetudo in canonicos recipiendi etiam eos qui ne subdiaconatui quidem initiati fuerant, nec ad eam quæ decet ætatem pervenerant.

III. His mederi volens sacrum Concilium Tridentinum, non tantum (sess. 24, c. 4) voce privatum in capitulo voluit quemlibet canonicum subdiaconatui nondum initiatum, sed præterea ita decrevit sessione 24, c. 12 : *In omnibus ecclesiis cathedralibus, omnes canonicatus et portiones habeant annexum ordinem presbyterii, diaconatus vel subdiaconatus. Episcopus autem cum consilio capituli designet ac distribuat prout viderit expedire, quibus quisque ordo ex sacris annexus in posterum esse debeat; ita tamen ut dimidia saltem pars presbyteri sint; cæteri vero diaconi aut subdiaconi. Ubi vero consuetudo laudabiliter habet ut plures vel omnes sint presbyteri, omnino observetur.*

IV. Ex lege illa Tridentina hæc concludenda veniunt :

Primo. Non comprehenduntur hoc decreto præbendæ dignitatum, cum de ipsis Tridentina synodus sileat, sed tantum præbendæ canoniales et portiones. Unde præbendæ dignitatum non sunt de jure annexæ, nec necessario annectendæ alicui certo ordini sacro ; sed remanent quoad illud subjectæ juri communi ante Concilium Tridentinum vigenti. Ita canonistæ

Digitized by Google

communiter. Item non comprehenduntur capitula collegiatarum, de quibus silet Tridentinum.

Secundo. Ubi viget consuetudo ut omnes canonici sint sacerdotes, nullam tenetur Episcopus facere ordinum sacrorum annexionem præbendis canonialibus. Nam cum Tridentina synodus expresse decreverit hanc servari laudabilem consuetudinem, jam alicui ex majoribus ordinibus, nempe presbyteratui, omnes præbendæ canoniales sunt ex vi ipsiusmet consuetudinis et decreti Tridentini annexæ. Imo in hoc casu violaretur lex Tridentina si pars aliqua canonialium præbendarum annecteretur *proprie* diaconatui aut subdiaconatui; quia ex ista annexione proprie dicta sequeretur diaconos et subdiaconos posse de his præbendis provideri, quod expresse reprobat Tridentinum, dum jubet servari, ubi viget, consuetudinem non promovendi ad canonicatum nisi sacerdotes.

An autem in casu talis consuetudinis debeat nihilominus Episcopus annexionem facere improprio sensu et mere *nuncupativam*, ita ut scilicet, quamvis omnes canonici debeant esse sacerdotes, alii tamen titulum canonicorum presbyterorum, alii canonicorum diaconorum, alii canonicorum subdiaconorum sortiantur, et juxta titulos istos præcedentia reguletur? Omnino negandum videtur, cum nihil hujusmodi præscribat præallatum decretum Tridentinum. Nulla, mihi saltem, occurrerunt jura quæ id suadeant. Nec afferatur exemplum sacri cardinalium collegii aut aliquorum Romæ capitulorum, in quibus retinentur tituli diaconales et subdiaconales, etiam quando cardinales aut canonici illos obtinentes sunt presbyteri: nam ideo ibi retinentur tituli diaconales et subdiaconales, quia eos obtinere possunt diaconi et subdiaconi, licet de facto sæpe accidat ut presbyteris aut etiam Episcopis conferantur. Id vero locum non habet ubi, ita exigente consuetudine per Tridentinum firmata, presbyteratui exclusive debentur omnes canoniales præbendæ.

Tertio. In facienda distributione sacrorum ordinum tenetur Episcopus consilium capituli expostulare, sed non tenetur illud sequi. Ita doctores communiter.

Quarto. Prædictam ordinum sacrorum distributionem et annexionem, faciendam quidem ab Episcopo præscripsit Tri-

Digitized by Google

dentina synodus, sed ipsamet non fecit. Hinc ubi executioni nondum fuisset ab Episcopis mandata lex illa Tridentina, occurrit magni momenti consectarium : ibi nempe non applicari posse jus Tridentinum quoad ætatem et ordinem sacrum requisita, sed adhuc ea pendere a jure communi ante Tridentinam synodum vigenti. « Dicendum est, ante specialem « annexionem Episcopi, ad obtinendos canonicatus vel por- « tiones in cathedrali ecclesia non exigi ætatem ad ullum sa- « crum ordinem requisitam; sed sufficere habilitatem præ- « scriptam a jure communi. Et hanc sententiam jam pridem « probavit sacra congregatio Cardinalium ejusdem concilii « interpretum. Nam Ferdinandus, ætatis annorum 18, obti- « nuit canonicatum in cathedrali Ovetensi; quo cum Episcopus « vellet eum privare, quia non erat in tali ætate ut infra tempus « a jure statutum saltem ad subdiaconatum promoveri posset, « adiit sacram congregationem concilii dicens, sufficere ut sit « in ætate habili de jure communi ad obtinendum canonicatum, « nempe 14 annis completis. Nam concilium in hoc casu non « potest habere locum, cum in dicta ecclesia adhuc non sit « facta ordinum distributio. — Sacra congregatio censuit non « posse privari, et si non sit in ea ætate qua ad subdiaconatum « promoveri possit, si Episcopus nondum distribuit quibus « quisque ordo ex sacris annexus esse debeat, prout concilium « mandat. Itaque monendum eum ne id facere differat am- « plius. » (Fagnan, in C. *Cum in cunctis*, de electione, n. 71.)

V. Quid juris quoad præsentem ecclesiarum Galliæ statum? — Quando anno 1801, vi Bullæ *Qui Christi Domini* suppressæ et penitus extinctæ fuerunt omnes ecclesiæ Galliæ, novæ quæ erectæ sunt, hoc ipso quod nasci tunc tantummodo incipiebant, nullam habebant consuetudinem, nullum proinde jus ex consuetudine. Consuetudo ergo illa laudabilis (de qua in modo citato Tridentino decreto) ut non nisi sacerdotes canonicatibus provideantur, in hujusmodi recentibus ecclesiis non vigebat; etsi viguisset in ecclesiis extinctis. Attento ergo solo jure communi, potuissent primi harum sedium Episcopi, potuissent et successores per aliquot annorum spatium, canonicatus annectere alios presbyteratui, alios diaconatui, alios subdiaconatui : quo facto, recipi potuissent in canonicos etiam

Digitized by Google

diaconi et subdiaconi. Laudabilius tamen, ad mentem Tridentini concilii, sacerdotes tantum in capitulis admissi sunt.

Jam vero elapsis plusquam 40 annis, laudabile illud factum vim consuetudinis obtinuit, quæ consuetudo ubicumque reperiatur in legem omnino servandam a Tridentino erecta est. Ergo quod potuissent, attento jure communi, priores illi Galliarum præsules, jam nullatenus possunt hodierni Episcopi. Non possunt scilicet aliquas canoniales præbendas annectere diaconatui aut subdiaconatui; sed ex ipsa jam invecta consuetudine omnes canonicatus sacerdotibus conferendi sunt. Unde jam videtur nullam existimandam fore factam canonicatus collationem clerico non sacerdoti, aut qui ad sacerdotium saltem infra annum evehi nequeat.

CAPUT IV

DE NUMERO CANONICORUM, ET QUATENUS AUGERI VEL MINUI POSSIT

1. « In cathedralibus ecclesiis tot numero canonici debent « esse, quot pro servitio ecclesiæ satisfacere possint. » (Barbosa, *De can.*, cap. 3, n. 1.) Quisnam autem sit numerus ille sufficiens, non determinatur a jure, et relinquitur judicio Summi Pontificis, ad quem solum pertinet capitula cathedralia erigere.

In collegialibus ecclesiis nihil pariter statuitur a jure, et certum est tantum collegiatam erigi non posse cum paucioribus quam tribus; licet semel erecta, subsistere possit collegialitas in duobus membris, et etiam in uno.

2. Ecclesia est vel *numerata,* vel *non numerata.* Quando per aliquod statutum determinatus fuit numerus canonicorum ea lege ut nequeat alterari, Ecclesia dicitur *numerata.* Quando non ita determinatus fuit canonicorum numerus, Ecclesia non est nec dicitur *numerata.* (Vide Barbosam, *De canonicis*, cap. 3.)

3. Ecclesia cathedralis potest effici *numerata* tripliciter: nempe vel a Papa ipso numerum canonicorum determinante, et irritante omne in posterum hujus numeri augmentum; vel ab Episcopo de consilio capituli; vel a diuturna consuetudine habendi numerum canonicorum tanquam determinatum et non augendum. (Barbosa, loco citato.)

4. Ecclesia collegialis potest insuper effici *numerata* per ipso-

Digitized by Google

rummet canonicorum statutum, accedente consensu Episcopi. (Barbosa, loco citato.)

5. A solo Papa augeri potest canonicorum numerus in triplici sequenti casu: *primo*, quando Ecclesia facta est *numerata* per statutum Summi Pontificis; *secundo*, quando facta est *numerata* per diuturnam consuetudinem; *tertio*, quando licet *numerata* fuerit tantum per Episcopum et capitulum, canonici juramentum coram Papa emiserunt de non augendo numero. Extra illos tres casus potest numerus augeri per Episcopum cum capitulo, etiam in ecclesiis numeratis; potest scilicet Episcopus de consensu capituli abrogare statutum de non augendo numero.

6. « Supernumerarii canonici illi dicuntur, qui in canonico-
« rum collegium cooptantur et canonici creantur ultra nume-
« rum certum præbendarum et canonicatuum, absque ulla præ-
« benda ipsis statim attributa... ; in ecclesiis scilicet, in quibus
« consuetudine, privilegio, vel statuto est *certus numerus* præ-
« bendarum constitutus, non in aliis: quia ubi non est certus
« numerus præbendarum vel canonicorum, si unus aut plures
« recipiantur in canonicos, ii numerum non excedunt. Ita Azor
« in *Institutionibus moral.*, *parte* 2, *l.* III, *c.* 11, *q.* 14. » (Barbosa, *De can.*, cap. 3, n. 12.)

7. Certum est numerum canonicatuum et præbendarum posse in aliquibus casibus ab Episcopo, consentiente capitulo, minui: sic enim decrevit Concilium Tridentinum (sess. 24, c. 15, de ref.): *In ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus, ubi frequentes, adeoque tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu capituli, vel aliquot simplicia beneficia* (*non tamen regularia*) *iis unire; vel si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex eis suppressis* (*cum patronorum consensu si de jure patronatus laicorum sint*), *quarum fructus et proventus reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicentur eas ad pauciorem numerum reducere; ita tamen ut tot supersint quæ divino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiæ commode valeant respondere.*

Ad rectam intelligentiam hujus Tridentini decreti quædam advertenda sunt: *primo*, facultas concessa Episcopo supprimendi,

Digitized by Google

cum consensu capituli, quosdam canonicatus cum suis præbendis, non extenditur ad canonicatus auctoritate Papæ firmatos cum decreto de non mutando numero. (Barbosa, *De canonicis*, c. 4, n. 19.) *Secundo*, facultas hæc non datur nisi quoad cathedrales et collegiatas *insignes*, unde non extenditur ad collegiatas quæ *insignes* non sunt. *Tertio*, facultas illa tribuitur Episcopo, non autem prælato collegiatæ, etiam jurisdictionem quasi episcopalem habenti, et exempto a jurisdictione Ordinarii. (Barbosa, *De canonicis*, c. 4, n. 22.) *Quarto*, prædictas suppressiones et uniones efficere non potest Episcopus sine consensu capituli; id enim in decreto Tridentino expresse continetur, et docent canonistæ communiter. *Quinto*, hæc facultas Episcopo concessa non transit ad capitulum sede vacante, nec ad vicarium capituli. (Barbosa, *De canonicis*, c. 4, n. 24.)

8. Quid juris in regionibus in quibus præbendæ mutatæ sunt in pensiones gubernii, verbi gratia in Gallia? — Capitula in hujusmodi regionibus non habenda sunt ut *numerata*, id est, nullum exstat statutum ecclesiasticum de non augendo numero, licet gubernium aliquem numerum pensionum determinaverit. Statutum enim de non augendo numero ideo fit, ne distributiones et reditus præbendarum non distinctarum, inter nimis multos canonicos distributi, tenuiores et insufficientes evadant. Pensiones autem gubernii præbendarum distinctarum rationem habent. Hinc canonici qui capitulo adderentur, præter eos qui habent pensionem gubernii, non essent nec dicendi essent *supranumerarii*, sed simpliciter canonici. Bene autem possunt in capitulis Galliæ addi hujusmodi canonici proprie dicti, id est, habentes communia canonicorum jura et onera. Potest enim aliliquis fundare in perpetuum canonicatum cum præbenda, quamvis lex civilis fundationes hujusmodi non agnoscat nisi a gubernio approbentur. Dispositio enim illa legis civilis, utpote libertati et immunitati Ecclesiæ, imo et juri naturali contraria, invalida est, nec obligat in conscientia. Eludi autem potest multiplici modo. Imo sufficere posset promissio alicujus familiæ piæ et divitis solvendi quotannis certam pensionem ex fundo ad id in perpetuum deputato, præmonitis hæredibus de tali assumpto onere. Licet enim aliquando deficere posset talis præbenda, utpote quæ non posset coram tribunalibus exigi, et a conscientia hære-

Digitized by Google

dum penderet, tamen in aliquibus familiis tanta est vis promissionis factæ, ut sufficienter solidata talis fundatio reputanda esset. Posita vero præbendæ fundatione aut quasi fundatione, potest ex jure communi de ea provideri clericus duplici modo; nempe vel per Summum Pontificem, qui potest statuere ut aliquis in capitulo recipiatur tanquam verus canonicus, ex sua propria præbenda sustentandus; vel per Episcopum simultanee cum capitulo. Posset insuper fundator sibi reservare jus patronatus, id est, jus præsentandi clericum. At forte parum expedit, ut accipiantur fundationes cum hujusmodi jure patronatus, ne redeant abusus olim ex tali jure exorti et Ecclesiæ tam perniciosi.

CAPUT V

DE DIGNITATIBUS IN GENERE

§ 1

QUID SIT DIGNITAS, ET QUOMODO A PERSONATU ET OFFICIO DIFFERAT.

Dignitas est titulus beneficialis annexam habens præcedentiam cum jurisdictione. *Personatus* est titulus beneficialis annexam habens præcedentiam sine jurisdictione. *Officium* est titulus beneficialis annexam habens aliquam administrationem absque jurisdictione et absque præcedentia. (Vide Ferraris in verbo *Beneficium*, art. n. 26.) Quam notionem sic evolvit Barbosa (*De can.*, c. 4, n. 14 et seq.):

« Est notandum, in ecclesia cathedrali seu collegiata ultra *di-*
« *gnitates* reperiri nonnunquam *personatus* et *officia*, quæ in-
« ter se maxime differunt.

« Dignitas namque annexum habet officium, vel rerum eccle-
« siasticarum administrationem, cum jurisdictione etiam in mo-
« dicis causis... Habere enim dignitatem est habere jurisdictio-
« nem in foro exteriori; unde olim habebant omnes (dignitates)
« hujusmodi jurisdictionem; quamvis hodie non omnes, sed ali-
« qui tantum secundum consuetudinem ecclesiarum. Et qui
« habet jurisdictionem large dicitur dignitatem habere, quod de
« jurisdictione ecclesiastica in foro exteriori intelligitur, et de
« ea quæ est perpetuo annexa personæ ratione dignitatis, vel

Digitized by Google

« beneficii quod quis in titulum perpetuo obtinet. Quare vicarius « Episcopi, qui habet jurisdictionem, non habet propterea di- « gnitatem. Verum quandoque officium simplex cum perpetua « rerum administratione, dignitas appellatur, secundum con- « suetudinem ecclesiarum, quamvis de jure communi dignitas « non dicatur, ut sunt thesaurariæ Italiæ, de quibus infra. Et « quamvis hodie multis in locis dignitates jurisdictionem non ha- « beant, non propterea minime est dignitas quæ de jure com- « muni dignitas nominatur.

« *Personatus* autem est quædam prærogativa in ecclesia post « existentes in dignitate, sicut habere locum honorabiliorem in « choro, et primum locum in processionibus et capitulis et hu- « jusmodi, supra cæteros ejusdem collegii, sed minus quam illi « qui sunt in dignitate constituti. Est tamen sine officio vel ju- « risdictione. Etsi quandoque sit nomen etiam competens digni- « tati, et nonnunquam officio simplici... Nec per istam simpli- « cem prærogativam quam super alios sui ordinis canonicos « habet, dicitur habere dignitatem, quia sola præeminentia non « ponit quem in dignitate.

« *Officium* vero simplex in ecclesia est quid diversum a digni- « tate et personatu, ut colligitur ex capite *Quia sæpe* et capite « finali *De præbendis* in *sexto*... Officium non esse dignitatem, « etiamsi haberet quis ratione officii administrationem aliquarum « rerum sine tamen aliqua prærogativa in capitulo ultra alios « sui ordinis; ut est sacrista..., œconomus... ; etiamsi tale offi- « cium esset perpetuum. Verum quando officio esset annexa di- « gnitas, tunc officium diceretur habere dignitatem. Idem erit « quando in officio concurrunt ea signa ex quibus ecclesiastica « dignitas discernitur, quia tunc certissimum est stricta appella- « tione dignitatis ipsum quoque officium contineri, sicut et ipse « personatus continetur. »

2. Hinc in rigore terminorum concludendum esset jam a multo tempore veras dignitates non esse eas omnes, quæ hoc nomine in cathedralibus insigniuntur; siquidem archidiaconatus et archipresbyteratus, quibus olim competebat jurisdictio in foro externo, jam nullam hujusmodi jurisdictionem annexam habent, nec ulla alia est quæ titulo suo annexam habeat dictam jurisdictionem; sed solus Episcopus seu prælatus loci ordinarius hac

Digitized by Google

jurisdictione pollet. Falsa tamen esset illa conclusio, quia ex praxi, a jure communi firmata, tanquam veræ dignitates habentur, tum eæ quæ olim annexam habuere jurisdictionem, tum aliæ quæ ex statuto vel consuetudine ut tales admittuntur.

3. Unde dignitates, quales a pluribus jam sæculis a jure intelliguntur, definiendæ sunt : tituli beneficiales quibus olim annexa erat jurisdictio, vel qui ut dignitates a statuto aut consuetudine habiti sunt. Et sic dignitates hodie de facto et in se non differunt a *personatu;* sed differunt in jure, et etiam ex eo quod olim aliquæ ex ipsis habuerint annexam jurisdictionem, quales sunt archidiaconatus et archipresbyteratus, et ex eo quod cæteræ per statutum aut consuetudinem fuerint in gradu dignitatum constitutæ, quales sunt in pluribus locis decanatus, præpositura, primiceriatus, etc.

§ 2

QUINAM SINT DIGNITATES, ET QUOMODO DISCERNATUR IN QUALIBET ECCLESIA AN ALIQUIS SIT NECNE DIGNITAS

« Quædam sunt dignitates quæ de jure tales ex nomine tantum præsumuntur, aliæ quæ ex institutione ecclesiæ, vel consuetudine dignoscuntur, aliæ demum quæ ex administratione cum jurisdictione vel prærogativis cognosci possunt.

« 1. De jure communi sonant tantum in dignitatem archidiaconatus et archipresbyteratus... Et hoc intelligo etiam de archidiacono et archipresbytero collegiatæ...; imo etiam de archipresbytero rurali, si collegium, conventum, vel duas capellas, vel saltem prærogativam in cathedrali aut præeminentiam in collegiata habuerit, alias secus.

« 2. Inprimis ex institutione et fundatione ecclesiæ aut dignitatis dignoscitur an sit talis; et sic spectari debet quid fuerit ab initio constitutum, ut inde deflectendum non sit... Et circa id crederem standum esse libris ipsius ecclesiæ, præsertim si essent antiqui et diligenter custoditi.

« 3. Ex consuetudine quoque, ultra institutionem ecclesiæ, dignoscuntur cathedralium et collegiatarum dignitates... Nam illa dicitur dignitas, quam consuetudo vel statutum dignitatem facit. Licet dignitas in jure non habeatur, debet tamen judicari

Digitized by Google

pro tali secundum reputationem loci, atque ita verissimum manet... non posse tradi certam regulam de dignitatibus, sed consuetudini cujusque ecclesiæ id relinquendum esse.

« Illa enim (nempe *consuetudo*) plurimum operatur ad dignoscendum quænam sit prima dignitas in aliqua ecclesia ; et ideo attenditur potius solitum ipsius ecclesiæ, quam jus commune.

« 4. Probatur etiam dignitas esse talis ubi etiam obtinens habet administrationem rerum ecclesiasticarum cum jurisdictione.

« 5. Pariter dignitas dicitur ubi illam obtinens habet prærogativas sedendi ante alios, tam in choro quam in capitulo, cum nomine dignitatis, quamvis jurisdictionem non habeat. » (Barbosa, *De canonicis*, cap. 4.)

« Ex quibus primo colligitur præposituram non esse dignitatem, quia non habet nomen sonans in dignitatem a jure communi introductum, et consequenter officium appellatur... Hoc verissimum, etiamsi præpositus sederet ante omnes in choro, quia per hoc non censeretur habere dignitatem, nisi ex consuetudine Ecclesiæ, vel de consuetudine loci aliud fuisset institutum ; quia præeminentia sedendi est signum personatus, non dignitatis ; vel nisi prima in cathedrali aut collegiata seu conventuali existeret, vel haberet sub se clerum et capellas. » (De præpositura agit iterum Barbosa, c. 9, n° 14.)

« Secundo colligitur Primiceriatum esse officium, non dignitatem... Tunc primiceriatus est dignitas, quando probatur ipsum communi opinione habitum fuisse pro dignitate ; alias secus.

« Tertio colligitur Plebaniam officium appellari, non dignitatem... etiamsi plebanus haberet curam animarum et baptismum et chrisma, possetque capellanos sui plebanatus excommunicare, mittere edictum, et confirmare, quoniam talia non facerent dignitatem, cum possent de consuetudine etiam ad canoniam pertinere ratione suæ præbendæ, et tamen canonicus non dicitur esse in dignitate.

« Verum quando Plebania esset in collegiata, ipsiusque ecclesiæ plebanus esset caput, haberetque præeminentiam et jurisdictionem in canonicos ecclesiæ, tunc censeretur in dignitate constitutus.

« Quarto colligitur quod dictum est de Plebanis, idem quoque dicendum de Prioribus.

Digitized by Google

« Quinto colligitur Decanatum acceptum pro simplici beneficio non esse nomen dignitatis, nisi habeat jurisdictionem, aut nisi pro dignitate habeatur in Ecclesia. De jure namque nullam habet jurisdictionem, cum careat jure prælaturæ in capitulo cujus ipse est pars.

« Dum vero locum archipresbyteri in ecclesia obtinet, tanquam subrogatus eadem potest quæ archipresbyter, et hac ratione dicitur dignitas.

« Sexto colligitur Cantoriam de jure communi non esse dignitatem, sed officium ecclesiasticum.

« Septimo colligitur Thesaurariam de jure communi non esse dignitatem, sed officium ecclesiasticum habere. De consuetudine autem, et omnium fere ecclesiarum cathedralium statutis, inter dignitates referri cœpit. » (Barbosa, c. 4.)

Quæ tradunt canonistæ circa præsentem materiam, sub hac brevi regula coarctari possunt : Dignitates sunt certo et ex jure communi : 1° Archidiaconus et archipresbyter, hoc ipso, quod tali nomine insigniantur in cathedralibus et collegiatis. 2° Qui est caput et præses capituli, quocumque nomine nuncupetur. 3° Nulli alii dignitates sunt nisi tales probentur, vel per decretum erectionis ipsorum tituli in dignitatem, vel per consuetudinem et existimationem loci, vel per jurisdictionem perpetuo annexam titulo suo. 4° Certum est vicarium generalem Episcopi non esse dignitatem ; quia licet habeat jurisdictionem in foro externo, illam tamen non habet tanquam perpetuo annexam alicui titulo quem in perpetuum obtinuerit.

§ 3

UNDE FACTUM FUERIT UT DIGNITATES DE JURE NON SINT DE CAPITULO

Dignitates non esse de capitulo, spectato jure communi et præscindendo a privilegio vel consuetudine in contrarium, in confesso est apud canonistas omnes ; et idem probavimus supra (cap. 1 præsentis sectionis), dum expendimus *quinam sint de capitulo*.

Sed quo certior res est, eo majorem excitat admirationem : eos scilicet qui canonicos præcedunt et stalla habent in choro, imo

Digitized by Google

eum qui tanquam prima dignitas est præses et caput capituli, non esse tamen de ejusdem capituli corpore, nisi hoc eis tribuat privilegium aut consuetudo. Existimavit doctissimus Thomassinus causam investigandam esse in ipsomet dignitatum ortu atque primitiva institutione. Initio nempe eadem munia, quæ postea in administrationes stabiles et in dignitates evecta sunt, nihil aliud fuerunt quam officia quædam in servitium temporale capituli, quæ ad certum tempus et ad certa negotia nomine capituli tractanda committebantur etiam laicis et extraneis. Qui autem tales commissiones a capitulo acceperat, administrationis suæ rationem reddebat; de qua ut capitulum liberius deliberaret, eum in capitulari cœtu non admittebat. Quæ exclusio a capitulo perduravit etiam postquam hujusmodi demandatæ administrationes in stabiles et in dignitates transiere. De quo sic laudatus Thomassinus (*De veteri et nova disc.*, p. I, l. 3, c. 70, n. 7) :

« Qui ad aliquas tantum administrationes vel functiones dele-
« gabantur, minus mirum erat eos capitulo excludi, ubi eorum
« administrationes ad examen vocabantur. Adde quod extraneis
« quandoque, imo et laïcis eadem ipsa committebantur. Denique
« his delegationibus fiebat ut nonnunquam diutissime abessent;
« quod canonicis minime congruebat. Id genus fortasse primum
« fuerant præpositura, archidiaconatus, et œconomorum officia.
« Si ergo dignitates de quibus agimus, arbitrariæ primo et revo-
« cabiles fuere delegationes, quæ tandem in stabiles aliquando et
« irrevocabiles evaserint dignitates (ut de archidiaconis validis-
« sime supra multis locis demonstratum est), fieri potuit ut novum
« hoc stabilis dignitatis incrementum, inveteratæ non derogaret
« consuetudini, nec de capituli corpore censerentur. »

Hac tamen explicatione solvi non videtur difficultas quoad archipresbyteratum, sed tantum quoad alias dignitates.

§ 4

DE PRÆROGATIVIS DIGNITATUM

1° Etiam ubi non sunt de capitulo, antecedunt canonicos, tum in choro, tum in processionibus, tum in aliis actibus extra capitulum. (Cardin. de Luca, *De præem.*, discursu 19, n. 11.) Si

Digitized by Google

sint de capitulo, præcedunt etiam in actibus capitularibus.

2° Ad ipsas pertinet, impedito Episcopo, exercitium functionum quæ dicuntur *Pontificales*, sive sint, sive non sint de capitulo; « ita ut, ait Scarfantonius (t. I, p. 177, edit. Lucensis, 1723), vel « ad primam dignitatem, vel ad sequentem in gradu, non ad ca- « nonicum hebdomadarium, spectet; neque per episcopum al- « teri, nec ipsi suo generali vicario, committi possit. Eodem modo « quo, impedita prima dignitate, non potest eadem pro libito « alium subrogare in ejus locum; sed in illum subintrat dignitas « subsequens in gradu. (De Luca, *De præem.*, disc. 19, n. 11.— « Idem, *De regul.*, disc. 64, n. 2. — Idem, *Miscell.*, disc. 37, « n. 8. — Pignatelli, *Consult.* 27, n. 5, t. IV.— Barbosa, *De* « *canonicis*, c. 5, n. 46.) Concordat dispositio cæremonialis Epi- « scoporum (l. 1, c. 26); et resolvit sacra Rituum Congregatio « (11 februar. 1702 in Gerundensi).

3° « Suffragari non posset adversus eamdem dispositionem « (nempe *Cæremonialis Episcoporum*) contraria consuetudo, ut « decrevit sacra Rituum Congregatio (in Brittinoriensi, 26 septem- « bris 1682). Consuetudo immemorabilis videtur suffragari posse.

4° « Ultra recensitas functiones episcopales spectantes ad pri- « mam dignitatem, vel, ea impedita, ad sequentem in gradu, « pertinet etiam illa administrationis sacramentorum Episcopo « decumbenti; eoque defuncto celebratio funebris officii.

5° « Pariter ad primam dignitatem, sive ad alium digniorem ea « impedita spectat fungi officio presbyteri assistentis Episcopo « celebranti in pontificalibus, ut habetur in *Cæremoniali Epi-* « *scoporum* (tit. *De officio presbyteri assistentis*, c. 7).

6° « Licet multum conveniens existat ut primæ dignitates ca- « thedralium sint insignitæ laurea doctorali, juxta disposita per « sacrum concilium Tridentinum (sess. 24, c. 12, de ref.), atta- « men non præcise arctantur ad suscipiendam lauream prædic- « tam. » (Scarfantonius, t. I, p. 177 et seq., edit. Lucens., 1723.)

Digitized by Google

CAPUT VI

DE OFFICIO ET PRÆROGATIVIS PRIMÆ DIGNITATIS

Jam in præcedenti capite aliqua ad primam dignitatem spectantia ex canonistarum auctoritate attigimus. Sed juvat hic præcipuas hujusmodi prærogativas et obligationes auctoritate sacræ Congregationis Rituum firmare.

I. Ad primam dignitatem pertinet, absente vel impedito Episcopo, functiones sacras in solemnioribus anni festivitatibus peragere. Ita sacra Rituum Congregatio declaravit pluries. (Apud Gardellini, n. 162-216, etc.)

II. Adeo ut neque vicarius generalis Episcopi, neque vicarius capitularis possint functiones illas quæ Pontificales vocantur, absente vel impedito Episcopo, sibi usurpare. (Apud Gardellini, n. 188, 335, 464, 548, 555.)

III. Illud autem jus primæ dignitatis est simul obligatio. Nam ad dubia : « 1° an Episcopo non celebrante in festivitatibus « solemnioribus, præpositus prima dignitas ecclesiæ Mau- « rianensis teneatur ad celebrationem missæ, nisi sit ipse absens « vel impeditus? — 2° An capitulum condere possit statutum « quo decernatur præpositum primam dignitatem teneri ad « celebrationem missæ solemnis dictis diebus? — Sacra Congre- « gatio rescribendum censuit. — *Ad* 1. *Teneri juxta aliàs* « *decreta.* — *Ad* 2. *Posse in omnibus.* — Die 23 maii 1846. » (In collectione Gardelliana, n. 4901.)

IV. Quænam autem sint functiones solemniorum festivitatum quæ *Pontificales* nuncupari solent, et quæ ad primam dignitatem absente vel impedito Episcopo pertinent, est quæstio quæ solvi nequit nisi diligenter expensis et collatis simul tum variis textibus *Cæremonialis Episcoporum*, tum plurimis hac de re editis S. Congregationis Rituum decretis. Quam disceptationem (hic brevitatis causa prætermissam) reperies in collectione periodica (*Revue des sciences ecclésiastiques*). Subjicimus dumtaxat ejusdem disceptationis conclusionem, id est, catalogum functionum pontificalium, ad primam dignitatem, impedito Episcopo, pertinentium, quæ sunt sequentes :

Digitized by Google

1° Primæ Vesperæ, tertia Missa et secundæ Vesperæ in Nativitate Domini;

2° Primæ Vesperæ et Missa, in Epiphania Domini;

3° Benedictio cereorum, Processio et Missa, die secundo Februarii;

4° Benedictio cinerum et Missa feria quarta cinerum;

5° Primæ Vesperæ, in Annuntiatione Beatæ Mariæ Virginis, si hoc festum venerit feria secunda in Quadragesima, vel celebretur post Pascha; Missa hujus festi; et secundæ Vesperæ si vigilia venerit in Quadragesima, die feriato;

6° Benedictio Palmarum, Processio et Missa, Dominica Palmarum;

7° Officium Tenebrarum, in ultimo triduo majoris hebdomadæ;

8° Missa, Processio et Mandatum, feria quinta in cœna Domini;

9° Missa et Vesperæ, Dominica Resurrectionis;

10° Processio Litaniarum majorum die vigesimo quinto Aprilis;

11° Primæ Vesperæ et Missa, in Ascensione Domini;

12° Primæ Vesperæ et Missa, Dominica Pentecostes;

13° Primæ Vesperæ et Missa, in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli.

14° Primæ Vesperæ et Missa in Assumptione Beatæ Mariæ Virginis;

15° Primæ Vesperæ et Missa, in festo omnium Sanctorum;

16° Primæ Vesperæ et Missa, in Dedicatione Ecclesiæ cathedralis;

17° Primæ Vesperæ, Missa et secundæ Vesperæ in festis sancti titularis Ecclesiæ et patroni civitatis.

18° Delatio Sanctissimi Sacramenti in processione solemnitatis Corporis Christi. Et illo die, missa non ab Episcopo sed a prima dignitate celebrari debet.

V. In prædictis functionibus nequit prima dignitas aliquem sibi substituere, dum ipsa vel nequit vel non vult eas obire; quia prima dignitate absente vel impedita, functiones illæ de jure pertinent ad eum qui proxime succedit ratione dignitatis. Ita

Digitized by Google

sacra Rituum Congregatio. (N. 404, 2720 collectionis Gardellianæ.)

VI. Sede vacante, prima dignitas, quatenus repræsentans capitulum, præit vicario capitulari. (Gardellini, n. 539.)

VII. Ad eam pertinet capitulum convocare. (Gardellini, n. 3926 et 2720.)

VIII. Ipsi competit dare inchoandi officii signum, etiamsi ex localibus statutis alteri commissa fuisset directio chori. (Apud Gardellini, n. 3139.)

IX. Ad primam dignitatem insuper pertinet ministrare aspersorium Episcopo cathedralem ecclesiam ingredienti. (Ita decisum S. Rituum Congregatione vide apud Gardellini, n. 128, 1218, 204.)

X. Et facere tabellam missarum, et assignare missas per turnum. (Apud Gardellini, n. 2720.)

XI. Et habere generatim præeminentiam in præscribendis et ordinandis quæ respiciunt directionem chori. (*Ibid.*, n. 3286.)

XII. Et fungi officio presbyteri assistentis, dum Episcopus solemniter celebrat. (Ibid., 162.)

XIII. Et habere presbyterum assistentem cum pluviali, aliasque prærogativas, dum celebrat loco Episcopi. (Ibid., n. 737, 851.)

XIV. Non tamen dare trinam benedictionem cum sacramento, nec habere mensam ad instar Episcopi, aut sedem cum tapete, aut in matutinis quatuor presbyteros cum pluvialibus. (Ibid., n. 1536, 1549.)

Plura reperies de primæ dignitatis officio et prærogativis apud Scarfantonium. (Lib. II, tit. 13.) Sed nonnulla ibi asserta a consuetudine potius uniuscujusque ecclesiæ pendere, quam jus commune constituere videntur.

Digitized by Google

CAPUT VII

DE ARCHIDIACONIS

§ 1

DE ORIGINE, INCREMENTIS ET IMMINUTIONE DIGNITATIS ARCHIDIACONALIS SYNOPSIS HISTORICA

1° *Quid fuerint archidiaconi primis quinque sæculis.* — « Antiquissima procul dubio in Ecclesia archidiaconorum dignitas. Ut singulis in episcopalibus ecclesiis erant diaconi (initio ducto ab illis septem, qui ab Apostolis ipsis in ecclesia Hierosolymitana ordinati sunt), ita necesse erat, ut unus inter eos primus esset, sicut Stephanus. At qui primus inter diaconos, hic archidiaconus erat. » (Thomassinus, *De veteri et nova disciplina*, part. 1, l. 2, cap. 17.)

Probat ibidem Thomassinus archidiaconum jam ab Ecclesiæ exordiis fuisse *manum* et *oculum* Episcopi, id est, ministrum seu vicarium generalem in exercenda jurisdictione contentiosa, et regenda re temporaria.

« Clericorum minorum dux erat ille et rector et magister, ejusque domum illi ut scholam eruditionis et pietatis sanctissimam frequentabant. » (Thomass., ibid.)

In ordinandis minoribus clericis ejus erat porrigere instrumenta sacra (Concil. Carthag. IV, can. 5, 6, 9.) « Addit et aliquid majus Hieronymus, Romæ presbyteros ad testimonium archidiaconi ordinari : *Sed, dicis, quomodo Romæ ad testimonium diaconi presbyter ordinatur ?...* Hinc forte diaconi ansam arripuerant efferendi se supra presbyteros. » (Thomass., ibid.)

Quanta fuerit prioribus sæculis archidiaconi potestas et dignitas, manifestum facit celebris historia de Aetii archidiaconi a suo munere dejectione. « Anatolius Constantinopolitanus Episcopus, Aetium archidiaconum, intrepidum illum Flaviani patriarchæ defensorem, et ob infractam animi constantiam sibi invisum, ut a se removeret, presbyteratui initiavit. Gravate tulit Leo Papa hanc fraudem, nec de ea siluit in datis ad imperatorem et ad Anatolium ipsum litteris : ubi declarat quam improbum sit

Digitized by Google

optime meritum de Ecclesia virum *augere, ut minuas; extollere, ut deprimas. Dejectionem innocentis per speciem provectionis implevit.* » (Thomass., loco citato.) Paruit Romano Pontifici Anatolius, amovendo illum quem substituerat archidiaconum, et Aetio licet jam sacerdoti in officium archidiaconatus restituendo.

Probatur ex facto illo archidiaconos, licet ordine presbyteris inferiores, dignitate tamen jam ab Ecclesiæ initiis superiores habitos fuisse. Nec immerito; cum enim essent Episcoporum *manus* et *oculi*, ut eos tota traditio vocat, ipsammet præ se ferebant dignitatem episcopalem, quæ sacerdotali superior est. Sic etiam hodie Cardinales, licet diaconatus tantummodo ordine insigniti, Episcopos et patriarchas dignitate superant, eo quod sint membra per quæ Summus Pontifex universalem regit Ecclesiam, unde et pontificalem repræsentant ac participant dignitatem, cui nulla non subjicitur.

Quam archidiaconalis dignitatis super presbyteratum eminentiam invicte insuper probant hæc sancti Hieronymi verba : *Certe qui primus fuerit ministrorum, quia per singula concionatur in populos, et a Pontificis latere non recedit, injuriam putat si presbyter ordinatur.* (In Ezech., cap. 18.— Apud Thomassinum, loc. cit., cap. 20.) In hunc sensum sese defendebat, pluribus posthac sæculis, Petrus Blesensis, archidiaconus Londinensis, dum Episcopo suo resistebat ne presbyter ordinaretur: *Porro dignitatis turbato ordine archidiaconi hodie presbyteris præeminent, et in eos vim et potestatem suæ jurisdictionis exercent. Eapropter archidiaconum in presbyterum promoveri, non est honorem ejus augeri, sed minui* (Epist. 123). Idem probat Nardi pluribus aliis monumentis. (*Dei Párochi*, part. 2, cap. 28.) Erat præterea archidiaconus secretarius natus conciliorum, tum generalium tum provincialium. (Nardi, t. II, pag. 328.)

Putat Nardi archidiaconatum fuisse electivum : mortuo scilicet archidiacono, alterum a sex aliis diaconis eligi fuisse solitum; licet existimet etiam episcopum partes suas in hac electione habuisse (t. II, pag. 331, *dei Párochi*). In quo recedit ille auctor a doctrina Thomassini, qui putat non potuisse archidiaconum constitui nisi a solo Episcopo.

Digitized by Google

Quod autem Episcopus non potuerit solus archidiaconum destituere sine causa et sine figura judicii, extra controversiam est : « Archidiaconum Episcopus instituere solus poterat, destituere et exauctorare solus non poterat sine causa et sine figura judicii. » (Thomass., loco citato.)

2° *Quid evaserit archidiaconatus* VI, VII *et* VIII *sæculo.* — « Se-« cunda hac ætate Ecclesiæ fuere archidiaconi veluti vicarii ge-« nerales et officiales Episcoporum, in depromenda eorum juris-« dictione omni, sive voluntaria sive contentiosa. » (Thomassinus, *Vetus et nova discipl.*, part. 1, l. 2, cap. 18.)

« In clericos certe, præsertim inferiores, sacrum imperium « suum exercebat archidiaconus... Peritia dexteritasque archidia-« conos tum episcopali jurisdictione vestivit, tum evexit eos « supra presbyteros parochosque, maxime ruris.

« Observari hactenus potuit, unum fuisse archidiaconum, « eumque in ecclesia cathedrali. Rem ita expressit Concilium « Emeritense, ut contra non possit omnino dici. Unus tantum-« modo poterat esse primus, sive inter diaconos, et is archidiaco-« nus : sive inter presbyteros, et is archipresbyter dicebatur. » (Thomass., loco citato.)

3° *Qualem sese exhibuerit archidiaconorum potestas sub Carolo Magno.* — Plura exstant hujus temporis monumenta, ex quibus liquet archidiaconos eo potestatis ex consuetudine devenisse, ut jurisdictionem haberent in presbyteros et archipresbyteros (quod tamen in Ecclesia græca locum non habuit) ; visitationem diœcesis cum Episcopo et sæpius loco Episcopi peragerent ; beneficia unirent ; jurisdictionem denique Episcopis propriam omnimode exercere solerent.

Jurisdictio autem illa archidiaconorum, quæ initio fuerat tantummodo delegata, ex diuturno et perpetuo usu evaserat ordinaria. (Ita Thomassinus, loco citato, cap. 19, n. 12.)

Illud autem notandum, quod sæculo nono videmus jam exempla plurium archidiaconorum in eadem diœcesi. Duos archidiaconos habebat Hincmarus archiepiscopus Remensis, ut testantur scripta ad eos hujus præsulis monita (Thomass., ibid., n. 8); et licet Hincmarus vocet illos presbyteros, non putat Thomassinus adhuc tunc invaluisse usum archidiaconorum presbyteratui initiatorum.

Digitized by Google

4° *Quomodo se habuerit dignitas hæc in jure communi, a Gratiani tempore usque ad Concilium Tridentinum.* — Jure novo nihil detractum est de prisca archidiaconorum gloria et potestate, cum in decretalibus Gregorianis dicantur adhuc vicarii generales Episcoporum : *Archidiaconus post Episcopum sciat se vicarium esse ejus in omnibus* (l. I decretalium titulo XXIII, c. 1, 7). *Secundum Romani ordinis constitutionem* (ait Innocentius III), *major post Episcopum et ipsius Episcopi vicarius reperitur. Omnem curam in clero tam in urbe positorum quam eorum qui per parochias habitare noscuntur, ad se pertinere sciat; sive de eorum conversatione, sive de honore et restauratione ecclesiarum, sive de doctrina... et delinquentium Deo rationem redditurus est.*

Cum autem archidiaconi non essent ad nutum Episcopi revocabiles, sicut sunt hodie vicarii generales Episcoporum, sed perpetui; cum insuper eorum jurisdictio jam non esset delegata, sed ordinaria ; ita ut ipsi haberent suos officiales, sicut Episcopus habebat suos ; cumque sæpius accideret tanta dignitate insigniri viros indignos ; multi emersere abusus, multi Episcopos inter et archidiaconos conflictus. Videmus anno 1131 Theobaldum quemdam archidiaconum Parisiensem, ne præmonito quidem suo Episcopo ecclesias omnes sui archidiaconatus interdicentem, et eidem Episcopo interdictum illud solventi resistentem. Jam antea Fulbertus Carnutensis Episcopus scribebat de Lisiardo, item Parisiensi archidiacono : *Cum deberet esse oculus Episcopi, factus est Episcopo suo clavus in oculum, prædo pauperibus, etc.* (Epist. 34.)

His contumeliis exulcerati Episcopi, novos et vicarios et officiales sibi adscivere, hosque revocabiles : arctata paulatim in conciliis fuit archidiaconorum potestas : cassati sunt eorum officiales : prohibitum ne graviores causæ, præsertim matrimoniales, alibi quam in episcopali foro definirentur : cessavit Romæ et Constantinopoli archidiaconatus : atque eo tandem devenit ea dignitas, quo illam nunc videmus; nullam scilicet sibi adjunctam necessario habens jurisdictionem, nisi ex locali consuetudine, et ab eadem consuetudine a primo inter dignitates cathedrales loco, imo sæpe a secundo et tertio dejecta, ut jam merito dici queat magni nominis umbra.

Digitized by Google

Suam historicam expositionem de archidiaconis sic paucis resumendo concludit Thomassinus (part. 1, l. 2, c. 20, n. 12) : « Summatim ergo illud constat, archidiaconum quem inter or- « dinarios judices recensuit Innocentius III, per plura sæcula « extremæ etiam hujus ætatis, spectatum fuisse ut vicarium « generalem Episcopi, sed *vicarium perpetuum*, *vicarium non* « *ab Episcopo assumptum*, *sed a jure datum*, ut loquuntur cano- « nistæ. Eo porro nomine penes eum erat depositum onus con- « tentiosæ totius episcopalis jurisdictionis : sicut nomine et jure « *primi diaconi*, in officiis ecclesiasticis plurimum poterat. Cum « post annum Christi 1000 cœpissent Episcopi accersere sibi « vicarios generales et officiales, quos ad nutum possent exaucto- « rare, archidiaconi quoque paulatim spoliari cœperunt antiqua « latissimaque auctoritate illa. Quo factum est ut, præeuntibus « conciliorum placitis, eos ad has angustias adegerint, *ut modi-* « *cam pœnam possint imponere*, *vel ad modicum tempus sus-* « *pendere*. »

§ 2

QUID SINT ARCHIDIACONI EX JURE COMMUNI, A TRIDENTINO CONCILIO USQUE NUNC.

De archidiaconis sic statuit Concilium Tridentinum (Sess. 24, c. 12, de ref.) : *Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus ecclesiis, ubi fieri poterit, magistri in theologia, seu doctores, aut licentiati in jure canonico : ad cœteras autem dignitates vel personatus quibus animarum cura nulla subest, clerici alioquin idonei, 22 annis non minores, adsciscantur.* — Et sess. 24, c. 20, de ref. : *Causæ matrimoniales et criminales, non decani, archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini et jurisdictioni relinquantur.*

Hæc decreta probant archidiaconatum proprie dictum non sublatum fuisse a Concilio Tridentino, sed tantum ipsius jurisdictioni subtractas fuisse causas matrimoniales et criminales, et ei impositam conditionem graduum academicorum. Unde ipsi detracta quidem fuit jurisdictionis pars maxima : at vero remansit in aliis jus commune circa archidiaconos, quale vigebat ante Tridentinum.

Digitized by Google

Jus autem commune, habita ratione modificationis a Tridentina synodo inductæ, sic paucis exponit Fagnanus (in 2 part. 1 decretal. cap. *Ad hæc, de officio archidiaconi*) : « 1° Jurgia « audit singulorum, id est, civilia, et ubi de crimine civiliter « agitur, vel jurgia humilia et minima. 2° Instituit ; intellige « auctoritate et mandato Episcopi ; non autem auctoritate pro- « pria, nisi institutio sit corporalis, ut dictum est supra (1). « 3° Præcipit subjectis obsequia. 4° Imperat diaconis et le- « vitis. 5° Examinat clericos promovendos ad sacros ordines, et « ad beneficia, ut qui beneficiis ecclesiasticis præficiendi fuerint, « a suo prius examinentur archidiacono, et per ipsum postmo- « dum Episcopo præsententur. Quam quidem facultatem ex sen- « tentia sacræ Congregationis Concilium Tridentinum non « sustulit, nisi quoad parochiales, quæ conferendæ sunt prævia « forma examinis per concursum. Cum enim quæsitum fuerit, an « facultas de jure antiquo competens archidiacono examinandi « nedum promovendos ad sacros ordines, sed etiam instituendos « in ecclesiis, sit sublata per Concilii Tridentini dispositionem, « quæ habetur sess. 24 c. 18, ubi quoad ecclesias parochiales « hoc munus demandatur examinatoribus electis in synodo : « secundo, quatenus sit derogatum prærogativæ archidiaconi, « ut non possit solus hæc facere, an saltem debeat intervenire « cum examinatoribus, licet ipse non sit unus ex deputatis in « synodo : sacra Congregatio ad primum censuit concilium « privasse archidiaconum sua facultate examinandi. Ad secun- « dum respondit, non debere, nisi sit unus ex deputatis in « synodo. 6° Loco Episcopi per episcopatum prospiciens, quæ « corrigenda viderit, corrigit et emendat ; et ideo oculus Epi- « scopi dicitur... Corrigit verbis, monitionibus et præceptis : « pœnam tamen sine Episcopo non imponit... Si quis tamen dicat « eum modicam pœnam imponere posse, vel ad modicum tem- « pus suspendere, forsitan non errabit. 7° Curam habet tam in « urbe positorum, quam eorum qui per parochias habitant, et « delinquentium rationem coram Deo redditurus est. 8° Visitat « diœcesim de triennio in triennium, impedito Episcopo. 9° Post « Episcopum est ejus vicarius in omnibus, et consequenter

(1) Jam dixerat Fagnanus, *institutionem corporalem, tam super beneficiis quam etiam dignitatibus, debere ad archidiaconum pertinere.*

Digitized by Google

« habet jurisdictionem ordinariam, tum quia jurisdictionem « ordinariam tribuit perpetua vicaria, tum quia ejus jurisdictio « est ad universitatem causarum. »

Si ergo hodie in aliqua ecclesia cathedrali constitueretur verus et secundum jus commune archidiaconus, potestate modo descripta polleret. Sed desiere jam fere ubique archidiaconi proprie dicti, id est, ordinariam jurisdictionem eamque perpetuam habentes; et tum per ipsummet decretum erectionis capituli, tum ex statutis capitularibus, tum ex consuetudine, archidiaconatus ferme ubique evasit dignitas mere honorifica.

§ 3

UTRUM DE JURE COMMUNI POST TRIDENTINUM AD ARCHIDIACONUM PERTINEAT EXAMINARE PROMOVENDOS AD ORDINES ET AD PAROCHIALIA BENEFICIA

I. *Sententia affirmans.* — Vidimus modo Fagnanum illam amplecti : aperte siquidem affirmat ille auctor, hanc facultatem archidiacono a Concilio Tridentino non fuisse sublatam, *nisi quoad parochiales quæ conferendæ sunt prævia forma examinis per concursum.* Equidem decisio Congregationis quam in probationem affert, contrarium enuntiare videtur; proposito enim dubio an Concilium Tridentinum privaverit archidiaconum facultate examinandi *promovendos ad sacros ordines et instituendos in ecclesiis*, Congregatio, referente ipso Fagnano, respondit, *concilium privasse.* Sed quidquid sit de illa decisione, cujus textum authenticum nobis nondum comparare potuimus, non desunt alii auctores magnæ notæ, sententiam affirmantem cum Fagnano amplectentes, quos sic invenimus allegatos in causa *Triventina*, 10 junii 1848.

« Catalanus (Comm. in Pontif. Rom., part. 1, de ordin. dia- « coni, ad verba *Scis illos dignos esse*) defendit eam attesta- « tionem nequaquam fieri posse ab archidiacono, non tantum « quando ordinandos indignos esse novit, sed etiam quando eos « *dignos esse non novit.* Et pro hac opinione affert auctoritatem « Van Espenii (Jur. eccl. univ. p. 1, t. 12, c. 1)... Licet fateatur « (nempe Catalanus) archidiaconorum auctoritatem et jurisdic- « tionem fere totam a consuetudine pendere, paucosque esse qui

Digitized by Google

« suæ antiquæ auctoritatis vestigia retinuerint, nihilominus « contendit hodie adhuc *de jure communi* archidiaconis com- « petere jus interveniendi ordinandorum atque promovendorum « ad beneficia examini : *Licet concilium Tridentinum*, ait, *aut* « *synodi locales vel Episcoporum decreta aliquos speciales exa-* « *minatores nominent*, *nullatenus ipse archidiaconus censetur* « *exclusus*, *sed hi archidiacono censebuntur adjuncti*... Si « archidiaconus, ut tenet Pignatelli (Consult. 181, tom. IV, n° 1), « peccaret mortaliter pro indignis et imperitis testando, hoc « profecto nequiret peccatum evitare, nisi ordinandorum examini « interesset... Nec dici potest hac ratione archidiaconum fieri « arbitrum ordinandorum, cum ipsi complures examinatores « adjungere possit Episcopus. »

II. *Sententia negans.* — Concludi posse videtur ex textu concilii Tridentini. Nam si agatur de examine ordinandorum, Tridentina synodus totam rem videtur commisisse Episcopo, cui tantum injungit ut examinet ordinandos adscitis sacerdotibus et viris prudentibus et peritis (sess. 23, c. 7, de ref.); ubi nulla mentio fit de archidiacono. Ergo vi hujus decreti, licite ordines conferre potest Episcopus facto examine cum aliquot sacerdotibus peritis, quos ipse pro arbitrio elegerit, ac proinde non vocato ad examen archidiacono. Imo concludit Benedictus XIV (de syn. diœc. l. 4, c. 7, n° 2) minime teneri Episcopum in ordinandorum examine adhibere examinatores synodales, id est, in synodo diœcesana electos; nam isti non imponuntur Episcopo nisi quando agitur de promovendis ad parochias per concursum obtinendas.

Sed neque in examine promovendorum ad parochias per concursum jus interessendi habet archidiaconus, etiamsi ipse sit unus ex synodalibus examinatoribus : nam concilium Tridentinum (sess. 24, c. 18, de ref.) hoc tantum præscribit Episcopo, ut adhibeat saltem *tres quos ipse maluerit* ex synodalibus examinatoribus; ergo si tres adhibeat, non vocato archidiacono, rite fient examen et provisio. Fatendum tamen, textus illos Tridentini non omnino rigorose excludere quod affirmat Catalanus, nempe per assignatos a Tridentino examinatores nullatenus archidiaconum censeri exclusum, *sed hos censeri archidiacono adjunctos.*

Digitized by Google

Pro sententia tamen negante exstant aliæ auctoritates ita decisivæ, ut causa jam tanquam finita haberi debeat. Inprimis autem celebris responsio Innocentii III ad Auriensem Episcopum, quæ reperitur in Corpore juris (capite unico *de Scrutinio*), et quam in continuatione Annalium Baronii refert Raynaldus (ad ann. 1206, n° 36) his verbis : « Quæsivisti per sedem Apostolicam edoceri, « ut cum Episcopi ad consecrationes Episcoporum ab Archiepi- « scopo suo vel etiam alio evocentur, et ipsi metropolitano « electum offerant consecrandum, dicentes, *reverende pater*, « *postulat sancta Mater Ecclesia hunc electum in Episcopum* « *consecrari*, et interrogante Archiepiscopo, si sciant illum esse « dignum, respondeant, quod illum sciunt et credunt pariter esse « dignum; et te in responsione hujusmodi ne offenderes homi- « nem, Deum existimes offendisse, quandoque contra conscien- « tiam respondendo, cum electi conversatio aut minus bene tibi « cognita, aut penitus sit ignota ; qualiter in hujusmodi interro- « gationibus salva conscientia valeas respondere ; ad quod « fraternitati tuæ taliter duximus respondendum : Quod cum « nos aliquem in diaconum vel presbyterum promovemus, prior « diaconorum qui nobis assistit, dicit : *postulat*... Et nobis in- « terrogantibus si eum cognoverit esse dignum, idem respondet, « quod quantum humana fragilitas nosse sinit, et scit et testi- « ficatur illum ad hujusmodi onus esse dignum. Unde in tali « responsione aliquem peccare non credimus, dummodo contra « conscientiam non loquatur ; quia non simpliciter se scire « illum asserit esse dignum, sed in quantum humana fragilitas « nosse sinit ; cum illum quem indignum esse non novit, di- « gnum debeat æstimare. Datum Romæ apud S. Petrum, id. « Mart. anno IX. »

Tanquam certum asserit Benedictus XIV prædictam archidiaconi attestationem esse nunc merum ritum et cæremoniam, ita ut tuto possit archidiaconus idoneitatem affirmare, licet ignorans an ordinandus dignus sit vel indignus.

« Quamquam autem nunc in ipso ordinationis actu scrutinium « non fiat, attamen ut antiquissimæ illius disciplinæ quam « commemoravimus, memoria exstet, et saltem vestigia rema- « neant, Episcopus diaconatum aut sacerdotium collaturus, « populi testimonium exquirit, dicens : *Quid de eorum*, etc...

Digitized by Google

« et archidiaconum postea interrogat an sciat esse dignum quem « ordinandum exhibet : cui archidiaconus respondet : *Quantum « humana fragilitas nosse sinit, et scio et testificor*... Quia « porro prædicta archidiaconi attestatio nunc merus ritus et « cæremonia est, cum jam aliunde ordinandi vitam et mores Epi- « scopus antea exploraverit, idcirco Innocentius III (in cap. unic. « *de Scrutinio in ordine faciendo*) culpa vacare dixit archidiaco- « num, illum dignum affirmantem quem indignum esse non « novit, quamvis ignoret an revera dignus exsistat » (de Syn. diœc. l. v, c. 3, n° 4).

Ne nimis excrescat de re jam satis explorata oratio, prædictis auctoritatibus adjiciemus tantum recentem sacræ Congregationis concilii decisionem (10 junii 1848) in causa cujus expositionem ex folio ipso sacræ Congregationis transcripsimus. « Mastrojacono « archidiaconus ecclesiæ cathedralis Triventinæ, necnon exa- « minator prosynodalis, cum ex munere debeat in generalibus « ordinationibus non tantum ordinandos præsentare, sed « Episcopo interroganti respondere promovendos ad diaconatum « et ad presbyteratum *dignos esse*, exponit a se id muneris tuta « conscientia expleri non posse quin ordinandorum examini cum « aliis examinatoribus interveniat. Episcopus autem consilium « iniit de archidiacono amplius non advocando ad præfatum « examen, sicuti neque ad aliud quod fit super qualitates concur- « rentium ad beneficia parochialia obtinenda... Quare orator in « duplici suo munere archidiaconi et examinatoris prosynodalis « sese læsum esse existimans, ad hanc Congregationem confugit « ut ipsi facultatem faciat utrique examini promovendorum tum « ad sacros ordines, tum ad ecclesias parochiales, etiam invito « Episcopo, interveniendi. »

A suo duplici postulato dejectum fuissse Triventinum archidiaconum refert his verbis publicatio periodica *La Correspondance de Rome* (année 48, seconde édition, p. 2) : *La double demande de l'archidiacre de Trivento a été rejetée par la S. Congrégation.*

Ergo jam ut certum tenendum est archidiaconum nullum jus sibi vindicare posse interveniendi examinibus tum ordinandorum, tum promovendorum ad parochialia beneficia. Item certum est posse archidiaconum tuta omnino conscientia Episcopo sciscitanti

Digitized by Google

an sciat talem ordinandum *esse dignum*, respondere affirmative juxta formulam Pontificalis, licet prorsus ignoret ille dignus sit necne.

Si tamen *certo sciret* indignitatem ordinandi ab Episcopo nihilominus admissi, an posset etiam tunc affirmare se scire esse dignum? Respondendum negative. Ad hunc enim casum sese non extendunt præmissæ decisiones et auctoritates; imo illum expresse excludit decretalis Innocentii III per hæc verba, *dummodo contra conscientiam non loquatur*. Sed casus ille, ut patet, in praxi est fere chimericus, cum debeat tunc archidiaconus indignitatem ordinandi Episcopo indicare antequam procedatur ad ordinationem, et verisimile non sit Episcopum, si vere probetur prædicta indignitas, in proposito suo remansurum. At vero, si quando (quod Deus avertat!) archidiaconus omnino persuasum haberet indignum esse quem vult Episcopus ordinare, graviter peccaret dignum affirmando, ut tenent communiter doctores.

§ 4

QUID JURIS CIRCA ARCHIDIACONATUM, QUANDO PER STATUTUM VEL LOCALEM CONSUETUDINEM EVASIT DIGNITAS MERE HONORIFICA, ABSQUE ULLA ORDINARIA JURISDICTIONE? — ET QUID SENTIENDUM DE ARCHIDIACONIS AD NUTUM EPISCOPI REVOCABILIBUS, QUALES NUNC ALICUBI EXISTUNT IN GALLIA?

1° Certum est etiam tunc archidiaconatum esse veram et proprie dictam *dignitatem*; et archidiaconus illam obtinet, non a consuetudine, sed a jure communi ex sola sua denominatione. Unde omnia consectaria juris quoad *dignitates*, verbi gratia, quod possint delegari a Sancta Sede tanquam judices, etc., etiam hodiernis archidiaconis omni jurisdictione ordinaria destitutis, applicanda veniunt.

2° Remanet verum quod *de jure* archidiaconi sint *prima* dignitas, licet ex statuto aut consuetudine possint esse ultima. (Ita decisum a Rota, in *Andriensi*, 5 decemb. 1625, refert Pittonius, in sua Collectione decisionum pro canonicis, n. 613.)

3° Non requiritur ætas 25 annorum, neque doctoratus; quia concilium Tridentinum hæc non requisivit nisi pro archidiaconis jurisdictionem ordinariam exercentibus. Ita communiter

Digitized by Google

canonistæ, et fuit pluries a S. Congregatione concilii decisum.

4° Non videtur Episcopus posse alii quam archidiacono committere officium ordinandos præsentandi, quando adest aliquis archidiaconus in cathedrali.

5° Statutis et consuetudini standum est ad determinandum ordinem dignitatis archidiaconalis; ita ut possit esse prima, vel secunda, etc., pro statutis et consuetudine loci. Idem dicendum de competenti ipsi loco, tum in choro tum in processionibus et aliis hujusmodi.

6° Non abs re erit quasdam hic indicare decisiones sacræ Congregationis Rituum quæ archidiaconos spectant.

Archidiaconus, qui assistere debet Episcopo, si recuset, compelli potest etiam per censuras. Ita decisum a S. Congregatione Rituum. (Apud Gardellini, n^is 250 et 1450.)

Dum assistit Episcopo solemniter celebranti, vel in cathedrali, vel extra, intelligitur præsens in choro. Ita decisum a S. Congregatione Rituum. (Apud Gardellini, n° 225.)

Archidiaconus prima dignitas, etsi protonotariatus gaudeat titulo, debet tamen divinis officiis interesse in habitu chorali, si frui velit distributionibus, neque ei licet assistere Episcopo in habitu protonotarii. Ita decisum a S. Congregatione Rituum. (Apud Gardellini, n° 1425). Et nequit uti pulvinari serico, sed coraceo tantum (Ibid. n° 2362.)

Etsi in ordine diaconali constitutus, præcedit presbyteris. Ita decisum a S. Congregatione Rituum. (Apud Gardellini, n° 1326.)

Archidiaconus assistens Episcopo in ordinatione generali ministrare debet detecto capite, non cum bireto. Ita decisum a S. Congregatione Rituum. (Apud Gardellini, n° 2378.) Debet ducere ostiarios ad ecclesiæ januam, nec ei licet alteri hoc munus demandare. (Ibid. n° 2653 ad 4.)

An ad archidiaconum, quando est prima vel sola dignitas, pertineat dare signum pro inchoando officio et intonare orationem diminicalem? S. Congregatio Rituum respondit servandum esse cæremoniale, l. 2, c. 6. (Apud Gardellini, n° 3209.)

An ad eumdem, quando est prima vel sola dignitas, pertineat determinare horam celebrationis officii? S. Congregatio Rituum respondit servandas esse quoad hoc ordinationes Episcopi. (Apud Gardellini, n. 3209.)

Digitized by Google

An ad eumdem, quando est prima vel sola dignitas, pertineat deferre pluviale in processione solemni Corporis Christi? S. Congregatio Rituum respondit servandum esse cæremoniale, l. 2, c. 33. (Apud Gardellini, n. 3209.)

Archidiaconus prima dignitas, absente vel impedito Episcopo, debet peragere functiones ad normam cap. *Alma mater*, sed ei debetur tantum assistentia diaconi et subdiaconi. Ita decisum a S. Congregatione Rituum (Apud Gardellini, n. 3224.)

Quod intelligendum est quoad festa expressa in cæremoniali Episcoporum. (Ibidem, n. 3235.)

Nec licet archidiacono pro suo arbitrio solemniter celebrare, sed tantum in diebus expressis in cæremoniali. (Ibidem, n. 3280.)

Archidiaconus pontificalibus assistens nequit sumere et exuere paramenta in solio et loco proprii scamni, sed debet descendere ad immediatum gradum. Ita S. Congregatio Rituum. (Apud Gardellini, n. 4207.)

7° Quid vero sentiendum de archidiaconis ad nutum Episcopi revocabilibus, et qui moriente Episcopo suum titulum amittunt, quales alicubi in Gallia reperire est? Alicubi scilicet Episcopus titulum archidiaconi suis vicariis generalibus addidit. Et cum vicarii generales revocabiles sint ad nutum Episcopi, quando quis ex eis a munere suo amovetur, amittit simul sui archidiaconatus titulum, et qui ei succedit in vicariatu succedit etiam in honorifico illo archidiaconatu. Mortuo vero Episcopo, sicut vicariatum generalem amittunt istiusmodi archidiaconi, ita et archidiaconatum. Porro ad hæc usque tempora id inauditum et in Gallia et in toto orbe catholico fuerat (1). Est autem prorsus anticanonicum. Archidiaconatus enim tam ex natura sua perpetuus est quam canonicatus. Sicut ergo absonum est dicere canonicos esse ad nutum Episcopi revocabiles, et capitulum desinere et jam non exsistere statim ac moritur Episcopus, ita contradictorium est aliquem esse archidiaconum, et ipsius archidiaconatum cum morte Episcopi expirare. Et hoc verum est etiam de archidiaconatu considerato quatenus mere honorifico. Nam quatenus talis consequitur de

(1) Ego saltem nullum talis subversionis vestigium reperire potui.

Digitized by Google

jure communi varias prærogativas : est scilicet *dignitas* in sensu juris ; ita ut possit a Sancta Sede pro causis in partibus delegari ; et habet præcedentiam super cæteros de capitulo qui non sunt dignitates. Ista autem jura non constituunt archidiaconatum, etiam mere honorificum, nisi quatenus sunt perpetua. Quod etiam patet exemplo canonicatus mere honorarii, qui minime cessat moriente Episcopo, nec est ad nutum Episcopi revocabilis. Concludendum ergo vicarios generales de quibus loquimur, titulo archidiaconorum haud recte decorari, ipsosque minime obtinere verum archidiaconatum etiam mere honorificum, nec ipsis quatenus archidiaconis deberi ullam præcedentiam, nec eos quatenus archidiaconos esse delegabiles pro causis in partibus. Ita quidem concludimus, attento jure communi. An vero dictus usus ex indulto Pontificio alicubi legitimus evaserit, ignoramus.

CAPUT VIII

DE ARCHIPRESBYTERIS

I. *Quid antiquitus fuerint.* — Sicut archiepiscopus sonat primum inter Episcopos, et archidiaconus primum inter diaconos, ita archipresbyter primum inter presbyteros designat.

Duæ semper exstitere archipresbyterorum species, urbani nempe et rurales. Rurales successere chorepiscopis, qui in oppidis et villis diœceseos prius constituebantur cum jurisdictione limitata. Quoniam scilicet hujusmodi chorepiscopi jurisdictionis suæ fimbrias plus justo dilatabant, sublati sunt, et in eorum locum substituti quos Græci protopapas, Latini archipresbyteros vocarunt. Plebani etiam et archirurales dicti sunt. Hujusmodi ergo archipresbyteri vicarii erant Episcopi, unde et vicarii foranei dicti sunt. Et quando sub jurisdictione sibi commissi vicariatus decem habebant presbyteros, *decani* vocabantur ; quod nomen remansit, paucioribus aut pluribus quam decem sibi subjectis.

Porro dum ita vigeret extra urbem episcopalem hujusmodi institutio, multo magis in cathedrali, ita ut archipresbytero subjicerentur omnes civitatis presbyteri. Erat autem archipres-

Digitized by Google

byteratus, attenta ipsius institutione, prima post episcopalem dignitas; unde in antiquis canonibus memorantur archipresbyteri primo loco etiam ante archidiaconos : *Statuimus ut singuli nostrum cathedralibus ecclesiis archipresbyterum, archidiaconum et primicerium habere debeamus.* (Conc. Emerit. can. 10.) Alia hujusmodi monumenta citat Sarnelli (*Lettere eccles.* tom. I, lettera 26.) Curam animarum et jurisdictionem ordinariam exercebant. In exercenda vero jurisdictione ordinaria, archipresbyter sicut et archidiaconus erat vicarius natus Episcopi : in hoc differens ab hodiernis vicariis generalibus, qui revocabiles sunt ad nutum.

Quamvis autem ambigi vix queat quin initio archipresbyteri antecelluerint archidiaconis utpote ordine sacro inferioribus, tamen certum est iisdem postea subjectos fuisse : *Ut archipresbyter sciat se subesse archidiacono, et ejus præceptis omnibus, vel præceptionibus, sicut Episcopi, obedire debet* (c. *Ut archip.*, de officio archid.). *Archidiaconus secundum statuta B. Isidori imperat sacerdotibus. Archipresbyteri qui decani a plebibus nuncupantur, ejus jurisdictioni se noverint subjacere* (c. *Ad hoc*, de officio archid.). Vide Sarnelli, loco modo citato. Videri etiam potest Thomassinus (part. 1, l. 2, c. 3 et seq.), qui multa de archipresbyteris congerit, sed fuse potius quam dilucide.

II. Quid sit hodie ex jure communi archipresbyter cathedralis. — « Hodiernos archipresbyteros non secus ac archidiaconos « retinere solum quamdam antiquæ dignitatis imaginem seu « reliquias ait cardinalis de Luca, *De canonicis*, discursu 30, « n. 7. » (Leurenius, For. eccl. in l. 1, decret. quæst. 654.)

Archipresbyter tamen cathedralis, licet hodie jurisdictione destitutus nec curam animarum gerens, sed habens tantum aliquam præcedentiam quoad canonicos, est dignitas. Ruralis autem archipresbyter non est dignitas, unde nec potest esse delegatus Sedis Apostolicæ. (Leurenius, loco cit.)

Si quis autem velit prærogativas, etiamnum de jure communi archipresbytero competentes, describere, in vanum cantabit; cum jam a multo tempore consuetudo, statuta et praxis locorum, unica sint regula certa ad hujusmodi prærogativas determinandas. Quando autem archipresbyter est simul prima dignitas,

Digitized by Google

ei applicanda veniunt quæ supra de prima dignitate notavimus; quibus et duo sequentia addimus:

Archipresbyter prima dignitas nequit ab Episcopo cogi nisi ad missas quas celebrare debet ut dignitas, vel vice Episcopi absentis aut impediti. Neque ei celebranti deneganda est solita assistentia canonicorum. (Ita S. Congregatio Rituum, apud Gardellini, n° 624.)

Archipresbyter prima dignitas, in processione sanctissimi Corporis Christi, debet incedere ad dexteram decani canonicorum, vel si numerus sit dispar, medius inter duos antiquiores, sed nunquam solus. (S. Congregatio Rituum, apud Gardellini, n° 2608.)

CAPUT IX

DE THEOLOGO ET THEOLOGALI PRÆBENDA.

§ 1

INSTITUTIO CANONICI THEOLOGI QUOMODO INTRODUCTA ET PERFECTA; ET QUID DE THEOLOGALI AD NUTUM EPISCOPI REVOCABILI

« Quam cordi semper fuerit Summis Pontificibus atque eccle-
« siasticis conciliis theologiæ propagatio, elici libet ex Latera-
« nensi concilio IV sub Innocentio III, coacto anno 1215, in quo
« fuit salubriter provisum in ecclesia qualibet metropolitana, ad
« interpretationem sacrarum Scripturarum, atque ad edocendum
« quæ ad animarum curam spectant, theologum omnino eligi de-
« bere, eidem unius præbendæ reditibus assignatis. Hujusmodi
« generalis concilii dispositionem, Basileensis consessus inter
« plura quæ sibi indebita auctoritate arrogavit, ad ecclesias ca-
« thedrales quascumque extendit (sess. 31, c. 3) his verbis: *Cum*
« *per generalis concilii statuta ordinatum existat, quod quælibet*
« *metropolitana ecclesia unum debeat habere theologum, or-*
« *dinat hæc sancta synodus quod extendatur hujusmodi ordi-*
« *natio ad ecclesias cathedrales.* Quam quidem dispositionem
« Galli in pragmatica Sanctione inseruerunt; deinde in concor-
« datis retulerunt legitima interveniente auctoritate Leonis X, in
« concilio Lateranensi V, anno 1516; in quo fuit constitutum,

Digitized by Google

« ut in Galliæ et Delphinatus ecclesiis cathedralibus et metropo-
« litanis addiceretur præbenda theologalis doctori sive licentiato
« in theologia, ut bis saltem in hebdomada Scripturas legeret,
« referente Thomassino. (De Benef., p. I, l. II, c. 10, n. 3.)
« Profecto autem omnem perfectionem hujusmodi disciplinæ
« Concilium Tridentinum adjunxit. » (Card. Petra, Comm. in Const. *Quasi* Inn. VI, Summ., n. 8.)

En Tridentini Concilii decretum : *Eadem sacro-sancta synodus, piis Summorum Pontificum et probatorum conciliorum constitutionibus inhærens, easque amplectens et illis adjiciens; ne cœlestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat, statuit et decrevit, quod in illis ecclesiis in quibus præbendæ aut præstimonium, seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium pro lectoribus sacræ theologiæ deputatum reperitur, Episcopi, Archiepiscopi, primates et alii locorum ordinarii eos qui præbendam, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi obtinent, ad ipsius Scripturæ sacræ expositionem et interpretationem per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis Episcopis, Archiepiscopis, primatibus, et aliis locorum ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum cogant et compellant. De cætero vero præbenda, præstimonium aut stipendium hujusmodi nonnisi personis idoneis conferantur ; et aliter facta provisio nulla sit et invalida.*

In ecclesiis autem metropolitanis vel cathedralibus (si civitas insignis vel populosa), ac etiam in collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius diœcesis (si ibi clerus numerosus fuerit), ubi nulla præbenda aut præstimonium seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, præbenda quomodocumque (præterquam ex causa resignationis) primo vacatura..., ad eum usum ipso facto perpetuo constituta et deputata intelligatur. Et quatenus in ipsis ecclesiis nulla vel non sufficiens præbenda foret, metropolitanus vel episcopus ipse, per assignationem fructuum alicujus simplicis beneficii... de capituli consilio ita provideat, ut ipsa sacræ Scripturæ lectio habeatur... Statuit eadem sancta Synodus neminem ad hujusmodi lectionis officium, tam publice quam privatim admittendum esse, qui prius ab Episcopo loci, de vita, moribus et scientia

Digitized by Google

examinatus et approbatus non fuerit. (Sess. 5, c. 1, de ref.)

Quomodo canonicatus theologalis exordium sumpserit et tandem a jure communi determinatus fuerit, exarat etiam Benedictus XIV in suo libro *Institutionum ecclesiasticarum.* (Institutio 57.) Sed monumenta historica quæ pertinent ad erectionem præbendæ theologalis præcipue videri possunt apud Thomassinum. (*De veteri et nova Ecclesiæ discipl.*, parte 1, l. II, c. 10.)

Quod autem nuper aliqui in Gallia somniarunt, theologalem hodie in ista regione haberi posse ut revocabilem ab Episcopo ad nutum, refutationem non meretur. Pugnat enim in terminis quod canonicus theologalis non sit canonicus. Ergo primo non potest facere Episcopus, ut qui canonicus non est sit canonicus theologalis. Secundo, nec potest canonicum jam constitutum in munere theologalis ad nutum revocare, eo sensu quod possit idem munus alteri canonico committere. Nam non potest Episcopus canonicatum theologalem creare, nisi per decretum erigendo in theologalem, canonicatum aliquem determinatum, et illi canonicatui in perpetuum annectendo munus theologi; ita ut quicumque in posterum canonicatum illum consequetur, teneatur de jure theologi officium explere. Aliter facta erectio, est ipso jure nulla. Nec tenebitur unquam prædictum officium explere ullus canonicus, præter illum cujus præbenda in theologalem semel pro semper erecta est. Dum ergo prima vice Episcopus elegit aliquem canonicum theologalem, vel ipsius præbendam erigit modo prædicto in theologalem, vel non : si non erigit, electus sic ab Episcopo non est canonicus theologalis in sensu juris, nec tenebitur officium theologalis explere, nec abesse a choro ei licebit in casibus quibus vero theologali licitum est; uno verbo, nullus existeret in diœcesi canonicus theologalis, quamvis aliquis ficte et indebite nomen illud indueret : si erectio canonice facta est, provisus de canonicatu sic in theologalem erecto, sicut tenetur munus theologalis explere, et ad id potest pœnis et censuris ab Episcopo cogi, ita nequit munere privari, nisi simul privetur præbenda, id est, per canonicum judicium. Nam si relicto ipsi canonicatu Episcopus tentaret munus et nomen theologalis alteri conferre, nulliter omnino ageret. De jure enim canonicus, retinens præbendam theolo-

Digitized by Google

galem, remanet semper et hoc ipso canonicus theologalis; et potest juridice impedire ne quis alius titulum et munus suum usurpet; unde, ut privetur munere, debet et præbenda privari. Ergo nullatenus potest Episcopus ad nutum revocare canonicum theologalem; et si quis sit alicubi canonicus theologalis qui de facto ad nutum revocetur, fictitie omnino et indebite hoc nomen gerit. Quod autem dicitur de canonicatu theologali, eodem modo dicendum est de pœnitentiali, cujus munus est pariter perpetuum et præbendæ determinatæ inhærens.

§ 2

AD ERECTIONEM CANONICATUS THEOLOGALIS REQUIRITUR DEPUTATIO AB EPISCOPO

Ut præbenda primo vacatura erigatur in theologalem, requiritur provisum deputari tanquam theologum ab Episcopo; ita communiter canonistæ, et decisum refert cardinalis Petra (Comm. in Const. *Quasi* Innoc. VI, Summarium, n. 18, in tom. III): *Sacra Congregatio concilii censuit, approbante Sanctissimo, ad erectionem præbendæ theologalis requiri actualem deputationem; et ideo, si in provisione præbendæ non fuerit facta actualis deputatio, non posse provisum cogi obire munus lecturæ.*

§ 3

AD QUEM PERTINEAT COLLATIO PRÆBENDÆ THÆOLOGALIS

Quamvis aliqua præbenda erigatur in theologalem, non mutatur jus illam *conferendi*, sed tantum jus personam *eligendi*. Unde cum jus conferendi canonicatus seu præbendas canoniales, regulariter ex jure communi pertineat simul ad Episcopum et capitulum, præbenda theologalis vacans conferri debebit simultanee ab Episcopo et capitulo. Ubi autem ex speciali jure collationes hujusmodi ad solum Episcopum vel ad solum capitulum spectant, et hanc conditionem sequetur collatio præbendæ theologalis. Cum autem certum sit, ut infra statuitur, electionem personæ ad solum Episcopum pertinere, sequitur jus capituli conferendæ hujusmodi præbendæ ad meram formalitatem fere reduci; siquidem con-

Digitized by Google

ferre tenetur ei quem in theologum elegerit Episcopus. (Vide Card. Petra, in Const. *Quasi* Innoc. VI, Summarium, n. 30, in tom. IV.)

§ 4

AD EPISCOPUM EXCLUSIVE PERTINET ELIGERE PERSONAM CUI CONFERATUR PRÆBENDA THEOLOGALIS

« Personæ autem electio in hujusmodi præbenda instituendæ « semper atque inconcusse spectat ad Episcopum, etiamsi ante « erectionem nominatio canonicorum pertinuisset ad capitu- « lum. » (Card. Petra, in Const. *Quasi* Innoc. VI, Summ., n. 31. — Idem docet Barbosa, *De canonicis*, c. 27, n. 12 et seq.)

Excipiendus tamen casus quo vacaret præbenda theologalis in aliquo ex mensibus Sedi Apostolicæ reservatis. Nimirum si vacet præbenda theologalis in dictis mensibus, collatio et electio personæ ad Papam pertinent (1). Est item exceptio pro Italia et insulis adjacentibus; nam ibi præbenda theologalis dari debet *per concursum*, et consequenter determinatio seu electio personæ pendet a judicio examinatorum, ut statutum est per bullam *Pastoralis officii* Benedicti XIII, de qua dicetur infra.

De jure olim in Gallia et Hispania circa prædictam collationem vigente sic habet cardinalis Petra (loco citato, n. 33) : « In regno Franciæ præbenda hujusmodi in quocumque mense « vacaverit, semper confertur ab Episcopo et capitulo (ex Con- « cordato, rubr. *De collationibus*, § 1, ibique Rebuffus, verbo « *Theologalem*). In regnis vero Castellæ et Legionis Hispania- « rum, canonicatus theologales providentur ab Episcopis per « concursum, in quocumque mense vacaverint, et nequaquam « a Sede Apostolica, ut cætera beneficia, teste Garcia et Gon- « zales; qui subdunt sibi ipsis non bene compertum esse ex « quo id proveniat indulto, vel an totum operetur patientia « et tolerantia Papæ. »

« Advertat Episcopus, ait Monacelli (tit. II, formula 5, adno- « tatio 1) quod erectio præbendæ theologalis in illis cathedra-

(1) Vide apud Ferraris, verbo *Canonicatus*, articulo 9, n. 11.

Digitized by Google

« libus in quibus adhuc erecta non fuit, non solum potest fieri « quando actu canonicatus est vacans, sed etiam pro primo cano- « nicatu vacaturo, juxta textum Concilii Tridentini (sess. 5, c. 1).»

Canonicatus autem theologalis conferendus est clerico sæculari, nunquam regulari (ita S. Congregatio Rituum. Apud Gardellini, n. 74).

§ 5

QUALITATES IN CANONICO THEOLOGALI REQUISITÆ. — AN DEBEAT ELIGI PER CONCURSUM, ET AN DEBEAT ESSE IN THEOLOGIA DOCTOR

I. Quoad qualitates requisitas sic animadvertit cardinalis Petra (in Const. *Quasi* Innoc. VI, Summ., n. 34 et seq.) : « Profecto autem ad hujusmodi præbendam eligendus est ab « Episcopo theologus qui habilis dici possit ad sacram Scrip- « turarum lectionem (ex Tridentino). Et quidem, ut pinguius « adimpleatur sacri Concilii mens, in theologia doctor depu- « tari debet. Cæterum si commode reperiri nequeat, sufficit « ut præbenda provideatur de theologo non laureato alias « idoneo, ut dixit sacra Congregatio concilii (in *Astensi*, « 3 febr. 1646), in qua causa, proposito dubio, an theologus « non doctor possit præbendam hujusmodi obtinere, censuit : « *Affirmative, si non adsit doctor æqualis idoneitatis...*

« Et quidem si theologus idoneus in civitate non reperiatur, « quod providere debeat (*Episcopus*) præbendam de extero, « dixit Sacra eadem Congregatio (in *Venafrana,* 3 aprilis 1593, « l. 7 Decretorum, pag. 103)...

« Persona vero quæ ad præbendam theologalem adsciscitur, « debet esse adeo idonea, ut per se munus congrue subire « valeat ; alioquin collatio nulla quidem est et invalida, ex Tri- « dentini dispositione. » (Sess. 5, c. 1 De ref.)

II. Quoad collationem per concursum, distinguendum est inter jus commune et jus particulare.

De jure communi non requiritur collatio per concursum, cum nulla lege generali ante Tridentinum præscripta fuerit hæc forma, et Tridentinum de adhibendo concursu in conferendo canonicatu theologali omnino sileat, imo electionem personæ arbitrio Episcopi relinquat.

Digitized by Google

De jure vero *particulari*, et quidem valde extenso, aliter dicendum est. Nam Clemens XIV in sua constitutione *Nuper pro parte* (29 novembris 1769) ad regnum Sardiniæ extendit quæ decreta fuerant a Leone X, Sixto V et Gregorio XIV pro regnis Navarræ, Granatæ, Castellæ et Legionis, nempe ut canonicatus theologalis et pœnitentiarii *prævio concursu, per edictorum affixionem, coram Ordinariis locorum et respective ecclesiarum capitulis habendo, conferantur*. Benedictus vero XIII, anno 1725, in sua constitutione *Pastoralis officii* pariter concursum et necessitatem doctoratus in theologia præscripserat pro Italia et insulis adjacentibus. In recenti autem concordato Pii IX feliciter regnantis cum Hispaniarum gubernio, remansit et confirmata est concursus necessitas : *Canonicatuum de officio provisio ad prælatos et capitula prævio concursu pertinebit. Cæteris dignitatibus ac canonicatibus Majestas sua et Archiepiscopi atque Episcopi stricte alternando providebunt* (art. 18). Unde adhuc viget tum in Hispania, tum in Italia et insulis adjacentibus, jus prædictum particulare, concursum decernens in conferendo canonicatu theologali. Sanctus vero Carolus Borromæus hanc disciplinam de concursu pro theologali præbenda jam suo tempore in ecclesia sua induxerat.

Quoad Galliam jus commune applicandum venit, cum omnes hujus regionis ecclesiæ recens erectæ, sub jure communi ortæ sint, nec concursus lex quoad præbendam theologalem a Sancta Sede imposita fuerit. Difficultas oriri tantum posset quoad diœcesim Ajaciensem in insula Corsica, utpote quæ censenda foret comprehensa sub dispositione Benedicti XIII pro Italia et insulis adjacentibus. Sed etiam illa Ecclesia exstincta fuit per bullam *Qui Christi Domini*, in qua inter suppressas enumeratur : unde quæ ipsius loco per eamdem constitutionem erecta est, sub jure communi sicut et ceteræ ecclesiæ Galliarum censeri debet.

III. Quoad necessitatem doctoratus in theologali canonico, pariter distinguendum est inter jus commune et jus particulare.

Ad jus commune quod attinet, nullum verbum facit concilium Tridentinum de necessitate gradus academici in suo decreto sessionis quintæ (c. 1); sed requirit tantum ab Episcopo eligi *idoneum*. Dici quidem potest fuisse mentem sacræ synodi

Digitized by Google

ut non eligeretur nisi doctor in sacra theologia ; cum enim id expresse statuerit pro pœnitentiario et pro scholastro, concludi potest a fortiori eam idem intendisse pro theologalis munere; sed tamen id expresse non dixit, ac proinde doctoratus ad theologalem præbendam obtinendam de jure communi non præcipitur.

Affertur a multis constitutio Benedicti XIII, requirens lauream in sacra theologia et prævium concursum ; sed in ipsamet bulla ista dicitur id decerni *pro Italia et insulis adjacentibus.* De quo non monens Benedictus XIV in suo tractatu de synodo diœcesana (lib. XIII, c. 9, n. 16 et 17) non paucos forsan lectores in errorem induxit, ita ut existimaverint et concursum et doctoratum requiri de jure universali.

« Hodie, inquit Ferraris, electio theologi, sicuti etiam pœni-« tentiarii..., debet fieri per concursum, ex novissima consti-« tutione Benedicti XIII, incipiente *Pastoralis officii* » (verbo *Canonicatus,* articulo 9, n. 14). Et ita plures alii, ex eadem constitutione, concursus et doctoratus necessitatem quoad canonicum theologalem, tanquam *jus commune* inferunt. Atque idem firmant insuper, ex variis sacrarum congregationum responsis. Quam communem sententiam animadvertens, non audeo contradicere. Id tantum dicam, me non perspicere, quomodo ex dicta constitutione sequatur *jus commune,* cum in ea expresse dicatur : « Decernimus et mandamus, ut in cathe-« dralibus quibuscumque *Italiæ insularumque adjacentium,* « in quibus etc. » His quippe verbis, *Italiæ insularumque,* omnes constitutionis dispositiones affici mihi videntur.

Item quoad responsiones sacrarum congregationum, attendendum est utrum factæ sint ad eos qui sunt de Italia et insulis adjacentibus, an autem ad alios. Si ad priores, nihil probant declarationes illæ quoad jus commune, sed tantum quoad jus locorum in constitutione Benedicti XIII expressorum.

Ad jus particulare, verbi gratia, referenda videtur declaratio de qua Benedictus XIV sic loquitur : « Merito a sacra Congre-« gatione responsum fuit *generaliter loquendo,* non satis esse « ut quis in jure canonico doctoris gradum adeptus fuerit ; « in casibus tamen particularibus videri posse an expediat « eamdem præbendam alicui sacrorum canonum magistro

Digitized by Google

« conferre, qui scilicet cum juris canonici lectione ea quoque « conjungere valeat quæ pertinent ad theologiam moralem. » (Benedictus XIV, De syn. diœc., l. XIII, c. 9.) Nam declaratio illa facta est pro casu, quo in diplomate provisionis inserta fuit clausula de assumendo infra annum gradu *in theologia*, et petebatur an sufficeret sic provisum lauream *in jure canonico* assumere. Cui dubio responsum est: *Negative, et habebitur ratio in casibus particularibus.* (Thesaurus resolut. t. II, pag. 321.)

Unde ad jus commune quod attinet, concludendum potius videretur, sicut nullum concursum, ita et nullum gradum academicum in rigore requiri pro præbenda theologali. Esse autem mentem concilii Tridentini ut eligatur doctor, et quidem in theologia. Ac proin si præsto sit, sive in diœcesi, sive extra, aliquis idoneus et simul doctor in theologia, ad mentem Tridentini, anteponendum esse et non-doctoribus et doctoribus in jure canonico.

Si vero Episcopus eligat non-doctorem, cæteroquin idoneum, aut doctorem in jure canonico, relicto doctore in theologia etiam idoneo, valebit electio, et nulla opus erit dispensatione, cum non exsistat ulla in contrarium dispositio, quæ vim legis universalis habeat.

§ 6

QUOMODO PROCEDERE POSSIT EPISCOPUS CONTRA CANONICUM THEOLOGALEM, QUI RECTE OFFICIO SUO NON FUNGITUR

« Theologum alias idoneum detrectantem munus sibi injunc- « tum exsequi, Episcopus ad id compellere potest commina- « tionibus pœnarum, sequestratione fructuum, assignatione « portionis de eisdem fructibus alteri qui ipsius loco legat; « demum, crescente contumacia, potest ad censuras, nec non « privationem devenire, ad præscriptum sacri concilii Triden- « tini (sess. 24, c. 12, De ref.). Factaque privatione, ad corrobo- « randum concilii decretum, Episcopus ipse declarare debet « talem præbendam sive canonicatum affectum fuisse pro « sacræ Scripturæ lectore; tum deleget personam idoneam « quæ id muneris per seipsam exsequi valeat, ut resolvisse sa-

Digitized by Google

« cram Congregationem testantur Fagnanus (in c. *Quia non-*
« *nullis*, de magist. n. 35), Barbosa (*De canonicis*, c. 27,
« n. 30). Et consonat resolutio emanata (in *Placentina*, 29
« martii 1607), his verbis : *Theologalem præbendam obtinens*
« *potest compelli ut per se, non per substitutum, muneri suo*
« *satisfaciat; qui si in residendo se præbuerit contumacem,*
« *debet Episcopus adversus eum procedere ad præscriptum*
« *capitis* 12 *sessionis* 24 ; *et pro tempore quo cessante legi-*
« *tima causa et justo impedimento abfuerit, idem Episcopus*
« *debet alium ejusdem canonici sumptibus substituere* (In
« lib. 10 decretorum, p. 162).

« Quam quidem sollicitudinem, ut theologus suo munere
« fungatur, Episcopus habere debet in ecclesiis etiam ordi-
« nariis inferioribus subjectis, in quibus hujusmodi præbendæ
« theologales sunt erectæ, si ipsi Ordinarii negligentes in hu-
« jusmodi cura se præbuerint, ut eo ejusdem sacræ Congre-
« gationis mente firmant Pignatelli, Barbosa; quod tamen in-
« tellige de prælatis non exsistentibus in vera qualitate *Nul-*
« *lius.* » (Card. Petra, comment. in constit. *Quasi* Innocentii VI,
in Summario, n. 41, in tomo IV.)

§ 7

DESCRIBITUR OFFICIUM THEOLOGALIS CANONICI

I. *An de aliis quam de sacra Scriptura tractare possit ?* —
« Theologale munus versatur in sacræ Scripturæ expositione
« sive interpretatione, sacri concilii Tridentini littera inspecta
« (sess. 5, c. I, De ref.). Scopus namque hujusce dispositionis
« fuit, ne cœlestis librorum sacrorum *thesaurus neglectus ja-*
« *ceat*, ut Tridentinum ait. Opulentissimus quidem et nobilissi-
« mus scientiarum thesaurus qui Deum ipsum habet auctorem
« et argumentum !

« Verumtamen sacri concilii menti non refragatur, si, sacræ
« Scripturæ loco, theologiæ scholasticæ habeatur lectio ; cum in
« ejusmodi sanctione promiscue etiam de theologiæ lectione fiat
« mentio ; et merito, cum theologia non aliud doceat quam
« sacræ Scripturæ intelligentiam.

Digitized by Google

« Quinimo neque theologiæ moralis, quæ casuum conscien-
« tiæ dicitur, improbari potest impositio ; potissime in nostris
« Italiæ regionibus, aliisque, in quibus de fidei dogmatibus et
« theologicis quæstionibus cum hæreticis et schismaticis, Deo
« juvante, disputare non est opus. Quocirca utiliorem theologia,
« opportunioremque pro moribus christianis efformandis, atque
« pro sacramentorum administratione, moralium expositionem,
« ubi pacifica est catholicæ fidei professio, dixit cardinalis de
« Luca (ad conc. Trid., disc. 2, n. 5 et 19). Et videtur appro-
« basse sacra Congregatio (in *Pharensi*, 13 aprilis 1595) dum
« resolvit : *Theologalem præbendam alicui ex collegii Illyrici*
« *alumnis idoneis conferri posse, tametsi is casus conscientiæ*
« *tantum sit explicaturus.* » (Lib. VIII decretorum, p. 116.)

« Et cum fuerit (ut inferius dicam) res remissa Episcopo, iste
« juxta sui prudentiam, si agnoverit auditores capaces, præ-
« sertim etiam laïcos, quos sub nomine populi sacrum conci-
« lium comprehendit, debet sacram Scripturam e suggestu, ut
« regulariter fieri debet, explanandam demandare. Sed si secus
« populus non adsit, nec clerus tam doctus, melius instruendi
« sunt in theologia morali magis eis accommodata. » (Cardin.
Petra, comm. in const. *Quasi* Innoc. VI, in Summ., n. 46, in
tomo IV.)

II. *Ad quem pertineat determinare lectionum theologalium tempus, materiam et modum?* — « Profecto lectionum theolo-
« galium quantitas, materia, modus, tempus et hora, arbitrio
« Episcopi remittitur, ut novissime sacra congregatio resolvit
« (in *Amerina*, 15 martii 1710), atque omnes conveniunt doc-
« tores. Hujusmodi vero arbitrio in his decernendis pro libera
« voluntate Episcopus abuti non potest ; regulari namque debet
« ex rationabili consuetudine ipsius ecclesiæ aliarumque cir-
« cumpositarum, ut sacra Congregatio quoad tempus et nume-
« rum lectionum censuit (in *Patavina*, 15 julii 1645). » Circa
quæstionem an lectiones fieri debeant memoriter, addit cardinalis Petra, curare debere Episcopum ne theologus materiam quam defert puerili modo in charta scriptam legat, ita ut sit causa derisionis ; improbandum autem non esse ut chartula utatur ad fovendam memoriam, quia, ex mente concilii Tridentini, theologus non debet concionari, sed more doctorum docere.

Digitized by Google

(Comment. in constit. *Quasi* Innoc. VI, in Summ., n. 48.) Ex decreto Benedicti XIII in concilio Romano (tit. I, c. 7) tenetur canonicus theologus saltem 40 lectiones publicas in ecclesia habere : sed illud decretum facit jus particulare, non commune, ut supra diximus.

III. *Quo in loco docere debeat theologus?* — Locus ubi haberi debet theologalis lectio regulariter est in cathedrali, in publico suggestu (Monacelli, in *Formulario,* t. I, tit. 2, form. 5, n. 5 et 7). Justis tamen de causis potest Episcopus disponere ut fiat alibi, modo omnino publice et in loco publico, ut non ecclesiastici tantum, sed omnes de populo in lege divina instruantur. Unde locus cathedralis non est immutandus nisi maxima urgente causa, cum Tridentina synodus respectum habuerit ad cleri et populi confluentiam. Id firmat ex decisionibus sacræ Congregationis concilii cardinalis Petra, loco supra citato, n. 52.

« Menti propterea concilii non videtur satisfactum, sed po-
« tius a tam salutari provisione illos Episcopos aberrare, qui
« tolerant, imo et præscribunt quod canonicus theologus... non
« clero neque populo, sed paucis parochis et confessariis sæcu-
« laribus, loco explicationis Scripturæ, quæstiones morales
« semel vel bis in mense extra ecclesiam proponat. Sit igitur
« explanatio Scripturæ e suggestu publice in ecclesia cathedrali ;
« et illius partis et loci qui facilius intelligitur, et populo fruc-
« tuosus est : prout sunt præcepta decalogi, mysteria fidei et
« novissima hominis. Et si conferentiæ casuum Episcopo pla-
« ceant, hoc unum faciat, et aliud non prætermittat. » (Monacelli, tit. II, formula 5, adnot. 6 et 7.)

IV. *An theologus teneatur respondere quæsitis, et solvere difficultates propositas in ejus lectione?* — Negative respondit sacra Congregatio concilii, 13 martii 1677, testante cardinali Petra (loco citato, n. 47).

V. *Quandonam theologalis canonicus possit aut debeat per substitutum munus suum explere?* — « Legitima subsistente
« causa per substitutum ab Episcopo eligendum inservire potest
« (Rota, decis. 1294) ; potissime si diutine causa hujusmodi
« impedimenti persisteret, ratione publicæ utilitatis, ne salutari
« pabulo fideles priventur. Quippe si ad breve tempus legitime
« theologus impediretur, neque per substitutum inservire esset

Digitized by Google

« cogendus, ut paris conditionis habeatur ac cæteri canonici, qui « ex legitima causa a residentia excusantur. » (Card. Petra, loco supra citato, n. 42.)

VI. Theologalis canonicus jus habet lectiones suas suspendendi mensibus æstivis, nempe julio, augusto et septembri. (Vide probatum apud Card. Petra, loco citato, n. 58.)

Canonicus theologus non debet explicare populo sacram Scripturam inter missarum solemnia, ac præcise post evangelium. (Ita S. Congregatio Rituum, apud Gardellini, n. 4318.)

VII. Canonicus theologalis eo die quo lectionem habere debet, eximitur ab obligatione assistendi choro per totum diem illum. Quod licet olim in controversia positum fuerit, nunc omnino certum est ob concessionem Gregorii XIII. Et certum est pariter ipsum illo die lucrari non tantum fructus præbendæ, sed etiam distributiones quotidianas et alia emolumenta quæ ipsi evenirent si præsens esset. (Vide inter alia decisionem S. Congregationis Rituum, apud Gardellini, n° 3448.)

VIII. Etiam diebus festivis quibus non habet lectionem, excusare se potest a servitio et assistentia in choro, ex causa studii. Et tunc quidem lucratur fructus præbendæ, non vero distributiones quotidianas (quod vide expositum apud Card. Petra, loco citato, n. 57).

IX. Videri etiam potest descriptum theologalis canonici munus a Benedicto XIV in suo libro *Institutionum ecclesiasticarum* (inst. 57, n. 7).

§ 8

AN CANONICI ALIIQUE CLERICI AB EPISCOPO COGI POSSINT UT LECTIONI THEOLOGALI INTERSINT

Valde intricatam quæstionem illam dilucidavit atque penitus enodavit clarissimus cardinalis Petra in suo commentario in bullam Innocentii VI quæ incipit *Quasi* (n° 62, tomo IV). Et cum huic quæstioni affinis omnino sit alia, an nempe Episcopus possit omnes sacerdotes cogere ut intersint conferentiæ casuum conscientiæ, utramque simul discutit laudatus auctor, cujus doctrinam summatim hic exponendam duximus.

1° Cogi posse ab Episcopo canonicos et alios de clero ut lectioni

Digitized by Google

theologali intersint, docuerunt Barbosa, Jordanus Pax, Monacelli, et cardinalis de Luca. 2° Idem senserunt Pignatelli et alii quidam, quando theologalis canonicus materias morales tractat; secus si tractet speculativas, quo casu non tenentur accedere qui non intelligunt. 3° Sacra Congregatio concilii (in *Fundana*, 15 octobris 1619) respondit: *Lectioni Scripturæ sacræ teneri saltem assistere canonicos ecclesiæ cathedralis; ideoque canonicum theologum injunctum sibi munus hoc certe prætextu detrectare non posse, quod scilicet nullum habeat auditorem.* 4° Prædicta canonicorum obligatio probari posset a pari ex obligatione certa interessendi concionibus Quadragesimæ et Adventus. 5° Non valet argumentum ab obligatione interessendi concionibus Quadragesimæ et Adventus; quia illæ conciones connexionem habent cum divino officio ad quod obligantur canonici : lectiones vero theologales minime. 6° Ad conferentias casuum conscientiæ certum est posse cogi ab Episcopo omnes parochos tam sæculares quam etiam regulares. Et, si capitulum ipsum curam habitualem animarum habeat, tenentur accedere omnes canonici curam per turnum exercentes, ut resolutum fuit a sacra Congregatione (11 decembris 1621). 7° Olim sacra Congregatio senserat confessarios sæculares cogi non posse ad conferentias casuum ; quod variis allatis decisionibus probat cardinalis Petra. 8° Eadem sacra Congregatio, anno 1692, respondit Episcopum ad conferentiam casuum conscientiæ *posse compellere omnes sacerdotes sæculares, confessarios, etiamsi sint canonici, cæteros vero non posse compellere, sed hortari.* Unde hodie certum est et communiter admissum, posse ab Episcopo ad conferentiam casuum compelli parochos et confessarios sæculares omnes. 9° Quoad lectionem theologalem sacra Congregatio (in *Cæsenatensi*, 18 julii 1648) respondit canonicos quidem hortandos, sed compelli posse tantum pœnitentiarium. Qua posita decisione, jam in contrarium argui nequit ex anteriori supra relata anni 1619, quæ oppositum quoad canonicos statuere videbatur. 10° Quoad confessarios an compelli possint ad lectionem theologalem, distulit respondere anno 1662; sed die 2 julii 1707 respondit : *quoad interventum* teneri confessarios et curatos, reliquos vero esse hortandos et non cogendos.

Ex quibus omnibus fuse expositis concludit cardinalis Petra

Digitized by Google

ab Episcopo compelli posse, tum ad conferentias casuum conscientiæ, tum ad lectiones canonici theologalis, 1° parochos, etiam regulares et exemptos; 2° canonicum pœnitentiarium; 3° confessarios omnes sæculares: reliquos vero hortandos esse, non cogendos.

Vix tamen ab omni culpa in praxi excusari possent canonici et alii clerici ecclesiæ cathedrali addicti, si dum Episcopus publice eos hortatus esset (sicut certo hortari potest) ad interessendum, nihilominus ordinarie abessent; quia id absque aliquo populi scandalo non eveniret. Vide Monacelli (titulo 2, form. 5, adnot. 8).

§ 9

AN IN STATU PRÆSENTI ECCLESIARUM GALLIÆ ET ALIARUM QUÆ REGUNTUR EX CONCORDATO ANNI 1801, OBLIGATORIA PERMANSERIT CANONICATUUM THEOLOGALIUM ERECTIO?

1. Possibilis est talis erectio. Adsunt enim pro præbendis stipendia annua singulis canonicatibus affixa. Unde præscriptum Tridentini primum canonicatum vacaturum erigendi in theologalem, non indiget nisi decreto Episcopi hanc erectionem declarantis, et personam idoneam eligentis et deputantis. Jam vero tale decretum nihil impedire videtur, nec ex parte sancitorum in concordato, nec ex parte relationum cum Gubernio habendarum.

2. Posita autem possibilitate dictæ erectionis, præceptum Tridentini urgere dicendum est. Si enim non urgeret, esset vel quia disciplina Tridentini non esset recepta in Galliis, vel ob legitime jam præscriptam contrariam consuetudinem. Porro neutra valet ratio. Disciplina enim Tridentini falso dicitur non fuisse in integrum recepta in Galliarum ecclesiis, ut alibi statuimus (1). Sed etiamsi sustineri posset eam integre non fuisse introductam, certum est et ab omnibus admissum eam in multis fuisse receptam: porro præceptum de quo agimus in primis adnumerandum est iis disciplinæ legibus quæ omnino et certissime receptæ fuerunt, cum usque ad magnam perturbationem

(1) Id exposuimus in tractatu de *Concilio provinciali* gallice edito, p. 500.

Digitized by Google

anni 1793 ubique in Gallia viguerit theologalium præbendarum institutio.

3. Præterea certum est Pium VII per bullam concordati extinxisse omnes antiquas Galliæ ecclesias cum *omnibus privilegiis et prærogativis cujuscumque generis;* ergo si quod exstitisset antea contra jus commune privilegium, sive ex consuetudine, sive ex alio quovis titulo, privilegium illud extinctum est; ita ut ex tunc omnes novæ Galliarum ecclesiæ sub jure communi ipso facto positæ fuerint; jus autem commune est ipsummet jus Tridentinum. Ergo statim a concordato urgebat præceptum Tridentini de canonicatibus theologalibus erigendis.

5. Tandem præceptum illud expresse renovavit Pius VII his verbis: *Curent præterea ut in unoquoque capitulo duo adsint canonici, quorum alter pœnitentiarii, alter theologi officio fungatur* (bulla *Commissa divinitus* anni 1817, § 25, Bullarium continuatum, t. XIV, pag. 369). Et licet concordatum istud anni 1817 quoad quasdam dispositiones revocatum postea fuerit, prædictum tamen præceptum revocatio non attingit, cum inter revocata minime numeretur, et bulla dicatur in cæteris firmitatem retinere.

6. Verum quidem est Galliæ Episcopos tot tantisque curis tunc temporis distractos, de tali erectione non ubique curasse, seu potius eos prudenter ad meliora tempora eam erectionem distulisse, cum non præsto essent viri ad tale munus idonei, et de parochis ante omnia providendus esset christianus populus. At nunc feliciter adaucto, ex Dei gratia, in Galliis clero, nulla objici posse videtur solida ratio cur Tridentinum præceptum non urgeat. Consuetudo enim contraria nedum sit immemorabilis, ab anno 1801 initium desumit: præterea etiam si longior esset, quatenus irrationabilis, nihil contra legem valeret: tandem nec vim etiam consuetudinis habere censenda est ab anno 1801; simplex enim omissio qua non observatur lex, eo quod talis observatio nondum facta fuerit possibilis, non constituit consuetudinem contra legem. Unde, salvo doctiorum et præsertim superiorum judicio, nobis videtur nunc saltem urgere generatim loquendo in Galliæ ecclesiis præceptum de erigendo theologali canonicatu, ubi non fuisset erectus. Quod firmant insuper zelus et tentamina plurium Episcoporum qui theolo-

Digitized by Google

gales lectiones quodammodo supplere, extra jus commune et sub forma institutionum localium, jam passim in Gallia moliuntur.

CAPUT X

DE PŒNITENTIARIO

In omnibus cathedralibus ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, pœnitentiarius aliquis, cum unione præbendæ proxime vacaturæ, ab Episcopo instituatur, qui magister sit vel doctor aut licentiatus in theologia vel jure canonico, et annorum quadraginta; seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur; qui dum confessiones in ecclesia audiet, interim præsens in choro censeatur. (Trid., sess. 24, c. 18, De ref.)

§ 1

DESCRIBITUR IPSIUS OFFICIUM ET POTESTAS

1. Pœnitentiarius, ut ipsius nomen sonat, ad audiendas confessiones institutus est.

2. Eo ipso quod est institutus, habet a jure et concilio Tridentino facultatem audiendi confessiones et jurisdictionem ad absolvendum a peccatis absque alia Ordinarii licentia, et est veluti parochus totius diœcesis. Pœnitentiario quilibet potest peccata sua confiteri et sic satisfacere præcepto. Ita Ferraris (ad vocem *Canonicus,* art. 9, n. 67); Monacelli (tit. 2, formula 6, adnot. 28); Barbosa (in c. 8, sess. 24 conc. Trid.).

3. Non habet tamen hanc potestatem in aliena diœcesi, sed in sua tantum (Ferraris, ibid., n. 69).

4. Non potest absolvere a casibus reservatis Papæ; neque etiam a casibus reservatis ab Episcopo, nisi ipsemet Episcopus talem specialem facultatem ei expresse concesserit. Ita decisum a sacra Congregatione concilii testatur Ferraris (loco cit., n. 71); sanctus Liguorius (l. VI, tract. 4, n. 599); Monacelli (loco citato, adnotatione 29).

5. Casus reservatos sibi ab Episcopo commissos, non potest

Digitized by Google

alteri subdelegare (Ferraris, ibid., n. 72. — Et sanctus Liguorius, loco citato).

6. Tenetur confessiones integras audire, non vero tantum peccata reservata. Ita sacra Congregatio concilii (apud Ferraris, ibid., n. 73).

7. Audire confessiones parochianorum civitatis nullatenus recusare potest. Ita sacra Congregatio Rituum (apud Ferraris, ibid., n. 74).

8. Etiam non vocatus, debet de mane assistere et residere in sede confessionali ab Episcopo ipsi destinata diebus festis solemnioribus, videlicet tempore jejuniorum Quadragesimæ, Adventus et quatuor temporum, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis B. M. V., omnium Sanctorum et Nativitatis Domini. Testatur a sacra Congregatione concilii decisum Ferraris (ibid., n. 76), Monacelli (tit. 2, form. 6, adnot. 5). Prædictam declarationem S. Congregationis concilii refert per extensum Crispinus (*De visit.*, parte II, n. 2).

9. Confessiones audire si recuset, poterit ab Episcopo puniri. Decisum a sacra Congregatione concilii testatur Ferraris (ibid., n. 75). « Alias, ait Monacelli (tit. II, form. 6, adn. 3), poterit « præcepto pœnali cogi, et contumacia illius perdurante, præ« benda quoque privari. Ita sacra Congregatio concilii, in *Ve*« *rulana*, quam allegat Crispinus (*De visit.*, parte II, § XXIV, « n. I). »

10. Non tamen potest cogi ab Episcopo ad interessendum in sua sede pro audiendis confessionibus eo tempore, quo non adsunt pœnitentes qui sua opera uti velint. Decisum a sacra Congregatione Episcoporum et reg., 18 septembris 1637 (Ferraris, ibid., n. 77).

11. Regulariter non est admittendus in confessarium monialium : si tamen constaret ipsum posse utrique muneri satisfacere, admitti posset. Ita Congregatio concilii (in *Januensi*, 11 septembris 1666, relata apud Pignatelli, t. VII, consult. 13).

12. Regulariter non potest esse vicarius generalis Episcopi, ne suspicionem ingerat quod in administratione justitiæ utatur scientia confessionis : si tamen tantæ esset opinionis apud omnes, ut prorsus excluderetur hujusmodi suspicio, posset esse simul

Digitized by Google

vicarius generalis. Ita sacra Congregatio Episc. et reg., 15 julii 1611 (apud Ferraris, loco cit., n. 85).

13. Canonicus pœnitentiarius, licet ultimo loco provisus, cogi non debet ad obeundum munus diaconi et subdiaconi, quacumque consuetudine non obstante. Ita S. Congr. Rituum. (Apud Gardellini, n. 2464.)

An, quomodo, et a quo compelli possit canonicus pœnitentiarius ut assistat confessionario tempore convenienti, vide declaratum a sacra Congregatione Rituum (apud Gardellini, n. 3221 et 3256).

§ 2

DE QUALITATIBUS AD PŒNITENTIARII MUNUS REQUISITIS

1. Debet esse in theologia laureatus, vel in jure canonico, ut expresse habetur in citato Tridentini decreto. Nec sufficit ipsum esse doctorem diplomate, sed re etiam debet esse. Aliquando scilicet accidit aliquos scientia minime pollentes obtinere nihilominus doctoris titulum. De quorum numero si constaret esse aliquem pœnitentiarium, posset et deberet a munere removeri. Ita decisum a congregatione concilii refert Ferraris (loco cit., n. 46).

2. Si non invenirentur in diœcesi doctores aut licentiati in jure canonico vel in theologia, posset Episcopus alium non laureatum, idoneum tamen, eligere; cum dicat Tridentina synodus, *seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur.*

3. Debet esse 40 annorum, ut expresse sancivit Tridentina synodus. Illos autem 40 annos debere esse completos tenent communiter canonistæ, contra Azorium, qui putabat sufficere incœptum quadragesimum annum. (Vide Ferraris, loco citato, n. 50.)

Si tamen nullus talis ætatis idoneus in diœcesi reperiretur, posset Episcopus aliquem idoneum, licet ætate minorem eligere; nec enim tenetur illum extra diœcesim quærere. Ita canonistæ citati a Ferraris (loco cit., n. 51).

« Pro validitate collationis hujus præbendæ, ait Monacelli « (tit. II, form. 6, adn. 2), non est necesse quod provisus sit « doctor vel theologus, sed sufficit quod in loco sit aptior, quando

Digitized by Google

« doctores et licentiati in jure canonico vel theologia apti non « inveniuntur; et idem procedit quoad ætatem 40 annorum, « ut probant Garcia (De benef. part. VII, c. 4, n. 32) et Barbosa « (in c. 8 sess. 24, c. Trid.). »

§ 3

QUÆ PARTICULARIA PRIVILEGIA HABEAT, ET QUIBUS ALIIS CANONICIS COMMUNIBUS CAREAT

1. Dum audit confessiones, pro præsente habendus est in choro, ita ut lucretur fructus præbendæ et distributiones et emolumenta alia, prout si de facto adesset; cum expresse dicat Tridentinum : *Interim præsens in choro censeatur.* Et censetur etiam præsens processionibus, orationibus et exequiis defunctorum, et lucratur ex iis emolumenta. Ita decisum a sacra Congregatione concilii testatur Ferraris (loco cit., n. 81).

2. Quid vero, si tempore chori maneat in confessionali, exspectans pœnitentes? — Aliqui docuerunt eum pro absente habendum esse, pro quo et decisiones quasdam sacræ Congregationis citant. Sed alii cum sancto Liguorio distinguunt, et putant eum ita licite agere et pro præsenti habendum esse, si pœnitentes accedere soleant, et eo animo agat ut se ipsis promptiorem efficiat et non cogantur cum rubore eum perquirere. (S. Liguorius, lib. 4, c. 2, n. 131.) Et idem dicendum de canonico quem Episcopus ad supplendum pœnitentiarium deputaret: potest enim Episcopus, impedito pœnitentiario, aliquem canonicum in ejus locum subrogare ad confessiones audiendas.

3. Pœnitentiarius non potest cogi ad majorem residentiam quam alii canonici, qui per tres menses abesse possunt, modo tamen non absit tempore quo frequentes pœnitentes accedunt, id est, circa festa supra descripta, § 1.

4. Sicut alii canonici non possunt canonicatum pœnitentialem jure optionis cum suo permutare quando vacat, ita nec ipse pœnitentiarius jus habet optandi aliam præbendam pinguiorem vacantem. Quia nempe ad obtinendum ipsius titulum requiruntur examen et electio et qualitates speciales, et quia in pœnitentiario eligitur industria personalis. (Ferraris, loco cit., n. 65.)

Digitized by Google

5. Potest tamen resignare suam præbendam pœnitentialem, etiam in favorem alterius, qui tamen habeat qualitates requisitas. (Ferraris, loco cit., n. 65.)

6. Non præcedit aliis, quia non est dignitas; sed sedere et incedere debet eo loco quem obtineret si fuisset capitulo adscriptus tanquam simplex canonicus; nec valent contrariæ consuetudines. Duas in hunc sensum sacræ Congregationis concilii decisiones allegat Ferraris (loco cit., n. 83).

§ 4

AD QUEM PERTINEAT ELECTIO PERSONÆ ET COLLATIO PRÆBENDÆ PŒNITENTIALIS

1. Pœnitentiarium instituere et eligere pertinet ad solum Episcopum, cum hoc a concilio Tridentino solius Episcopi arbitrio relinquatur; et ita decisum a sacra Congregatione refertur apud Ferraris (loco cit., 53). Excipiendus casus quo vigeret alicubi reservatio Sedi Apostolicæ præbendarum in certis quibusdam mensibus vacantium; quia tunc si in dictis mensibus vacaret præbenda pœnitentiaria, ad Summum Pontificem pertineret collatio et electio personæ.

2. De jure particulari, in Italia et insulis adjacentibus, institui debet concursus, et ille eligendus est et providendus, qui ab examinatoribus vel synodalibus vel aliis ab Episcopo deputatis, æstimatur aptior. Et requiritur *in theologia* gradus academicus. Ita statuit Benedictus XIII in sua constitutione *Pastoralis officii.*

3. Nihil mutatum est quoad jus collationis. Unde si collatio præbendarum canonialium pertineat simultanee ad capitulum et Episcopum, sicut regulariter pertinere infra (1) dicimus, debebit præbenda pœnitentiaria conferri simul ab Episcopo et capitulo, licet capitulum non possit illam conferre nisi ei quem elegerit Episcopus. (Ferraris, ex decisione S. Congregationis, loco cit., n. 59.)

4. Si vacet illa præbenda tempore quo vacat sedes episcopalis, non potest capitulum ad illam nominare, etiamsi ad ipsum solum pertineret collatio canonicatuum. Ita decisum est

(1) Parte II hujus tractatus.

Digitized by Google

a Sacra Congregatione concilii (Ferraris, loco cit., n. 55).

5. In prædicto casu, electionem et collationem pertinere ad Papam, etiam seclusa reservatione, et non esse reservandam futuro Episcopo, tradit Ferraris tanquam a Sacra Congregatione concilii decisum (loco cit., n. 50).

6. Capitulum non potest sese intromittere in electione pœnitentiarii, etiam in casu quo ad ipsum pertineret collatio ; et hoc quamvis Episcopus esset absens. Potest autem Episcopus absens, ubicumque fuerit, eligere pœnitentiarium ; et etiam potest facultatem eligendi suo vicario generali delegare. Ita Ferraris citans duas S. Congregationis decisiones (loco cit., n. 57 et 58).

§ 5

QUOMODO EPISCOPUS POSSIT VEL TENEATUR CANONICATUM PŒNITENTIALEM ERIGERE

1. Non est obligatio pœnitentiarium instituendi nisi in cathedralibus, cum de cathedralibus tantum loquatur decretum Tridentinum. Unde nullum exstat præceptum eumdem constituendi in collegiatis. Et ita decisum a S. Congregatione refert Ferraris (loco cit., n. 52).

2. Erigi tantum potest in pœnitentiariam præbenda canonicalis, non autem portio, aut aliud inferius beneficium. (Ferraris, loco cit., n. 61.)

3. « Potest Episcopus adnectere pœnitentiariam præbendæ « plenæ cum consensu possessoris, ea lege quod transeat ad « successores in eadem præbenda. (S. Congregatio concilii in « *Senensi*, 16 aprilis 1695.) Nec non potest et debet Episcopus « eligere canonicum pœnitentiarium, quanquam capitulo com- « petat jus conferendi canonicatus vacantes. » (Monacelli, tit. 2, form. 6, adnot. 1.)

4. Ubi simul non posset erigi theologalis et pœnitentialis canonicatus, sed alteruter tantum, erigi debet theologalis. Et ut aliter fieri posset, requirenda foret confirmatio Sanctæ Sedis. Ita decisum testatur Ferraris (loco cit., n. 63), et Monacelli (parte I, tit. II, form. 6, adnot. 1).

Digitized by Google

§ 6

QUOMODO PROCEDENDUM SIT CONTRA PŒNITENTIARIUM, SI PRÆBENDA SUA PRIVANDUS SIT

Si pœnitentiarius residendi obligationi non satisfaciat, et Episcopus velit procedere contra eum ad privationem canonicatus, tenetur servare regulam præscriptam in sacro concilio Tridentino (sess. 24, c. 12 De ref.), ut respondit Sacra Congregatio concilii Episcopo Curiensi, qui cum supplicasset declarari : *an absente canonico pœnitentiario ultra tres menses, et per alium inservire faciente quoad munus pœnitentiarii, contra eum servanda sit regula a sacro concilio Tridentino* (sess. 24, c. 12) *super privatione canonicatus ecclesiæ cathedralis; vel potius sit diversimode procedendum?* — Die 7 decembris 1697, *Sacra Congregatio censuit, canonicum pœnitentiarium esse comprehensum sub dispositione concilii.* (Apud Monacelli, part. 1, tit. 2, form. 6, adnot. 27 — Edit. Venetiana, 1772, pag. 24.)

§ 7

QUID JURIS QUOAD STATUM PRÆSENTEM ECCLESIARUM GALLIÆ

Idem dicendum videtur quod supra de canonicatu theologali innuimus. Possibilem scilicet in statu præsenti ecclesiarum Galliæ videri talem erectionem, cum pendeat ab Episcopo decernere ut primus canonicatus vacans huic muneri in perpetuum deputetur. Posita vero possibilitate, desuetudo ab anno concordati, ob deductas supra rationes, non videtur impedire, quominus præceptum Tridentinum nunc urgere incipiat. Quod tamen salvo semper superiorum judicio dictum volumus.

Digitized by Google

CAPUT XI

DE PRIMICERIO, SACRISTA ET CUSTODE

« Primicerius sic dictus ab ordine ceræ (1), quo nimirum « primus descriptus est in catalogo seu tabulis ceratis. In genere, « primicerius ille vocatur qui in quibusvis officiis quæ pluribus « communicantur primum locum tenet. Sanctus Stephanus a « divo Augustino vocatur *primiçerius martyrum*. Pari modo in « ordine secundus dicitur *secundicerius* (uti Gregorius Magnus, « l. VI, epist. 29) : tertius, *tertiocerius*, etc.

« Nomine primicerii hodiedum fere venit qui choro psallen- « tium et scholæ cantorum præest. Soletque vocari cantor seu « *præcentor* (dum qui ejus vices gerit, vocatur *succentor*) ; vel « etiam in aliquibus ecclesiis *scholasticus*.

« Officium illius est (prout describitur can. *Perlectis*, dist. 25, « et cap. unico, *De officio primicerii*) diaconos et cæteros cleri- « cos ad chorum deputatos docere modum et ordinem psallendi « in choro pro varietate et solemnitate temporum ; lectiones, « responsoria, aliaque hujusmodi assignare et distribuere, ac ita « choro præesse. Quamvis hæc in plerisque ecclesiis cathedrali- « bus, præcipue Germaniæ, succentori relinquantur ; quin etiam « pro diversitate ecclesiarum et de jure speciali, ejus potestas et « auctoritas sit longe diversa, major aut minor. De cætero, li- « cet pertineant ad eum acolythi, psalmistæ et lectores, incum- « batque ei cura, ut quoad chorum potissimum inter clericos « suæ curæ commissos observetur disciplina, cum tamen id ip- « sum non nisi directione, monitione et correctione omnino « extrajudiciali efficiat, ita ut defectus in his commissos quos « ita emendare nequit, ad Episcopum aut etiam ad archidiaco- « num deferre debeat ; jurisdictionem proprie, aut etiam curam « animarum, quantum est de se seu jure communi, non habet. » (Leurenius, *Forum eccl.*, quæst. 664 et 665.) Certum est primiceriatum seu cantoriam non esse dignitatem de jure communi, sed potest esse dignitas ex statuto vel consuetudine.

(1) Videtur potius *primicerii* vocabulum nihil aliud esse quam ipsa vox *primus*, usu introducta nova desinentia.

Digitized by Google

Invaluit usus in variis locis, ut a primæva illa et communi vocis *primicerii* interpretatione recederetur. Constat enim in quibusdam cathedralibus et collegiatis primam post Episcopum dignitatem esse primicerium, idque etiam ex pontificio erectionis diplomate, ut videre est in collectione decisionum Pittonii (in tomo pro capitulis). Et sic in Gallia nuper dum ageretur de erigenda Sancti Dionysii prope Parisios collegiata, præficiendus erat *primicerius*. Porro in hoc casu vox illa idem sonat ac *prima dignitas*, nec habet sensum supra a Leurenio expositum.

II. « Sub nomine *Sacristæ* venit is ad quem proxime sacro-
« rum vasorum et thesauri ecclesiastici cura spectat. Quem-
« admodum enim locus in quo vasa et vestes sacræ cæteraque
« supellex ad ministerium ecclesiasticum deputata reponitur et
« asservatur, dicitur *sacrarium;* ita qui harum rerum curam et
« custodiam habet, *sacrista* appellatur. Dicitur quoque in ali-
« quibus ecclesiis *thesaurarius*, et *scevophylax* (Thomassinus,
« parte I, l. II, c. 103, n. 11), id est, sacrorum vasorum custos.

« Munus illius est calices, patenas, thuribula, candelabra,
« aliaque hujusmodi instrumenta, ornamenta et vestimenta
« ecclesiastica, totumque ecclesiæ thesaurum custodire (cap. un.,
« *De officio sacristæ*, in lib. I decretalium). Insuper, ut habetur
« in capite *Perlectis* (dist. 25), ad ejus officium spectat basilica-
« rum et ostiarii ordinatio, incensi præparatio, cura chrismatis
« conficiendi, baptisterii ordinandi, præparatio luminarium in
« sacrario et in sacrificiis. His non obstante quod custodia ec-
« clesiæ et omnium vasorum ad archidiaconum spectare dica-
« tur (c. *Ad hæc*, De off. arch.). Nam bene respondet Reiffenstuel
« (ad titul. *De officio archidiaconi*, n. 5), quod, juxta caput *Ut*
« *sciat*, *De sacrista*, archidiacono sacrista subjectus sit; atque
« adeo quæ proxime ad sacristæ custodiam spectant, eo me-
« diante pertineant primario et principaliter ad ipsius archidia-
« coni curam.

« Quamvis Thomassinus (loco citato) referat sanctum Eu-
« thymium vaticinatum Anastasio presbytero chorepiscopo et
« sacristæ ecclesiæ patriarchalis Hierosolymitanæ, fore ut ipse
« quandoque hujus ecclesiæ culmen conscenderet, et hinc li-
« quere dicat quanti ponderis esset illa scevophylacis dignitas,
« utque presbyteris semper commendaretur; indubitatum ta-

Digitized by Google

« men videtur sacristam olim passim non obtinuisse dignitatem; « quin et ejus administrationem vi institutionis suæ perpetuam « non fuisse, adeoque ne quidem beneficium proprie tale. Post- « modum tamen consuetudine et statuto multarum ecclesiarum « cathedralium introductum, ut inter beneficia et dignitates ec- « clesiasticas numeretur; ita etiam ut ei causarum ecclesiasti- « carum cognitio et definitio a Sede Apostolica delegari possit : « uti ea jam olim ab Innocentio III delegata ei fuit (c. *Cum olim*, « De jure competenti). » (Leurenius, *Forum eccles.* ad I librum « decretalium, quæst. 667).

III. « Custos ex institutione sui officii est quasi minister sa- « cristæ. Non quidem in custodiendis vasis aureis et argenteis, « vestimentis pretiosis et ecclesiæ thesauro asservando, utpote « quæ custodia et asservatio propria est sacristæ ipsi seu thesau- « rario, sed in custodiendis cæteris minus pretiosis ecclesiæ uten- « silibus et rei divinæ instrumentis. Insuper ad ejus officium « spectat signa dare divinorum officiorum, pallia et linteamina « altarium curare, panem et vinum reliquaque ad altaris minis- « terium procurare, lampades et luminaria debito tempore ac- « cendere et exstinguere, oblationes et eleemosynas (de consensu « tamen archidiaconi) fideliter custodire et inter fratres distri- « buere, prout hæc habentur capite 1 et de 2 *De officio custodis.* « Et hæc quidem de jure communi; pro consuetudine siquidem « variarum ecclesiarum officium illius diversum est, ita ut in ali- « quibus ecclesiis illud gerens dicatur thesaurarius minor (Bar- « bosa, *De canonicis*, c. 8, n. 11); in aliis sacrista et custos sit « unus idemque utriusque munus; in aliis, retento a canonicis « titulo ac præbenda talium officiorum, administratio et execu- « tio eorumdem potiore parte translata in ædituum; quin et in « pluribus totaliter (sub inspectione tamen et directione adhuc « aliqua canonici qui hunc titulum gerit) sit penes vicarios, « etiam laïcos ecclesiæ ministros. Ac denique, licet, spectato « jure communi, officium custodis multo minus quam sacristæ « quo inferior est sit dignitas aut beneficium, sed purum minis- « terium, in pluribus tamen ecclesiis cathedralibus, etiam cus- « todis officium est dignitas. » (Leurenius, loco cit., quæst. 669.)

Digitized by Google

CAPUT XII

DE PUNCTATORE ET EJUS OFFICIO

Punctator dicitur canonicus vel alius deputatus ut absentes annotet. Quod nomen sortitus videtur ex eo quod soleat punctum inscribere post nomen cujusque absentis.

Quot decretis et quanta cum sollicitudine Ecclesia residentiam et sacrorum officiorum debitam expletionem canonicis et beneficiatis præscripserit, testantur juris ecclesiastici monumenta innumera. Verum, ait Benedictus XIV (De syn. diœc. l. IV, c. 4) « facile eluderentur tot salutares constitutiones, nisi « in singulis cathedralibus et collegiatis ecclesiis certi designati « forent canonici, seu alio quocumque nomine nuncupentur « beneficiarii, quibus onus incumberet accurate adnotandi quot- « quot in choro aliisque sacris functionibus desiderantur, et qui- « bus nominatim diebus, aut a qua speciatim divini officii parte « hic aut ille se subducat. Qui vero ad ejusmodi munus desti- « nantur olim dictos fuisse *obedientiales* (quasi ex mera obe- « dientia invisum munus subirent inquirendi in aliorum negli- « gentiam) ex quodam diplomate Innocentii III autumat Petrus « Morettus (De ritu dandi presbyterium, p. 1, sect. 5, n. 3). Nunc « autem communiter vulgo dicuntur *punctatores*. Atque ad id « muneris in singulis ecclesiis duo plerumque deliguntur; tum « ut uno impedito alter non desit, tum potissimum ut alicujus a « choro absentiam ambo uniformiter testantes, omnem a se re- « moveant suspicionem fraudis. Ex his duobus, unum deputan- « dum a capitulo, alterum ab Episcopo, decrevit S. Carolus « Borromæus in primo concilio provinciali Mediolanensi;... « quibus vestigiis laudabiliter et sancte plures alii Episcopi « inhæserunt. »

« Universim loquendo electos in punctatores, priusquam offi- « cium assumant, esse jurejurando obstringendos ad illud fideli- « ter obeundum, edixit Sacra Congregatio concilii (in *Macera- « tensi*, 26 aprilis 1664, libro XXIV decretorum, pag. 328). »

Formulam autem juramenti sic præscripsit in sua provincia sanctus Carolus Borromæus : *Ego N. punctatoris officium quod*

Digitized by Google

suscepi, per hæc sancta Dei Evangelia juratus sancte promitto ac spondeo me fideliter et sincere, quantum in me est, executurum. Sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia.

« Cum dubitatum fuisset coram quo prædictum juramentum « præstandum esset, Sacra Congregatio præstandum censuit co- « ram illo a quo punctator esset electus. In causa enim Senensi « (13 julii 1686), proposito sequenti dubio : *an qui punctatoris* « *munere fungi debet, teneatur et cogi possit ad præstandum* « *juramentum in manibus Archiepiscopi et in capitulo, vel* « *saltem alterutro modo, de fideliter exercendo dictum munus :* « — Sacra Congregatio respondit : *punctatorem teneri jurare* « *coram deputante.* » (Benedictus XIV, De syn. diœc., l. IV, c. 4.)

Prædictum juramentum voluit sanctus Carolus Borromæus a punctatoribus emitti, non tantum quando officium suum accipiunt, sed insuper in diœcesana synodo. Quæ consuetudo in plures dein ecclesias est propagata.

Punctator ad mensem vel ad annum juxta loci consuetudinem constituitur unus ex ejusdem ecclesiæ canonicis, qui tempore sui officii non potest deputari sacristiæ præfectus, nec hebdomadarius. Ratio est, quia permanere debet in choro ab exordio divinorum usque ad ultimum. (Ceccoperius, lib. II, tit. XIV. — Apud Scarfantonium, t. I, p. 174, edit. Lucæ, 1723.)

Qui dignior est de choro, cavere debet ne exeant plures quam duo, et inobedientes a punctatore punctentur. (Ceccoperius, loco citato.)

Si quisquam sæpe sæpius exiret, hujusmodi absentiæ causa in pleno capitulo esset aperienda et probanda. Ita Sacra Congregatio (apud Barbosam, *De canonicis*, cap. 24, n. 27).

Certe censenda est causa rationabilis, et fragilitati humanæ congrua, si interdum Canonicus ob capitis fatigationem ex cantus prolixitate aliquantisper exeat a choro, ut spiritum assumat et animum reficiat... Possunt adduci plures aliæ causæ; sed videatur ut sint veræ, et non tantum apparentes. (Ceccoperius, loco citato.)

A principio divini officii usque ad finem punctator persistere debet in choro cum suo libro et calamo, ut absque alia jussione punctet, ac mulctet omnes reos, humanis affectibus remotis.

Digitized by Google

Alias ipse de proprio, in choro bene servientibus tenetur restituere. (Ceccoperius, loco citato.)

Canonicum punctatorem a choro absentem, partes sunt antiquioris canonici punctare ac mulctare, prout etiam omnes alios absentes, seu præsentes qui defectus ibi patrant. Sed melius videtur (juxta Gavantum, in sua praxi De synodo part. I, cap. 34, n. 1) quod eligantur duo punctatores, qui possunt esse etiam extranei a capitulo, dummodo sint sacris ordinibus initiati. (Ceccoperius, loco citato.)

Punctatoris munus est insuper punctare canonicos absque justa causa non intervenientes publicis processionibus, quæ loco corollarii veniunt sub obligatione recitandi publice divinum officium. His processionibus assignantur distributiones, et regulariter major portio attribuitur interessentibus processioni quam uni horæ canonicæ (Ceccoperius, loco citato. — Gavantus, *Manuale Episc.*, verbo *Processio*, n. 28.)

Memoratis processionibus interesse tenentur non tantum canonici, sed et alii clerici beneficiati.

Denique quoniam missa venit appellatione divinorum officiorum, et æquiparatur horæ canonicæ, assignantur distributiones pro missis quæ canonicis cantandæ præscribuntur. Idcirco a punctatore punctandi ac pro absentibus habendi sunt canonici, qui ad præfatas missas ante finem ultimi *kyrie* non veniunt; et insuper ii qui non cantant, vel qui confabulantur, vel qui huc illuc vagantur, aut alios defectus committunt. Et eamdem pœnam incurrunt qui ante finem missæ a choro discedunt. (Ceccoperius, loco citato.)

Canonici et etiam dignitates, prima tamen excepta, quando exeunt a choro divinorum officiorum tempore, tenentur punctatori rationabilem egrediendi causam innuere. Quod nisi agant, punctandi sunt. (Ceccoperius, l. II, tit. 13.)

Quæ huc usque de punctatoris officio descripsimus præsertim ad distributiones quotidianas referuntur; unde quis concludere posset, nullum requiri punctatorem ubi nulla fit distributio; quod applicandum venit capitulis Galliæ et aliarum regionum, in quibus a concordato anni 1801 cessarunt hujusmodi distributiones.

Sed, ut alibi dicimus, præceptum Tridentinum in distribu-

Digitized by Google

tiones convertendi tertiam partem fructuum præbendæ, videtur etiamnum urgere quoad stipendium annuum quod canonici loco præbendæ a Gubernio accipiunt; atque potest Episcopus canonicos compellere ad reponendam tertiam illam partem in massam communem pro quotidianis distributionibus. Quod si fiat, jam non minus hodie quam olim necessarium erit punctatoris officium. At præterea, abstrahendo etiam a prædictis distributionibus, certum est Episcopo et primæ dignitati obligationem incumbere invigilandi ut omnes qui ad officia chori tenentur iis et intersint et debite satisfaciant. Tenetur prima dignitas in delinquentes fraterna correctione animadvertere. Episcopus vero debet contra non assistentes procedere, et etiam, in casu quo alia juris remedia non sufficiant, ad privationis pœnam devenire. Porro ad talia omnino necesse est ut aliquis absentias observet et annotet, sive ut punctatoris officium expleat.

CAPUT XIII

DE BENEFICIARIIS

« Ultra dignitates, canonicatus seu præbendas, in Ecclesia « cathedrali seu collegiata, alia reperiuntur inferiora beneficia, « quæ non sunt de corpore capituli. Hujusmodi sunt :

« *Assisii* seu *Mansionarii*, qui videlicet in eadem ecclesia as« sidue, et veluti permanenter officium canendi in choro, et di« vina celebrandi obire tenentur. Antonius Fabricius ita vocatos « assisios dicit quasi *assiduos*, forte propter assiduitatem. Pro « supplendis ipsorum canonicorum defectibus adsciti, et eccle« siasticorum proventuum participes effecti. Quidam *hebdoma« darii* vel etiam *choristæ* dicuntur, et in secundo ordine cleri« corum primas tenent. Alii vero a canonicis magis remoti, sim« pliciter ad serviendum ecclesiæ obligati sunt, vocanturque « aliquando mansionarii, aliquando matricularii, et aliquando « habituati; quibus beneficiatorum nomen denegandum, nisi « eis per modum beneficii et non simplicium stipendiorum certi « proventus ecclesiastici destinarentur. »

« *Portionarii* item, qui videntur idem importare quod as« sisii, et sunt de inferioribus beneficiis, non dicuntur habere

Digitized by Google

« præbendam, sicut dignitates et canonici, sed *portionem*. Idem « dicendum de dimidiis *portionariis*. Et denique sunt quartena- « rii, tertionarii et dimidii præbendati. » (Barbosa, *De canonicis*, c. 4.)

Quando canonici habent administrationem massæ seu redituum hujusmodi beneficiatorum, an teneantur ipsis rationem reddere? Certum est a canonicis rationem hujusmodi administrationis reddi debere tantum Episcopo, non autem ipsis beneficiatis; jus tamen habent beneficiati assistendi redditioni rationis factæ coram Episcopo, et petendi ostensionem computorum. Ita decisum est a Sacra Congregatione concilii (in *Astensi*, 12 julii 1682), quam decisionem refert Scarfantonius (tom. II, p. 142, edit. Lucæ, 1723).

Licet beneficiati non sint proprie de capitulo, ei tamen aptantur et sunt ipsius naturale quoddam complementum, atque ad splendorem cultus divini multum conferunt. Hinc in præcipuis et olim in omnibus forte cathedralibus, præter præbendas canonicorum, extabant, non impari sæpe numero, beneficia illa secundi ordinis.

Ad residentiam et assistentiam in choro, et divinorum officiorum expletionem, non minus de jure communi astringuntur, quam ipsimet canonici.

Vocem non habent in capitulo, nisi in deliberationibus quæ tangunt commune interesse ipsorum et canonicorum. Sedes ipsis fixæ deputantur in choro; at non inter stalla canonicorum, sed in inferiori ordine.

CAPUT XIV

DE COADJUTORIBUS

Quando canonicus, aut dignitas aliqua capituli, vel impeditur vel non vult officium suum explere, aliquando obtinet a Summo Pontifice ut aliquis in dicto servitio sibi subrogetur; et ille qui auctoritate Apostolica deputatur ad supplendum dicitur coadjutor.

Licet habeat exspectativam seu jus succedendi coadjuto, non tamen est verus canonicus, sed fictus, ejusque munus officium est, non autem beneficium, ideoque non venit appellatione ca-

Digitized by Google

nonicorum in statutis aliisque dispositionibus ; nec tenetur emittere professionem fidei, nec insigniri gradibus academicis (quos alioquin requireret coadjuti munus), quandiu vivit coadjutus, sed tantum quando illi mortuo succedit.

Interesse capitulo prohibetur, etiam absente coadjuto. Effectus inhabilis ad servitium Ecclesiæ, verbi gratia, si evadat cæcus, amittit jus ad successionem.

Non verum est ipsi deberi omnes præeminentias coadjuto debitas, pro quo vide varia decreta Sacræ Congregationis Rituum a Scarfantonio relata (t. I, pag. 68 et 69, editio Lucensis, 1723).

Quid de talibus coadjutoriis quoad generale Ecclesiæ bonum sentiendum sit, satis colligi potest ex sequentibus Benedicti XIV animadversionibus : « Juxta sacros canones, synodumque Tri-« dentinam, haud permittuntur coadjutores ea conditione, ut « ad canonicatus vel inferiora beneficia admittantur. Nam hu-« jusmodi coadjutoriis alienæ mortis desiderium inhærere so-« let, quod maxime adversatur capiti *Detestanda, De concessione* « *præbendæ, in sexto.* Attamen Romani Pontifices, qui solum « id possunt, aliquando coadjutores concedunt, ita ut in cano-« nicatus et inferiora beneficia deinde subrogentur. » (*Institutiones ecclesiasticæ*, inst. 107, § 9, n. 65.)

An lucra provenientia ex punctaturis et absentiis canonicorum, quæ præsentibus accrescunt, debeantur canonicis coadjutoribus, sive potius coadjutis? — Sacra Congregatio concilii (10 augusti 1730) respondit : *Deberi canonicis coadjutis.* (Apud Benedictum XIV, loco citato.)

Non competit coadjutori privilegium abessendi a choro et nihilominus lucrandi fructus sui beneficii ex causa studiorum ; quo tamen privilegio gaudent canonici, sub certis quibusdam conditionibus.

CAPUT XV

DE CANONICIS SUPERNUMERARIIS

1. « Tres sunt istorum canonicorum supranumerariorum dif-« ferentiæ : Prima, eorum qui sunt creati a Papa cum exspec-« tativa, nimirum quibus Papa contulit canonicatum et præben-« dam primo vacaturam in ecclesia ; secunda eorum qui sunt

Digitized by Google

« creati ad simplicem honorem sine præbenda, ac sine exspecta-
« tiva, ac proinde canonici honorarii nuncupantur ; tertia eorum
« qui ultra numerum antiquum, mediante fundatione et erec-
« tione novæ præbendæ, recipiuntur in canonicos; prout in has
« tres species dividuntur a cardinali de Luca, *De canonicis*, dis-
« cursu 6. »

2. « Quatenus autem pertinet ad primam dictorum canonico-
« rum speciem, habentium nempe spem ad primo vacaturam
« præbendam, distinguendum est inter eos qui ultra exspecta-
« tivam habent etiam jus admissionis ad stallum in choro et
« locum in capitulo ; et alios qui habent simplicem exspectati-
« vam. Primi namque... consequuntur omnia jura canonica...
« Hi vero qui tantum habent exspectativam, non sunt proprie
« ac vere canonici... sed nuncupantur canonici *in herbis*.

3. « Horum canonicorum creatio cum exspectativa, quorum
« est frequens mentio in sacris canonibus, non est amplius in
« usu, propter dispositionem sacræ Tridentinæ synodi, quæ hu-
« jusmodi gratias exspectativas vetuit in capite 19, sess. 24, *De*
« *reformatione*. » (Scarfantonius, *De canonicis*, lib. I, tit. XIV.)

4. « Quoad secundam speciem canonicorum creatorum ad
« simplicem honorem sine præbenda et sine spe ad illam, di-
« cuntur habere nomen sine re, et nomenclaturam vacuam et
« inanem, cum per talem creationem nihil omnino consequan-
« tur, nec stallum in choro, nec vocem in capitulo (Abbas, in
« cap. I, De judic. in fine. — Riccius in Praxi aurea, reso-
« lut. 263). »

« Aliquando tamen, ex mandato Papæ, sive ex consuetu-
« dine, aut capituli permissione, habent stallum et locum in
« choro; et tunc ad limites conditionum sub quibus creati sunt,
« mensurantur eorum privilegia. »

« Per istam tamen stalli concessionem non adstringuntur ad
« residentiam; cum solum dicantur acquirere sedem honorariam
« in Ecclesia, quæ non importat necessitatem, sed solum facul-
« tatem residendi ; cum eatenus quis compelli possit ad residen-
« tiam, quatenus sit conjuncta cum fructuum perceptione. Et
« exinde sequitur hujusmodi canonicos posse simul retinere be-
« neficium residentiale, veluti parochiam, ut declaravit Sacra
« Congregatio concilii, in una *Fulginatensi*, 14 martii 1648. »

Digitized by Google

« Quatenus denique pertinet ad tertiam speciem canonicorum « *extra numerum,* nempe illorum qui supra numerum antiquum « in ecclesia per statutum vel immemorabilem consuetudinem « firmatum, cum assignatione novæ præbendæ recipiuntur... « præmittere oportet, quod aliquæ ecclesiæ non habent *certum* « *numerum* canonicorum neque præbendarum, sed ad mensu- « ram et proportionem redituum massæ capitularis, modo « plures, modo pauciores recipiuntur canonici... Aliquæ vero « habent *certum numerum* canonicorum, sed in eis non est con- « stitutus numerus vel distinctio præbendarum. Aliæ item eccle- « siæ habent *certum numerum* canonicorum cum determinato « pariter numero præbendarum correspondente numero ipso- « rum canonicorum, sed earum præbendarum distinctio non « datur, utpote quia omnia bona massæ capitularis sunt ad domi- « nium et administrationem capituli in communi, quod ea per « suos officiales administrat, et proportionaliter inter canonicos « distribuit; aliæ tandem habeant certum numerum canonico- « rum et præbendarum, quarum dominium licet sit penes capi- « tulum, attamen administratio residet apud particulares cano- « nicos. Et hæ differentiæ numeri præbendarum et canonicorum « magistraliter declarantur per *Rotam.* » (Scarfantonius, *De canonicis,* l. I, tit. XIV.)

Ecclesiæ ergo in quibus canonicorum est certus seu fixus numerus, dicuntur *numeratæ :* aliæ vero *non numeratæ.* Non agitur de canonicis supranumerariis præbendatis, nisi relative ad ecclesias *numeratas.* De illis autem canonicis sic pergit citatus Scarfantonius :

« In illis ecclesiis in quibus certus canonicorum numerus fir- « matus est auctoritate Papæ, augeri seu frangi præfixus nu- « merus non potest, nisi cum expressa derogatione statuto seu « indulto; si vero ecclesia *numerata* fuerit auctoritate solius « Episcopi, tunc potest augeri canonicorum numerus per ip- « sum Episcopum de consensu capituli, ut docent Abbas (in cap. « *Cum accessissent*, De constitutionibus), Barbosa (*De canonicis,* « cap. 3, n. 3), cardinalis de Luca (*De canonicis,* disc. 6, n. 4).

« Hæc tamen regula (nempe quod Papa debeat expresse dero- « gare præfixo numero) non habet locum quoties agitur de erec- « tione novi canonicatus cum assignatione particularis præ-

Digitized by Google

« bendæ... Quia nimirum præfinitio numeri canonicorum ideo « fit, ne mensa capitularis sustinere cogatur majorem numerum « quam ferre possint ejus facultates; ac proinde cum hæc ratio « cesset quotiescumque non tanguntur præbendæ aliorum, ni- « hilque detrahitur de mensa capitulari, taciturnitas numeri « non inficit gratiam Apostolicam. »

« Eodem pariter modo quo valet gratia erectionis novi cano- « nicatus in ecclesia *numerata* per indultum Sanctæ Sedis, facta « per Summum Pontificem, ita pariter sustinetur erectio facta « per Episcopum, quatenus non tanguntur reditus massæ seu « præbendarum canonicorum antiquorum. In erectione tamen « facienda per Episcopum est necessarius capituli consensus, « quem etiam conditionatum præstare potest, dummodo condi- « tiones sint rationabiles et justæ... Quod si capitulum... sine « justa et legitima causa suum assensum præstare renueret, « posset ille per Episcopum sive alium superiorem suppleri... « Inter potiores causas ob quas capitulum juste denegat suum « assensum novæ fundationi canonicatus, numeratur tenuitas « redituum assignandorum pro illius dote, nimirum si ea non sit « sufficiens ad sustinendum pro qualitate ecclesiæ decentem « statum novi canonici, ne propter ejus tenuitatem conferri « oporteat viris illitteratis et vilis conditionis, in dedecus ipsius « Ecclesiæ... » (Scarfantonius, *De canonicis*, l. I, tit. XIV.)

CAPUT XVI

DE CANONICIS HONORARIIS

Jam capite præcedenti vidimus inter varias species canonicorum qui *supranumerariorum* nomine ab auctoribus designantur, computandam etiam esse illam *honorariorum* classem. At cum aliquæ non parvi momenti quæstiones occurrant circa hujusmodi canonicos, non abs re erit, de illis seorsim tantisper disserere.

Digitized by Google

§ 1

PRÆMITTUNTUR QUÆDAM DOCUMENTA EX QUIBUS DETERMINARI VALEAT JUS CIRCA HUJUSMODI CANONICOS

I. *Doctrina Fagnani.* — « Nota... licitum esse recipere ali-
« quem in canonicum sine beneficio seu præbenda. Quamvis
« enim canonicus esse non possit sine spe et exspectatione fu-
« turæ præbendæ, tamen actualis præbenda non est de substantia
« canonicatus. Declara *primo* prædictam conclusionem, ut pro-
« cedat dummodo receptio in canonicum sine præbenda *fiat ex*
« *causa;* puta, ut receptus instituatur in moribus et officiis ec-
« clesiasticis, et inserviat prioribus et antiquis canonicis et ec-
« clesiæ. Alioquin Superior ex officio cassabit; præsertim si
« multi sic fuerint recepti (Hostiensis, n. 6, in c. *Cum dilectus,*
« De præbend.), ubi ait non multos debere sic recipi, ne hoc
« tendat in dedecus Ecclesiæ. Quot autem recipi possint, et qua-
« lis proportio in hoc haberi debeat ad numerum antiquorum
« canonicorum, vide hic per Joannem Andream n. 12. Declara
« *secundo*, eamdem conclusionem, ut locum non habeat si re-
« ceptio in canonicum fieret cum pacto ut receptus nec de cano-
« nia, nec de præbendis, nec de communibus proventibus quid-
« quam perciperet. Fallit hoc si Papa vellet facere canonicum
« honorarium, ut notat Hostiensis (in c. 1, n. 1, infra De instit.),
« dicens videri corrigendam formam litterarum Apostolicarum,
« quibus mandatur quotidie ut aliquis recipiatur, licet præbenda
« non vacet; nisi Papa velit facere canonicos honorarios. Subdit
« tamen : *Quidquid sentiamus, non possumus* (scilicet corri-
« gere), *quia non debemus ponere os in cœlum.* Ad quod vide
« quod de his canonicatibus et dignitatibus honorariis et ventosis
« scripsi in caput *Ad hæc,* De præbendis, n. 22. » (In I partem tertii decretalium c. *Dilectus,* De præbendis, n. 8, 9 et 10.)

II. *Excerpta e thesauro resolutionum S. Congregationis concilii.* — Die 6 augusti 1808 in Sacra Congregatione concilii examinatus et discussus fuit casus sequens circa honorarios canonicos :

« Rogatu capituli collegiatæ Sanctissimi Salvatoris civitatis Ful-

Digitized by Google

« ginii (Foligno), Episcopus Ginanni ex decreto 18 martii 1785
« in eadem collegiata erexit *auctoritate ordinaria quatuor ca-*
« *nonicatus honorarios, cum omnibus et singulis honoribus et*
« *oneribus solitis, quibus uti et potiri consueverunt alii consi-*
« *miles canonici supranumerarii, et cum facultatibus necessariis*
« *et opportunis, et signanter deferendi in choro et aliis functio-*
« *nibus ecclesiasticis rocchettum et mozzettam cum capucio*
« *violacei coloris; sub obligatione tamen ecclesiæ præfatæ et*
« *choro inserviendi in stallo assignando, saltem in solem-*
« *nioribus, et in hebdomada magna, et tandem incedendi in*
« *solitis processionibus una cum aliis canonicis.* Ab eo tempore
« inolevit capitulum eligere canonicos honorarios, qui certis
« diebus, præcipue solemnioribus, cum reliquis canonicis choro
« intersint. Rite necne facta sit hæc canonicorum erectio, hoc
« est de quo vos, eminentissimi Patres, modernus Episcopus
« consulit. »

Secretarius Congregationis qui sic exposuerat casum coram eminentissimis Patribus, illum postea discussit hoc modo :

« Secernendum est duplex canonicorum supranumerariorum
« genus : Supranumerarii alii sunt instituti sine præbenda, sed
« cum exspectativa ; alii (quos etiam *honorarios* appellant), qui
« ad simplicem honorem sine præbenda et sine exspectativa. Hæc
« distinctio, quam tradunt cardinalis de Luca (discursu 37 De
« canonicis, in suppl., part. IV,) et Scarfantonius (ad Ceccoperii
« lucubrationes, l. I, tit. XIV, n. I), conducere videtur ad diri-
« mendam quæstionem, utrum scilicet liceat Episcopo, con-
« sentiente capitulo, canonicos honorarios facere. Canonicos
« quidem supranumerarios facere non potest Episcopus, quia,
« cum habeant adnexam *exspectativam*, hæc ab Episcopo con-
« cedi non potest, ita jubente decreto Tridentini (sess. 24, c. 19,
« De ref.). Quare translatitium est apud canonistas, quod horum
« canonicorum supranumerariorum genus creari nequeat nisi a
« Summo Pontifice, cui a Tridentino adempta non est potestas
« has exspectativas concedendi. At de canonicis honorariis,
« quibus non inest exspectativa præbendæ, ut propterea ab
« Episcopo creari posse videantur, alia disputant auctores. Ne-
« gant enim ullum esse posse canonicum sine præbenda aut sine
« spe futuræ præbendæ ; cum canonia et præbenda adeo con-

Digitized by Google

« junctæ sint, ut *cui confertur canonicatus, debeat assignari* « *præbenda, si quæ vacat; et si non vacat, debeat expectari* « *vacatio,* ex doctrina Fagnani (in c. *Cum Ferrariensis,* de « constit., n. 17). Maxime cum canonici hujusmodi honorarii « nil prodessent ecclesiæ; cum per simplicem assignationem stalli « non teneantur residere; neque ad interessendum compelli « possint, utpote qui non habent distributiones et præbendas.

« Nihilominus teste Fagnano (in cap. *Dilectus*, De præbend. « n. 9) inolevit ut recipiantur canonici hujusmodi honorarii, qui « *in minoribus, et officiis ecclesiasticis inserviant prioribus et* « *antiquis ecclesiæ canonicis et ecclesiæ,* quique revera semper « aliquid servitio ecclesiæ prosunt. Hos autem admitti posse ab « Episcopo et capitulo tradunt (ex capite *Cum Ferrariensis*, De « constitutionibus), Milan. (assert. 1, n. 3), Ceccoperius (loco ci- « tato, n. 7 et seq.), Riganti (ad regulam 52 cancellariæ, n. 30). « Et in *Fulginatensi*, 26 februarii 1639, proposito dubio, *An* « *Episcopus auctoritate ordinaria possit in sua ecclesia creare* « *canonicos supernumerarios absque capituli consensu et cano-* « *nicorum,* Sacra Congregatio respondit, *non posse* (libro 16 de- « cretorum, pagina 160 a tergo). Ex qua resolutione concludunt, « quod, accedente consensu capituli, possit Episcopus auctoritate « ordinaria canonicos hujusmodi creare.

« Quatenus porro vobis, eminentissimi Patres, videatur non « posse Episcopum canonicos honorarios creare, tum sta- « tuendum erit, num sit impetranda sanatio decreti Episcopi « Ginanni, qui anno 1785 quatuor canonicos honorarios creavit; « cum de potestate Pontificis dubitare esset nefas... »

Duo declarari postulabat modernus Episcopus Fulginatensis : primo, utrum valeret decretum prædecessoris sui Ginanni : secundo, in hypothesi quod declararetur validum, petebat ut capitulo non liceret in posterum facere canonicos honorarios nisi eos, quos Episcopus approbasset. Die 17 decembris 1808 responsum est, pro valido habendum esse decretum Episcopi Ginanni, et electos a capitulo in canonicos honorarios fore ab ordinario approbandos. (*Thesaurus resolut.*, tom. LXXIV, pag. 117 et 161.)

Die 4 junii 1836, in S. Congregatione concilii discussa est causa cujusdam Fiorettæ, in civitate Hipporegiensi apud Pede-

Digitized by Google

montanos parochi, qui in canonicum mere honorarium tantum receptus fuerat, et qui postea contendebat sibi competere vocem in capitulo. Sacra Congregatio contra ipsum pronuntiavit. Illam autem causam memoramus, quia exemplum præbet canonici mere honorarii, quales existunt plures hodie, verbi gratia, in Gallia. Nulla scilicet prædicto Fiorettæ incumbebat obligatio interessendi choro, nec partem habebat in distributionibus, nec poterat se immiscere negotiis capituli; sed tantum ipsi concessa fuerant insignia et stallum in choro. (Litem integram vide in *Thesauro resolut.*, tom. XCVI, pag. 265.)

Die 17 decembris 1836, discussa est causa quatuor canonicorum quos creaverat Episcopus Vintimiliensis, quos vero capitulum acceptaverat tantum ut mere honorarios, ea conditione ut vocem non haberent in capitulo, nec quemquam verorum canonicorum unquam præcederent. Non obstantibus illis exceptionibus a capitulo appositis, contenderunt canonici honorarii sibi competere vocem in capitulo et jus ordinarium ancianitatis quoad præcedentiam ; et ita decreto firmavit Episcopus. Sacra Congregatio judicavit pro nullo habendum esse illud decretum Episcopi, et in favorem capituli contra prætentionem canonicorum honorariorum judicavit.

Rationes autem a capitulo adductæ istæ erant: 1° Certum esse prædictos quatuor canonicos a capitulo non fuisse acceptos nisi tanquam mere honorarios. 2° « Porro capituli assensum in ca-« nonicorum supernumerariorum creatione omnino requiri, vel « ipsi fatentur adversarii, et legitur in *Fulginatensi* 26 fe-« bruarii 1639. » 3° Cum ergo consensus capituli fuerit conditionatus, servandas esse conditiones. 4° « Ad naturam canonicatus « honorarii et supernumerarii quod attinet, hunc appellat Cec-« coperius (Lucubrat. canon. l. I, tit. XIV, n. 7), *nomen sine re*, « *et nomenclaturam vacuam ac inanem præ se ferens*. Ac indu-« ctus dicitur remotioribus sæculis ut receptus in canonicum « honorarium seu supernumerarium instituatur in moribus, et « officiis ecclesiæ, inserviatque antiquioribus canonicis. 5° De « talium canonicorum juribus eos illa tantum jura et honores « obtinere posse, quæ in illorum canonicatuum erectione concessa « ac concordata sint, docent Abbas (in c. *Cum M. Ferrariensis*, de « const. n. 29), Fagnanus (in c. *Dilectus*, de præbend. n. 21

Digitized by Google

« et 24), de Luca (*De canonicis*, disc. 37, n. 2). » (*Thesaurus resol.*, tom. XCVI, pag. 543.)

Die 28 januarii 1837 in causa Januensi, hæc in Congregatione concilii dicebantur : « Quod ad canonicos honorarios attinet, « animadvertendum quod, licet caute admodum ad eorum insti- « tutionem procedendum sit, tamen novum non est ut aliquando « instituantur canonici honorarii, ubi id postulat ecclesiæ neces- « sitas. Ast in themate, ubi capitularium numerus ad sextenum « arctetur,... jam quædam exurget necessitas aliquos addendi « choro mancipatos, ut si qui canonicorum senio confecti, infir- « mitate laborantes vel legitime impediti reperiantur, eorum « suppleant officium, ne alias sacra liturgia absolvi nequeat. » (*Thesaurus resolut.*, tom. XCVII, pag. 11.)

§ 2

A QUO TEMPORE INVALUERIT MOS CREANDI CANONICOS HONORARIOS PROPRIE DICTOS.

Fateor nulla mihi occurrisse sat clara documenta, e quibus quæstionem hanc utcumque solvere possem. Veteres quidem canonistæ memorant canonicos supranumerarios sine præbenda et sine promissione vacaturæ præbendæ ; at supponunt ipsis aliquod jus ad vacaturam competere, vel saltem ad distributiones ; insuper nolunt admitti posse hujusmodi supranumerarios, nisi aliquo modo inserviant ecclesiæ, cujus capitulo adscribuntur. Porro tales canonici diversi sunt ab illis quos nunc proprie vocamus *honorarios*, qui nempe ad nullum servitium obligantur in ecclesia cujus fiunt canonici, nec jus aliud habent quam honorem nominis, stalli et insignium. Aliunde tamen multa exstant in præteritis sæculis exempla Episcoporum, regum, aliorumque insignium virorum, qui nomen dabant alicui capitulo, et a canonicis in fratres recipiebantur ; inter quos eminet Carolus Magnus, non unius capituli, sed plurium canonicus. Non tamen mihi liquet hujusmodi canonicos fuisse mere honorarios, ita scilicet ut nullum ipsis ex receptione oriretur jus, nulla obligatio ; licet illud innuat Nardi (*Dei Párochi*, tom. II, pag. 36 et seq.).

Unde forsan absonum non erit dicere, canonicos mere hono-

Digitized by Google

rarios quales hodie exstant, verbi gratia, in Gallia, sat recentioribus incœpisse temporibus. Id tamen doctioribus expendendum relinquo.

§ 3

AN LEGITIMA SIT CREATIO CANONICI MERE *HONORARII*, QUI SCILICET NULLATENUS INSERVIAT ECCLESIÆ CUI ADSCRIBITUR.

Vidimus supra, non admitti tanquam licitam a Fagnano receptionem canonici absque præbenda, nisi fiat *ex causa, puta ut receptus inserviat antiquioribus canonicis et ecclesiæ*. In *Thesauro* autem *resolutionum* sacræ Congregationis concilii (tom. LVII, pag. 8) videri potest quomodo secretarius ad casum ibi propositum anceps hæreat, et saltem tanquam dubium relinquat utrum possit aliquis sub nomine *canonici honorarii* ita recipi, ut omni careat jure canoniali præterquam ad honorifica, nominis, stalli, et insignium. Recentiori etiam tempore, nempe die 6 augusti 1808, in documento supra transcripto, videre est, quomodo secretarius non audeat absolute affirmare posse creari canonicos honorarios, nisi sub restrictione a Fagnano apposita, id est, ex causa, ita ut inserviant ecclesiæ.

At quæcumque fuerit hac de re priscorum canonistarum opinio, de facto invaluit mos hujusmodi canonicos mere honorarios recipiendi, ut advertit Nardi (*Dei Párochi*, t. II, p. 307). « Viget hodie (ait) in universo orbe catholico usus *honorarios* « canonicos creandi quosdam clericos doctrina et meritis in- « signes. Id Romæ, quæ exemplar est cæteris ecclesiis, id in « Germania, Italia, aliisque regionibus frequentatur. In Gallia « item solent ii sacerdotes, quorum eximiæ æstimantur erga « religionem gesta, titulo canonicorum honorariorum condeco- « rari et cathedrali capitulo adscribi. » Intelligit autem Nardi honorarios proprie dictos ; addit enim : « Canonicus honorarius « jus non habet ad canonicatum vacaturum : id enim esset jus « exspectativæ ; porro exspectativæ a concilio Tridentino abrogatæ « sunt (sess. XXIV, c. 19). Item non habet vocem in capitulo, nec « jus aliud quodcumque, præterquam ad nominis et insignium « honorifica. Differunt hujusmodi canonici honorarii a supranu- « merariis quos constituit Summus Pontifex cum exspectativa,

Digitized by Google

« cum voce in capitulo, etc. A quantocumque tempore nominati « fuerint, nunquam ullum acquirunt jus præcedentiæ in veros « canonicos et eorum coadjutores. Unde et fictitii canonici « dictitantur. »

Porro quod ita universaliter hodie frequentatur, simul dicendum est legitimum. Nam in præallatis Sacræ Congregationis concilii documentis et aliis quibusdam quæ adjungi possent, videmus ab eminentissimis Patribus non reprobari talem ecclesiarum praxim ; etiam quando canonicus est mere *honorarius*, et nullum præstat aut præstare tenetur ecclesiæ cui adscribitur servitium, ut in *Hipporegiensi*, 4 junii 1836. Legitimitas illius praxis inde etiam erui potest, quod nulla ei contraria lex ecclesiastica afferri possit. Jura enim quæ prohibent creari canonicum sine præbenda aut exspectativa præbendæ, commode interpretantur de canonicis proprie dictis, ita ut applicanda non veniant *honorariis*, qui jus canoniæ proprie dictum non habent. Et tandem praxis quæ ita generalis evasit et cui assentit stylus congregationum Romanarum, satis ex hoc ipso canonizatur, si quid dubii circa ejus liceitatem antea obfuisset.

Imo nemo non videt quam utile sit in Ecclesia, posse viros ecclesiasticos qui de religione bene meriti sunt, publico honoris testimonio ab Episcopis et capitulis condecorari.

§ 4

NON POTEST EPISCOPUS CANONICOS HONORARIOS CREARE ABSQUE CAPITULI CONSENSU.

Sic habet Scarfantonius (*De canonicis*, lib. I, tit. XIV, n. 13) : « Creatio autem dictorum canonicorum honorariorum non « potest fieri a solo Episcopo ; sed in illa est necessarius etiam « capituli assensus. »

Eamdem tradit doctrinam supra citatus Nardi : « Valde « conspicua videtur prærogativa illa, qua possunt capitula « honorarios creare canonicos, cum nulla alia auctoritas, « præter pontificiam, talem concedere honorem valeat. Ve- « rum est tamen, sicut Episcopus sine capituli assensu ho- « norarios canonicos facere nequit, ita a capitulo factam no-

Digitized by Google

« minationem, nisi ab Episcopo confirmetur, carere robore. »

Idem expresse declaravit Sacra Congregatio (in *Fulginatensi*, 26 februarii 1639). Nam proposito dubio : *An Episcopus auctoritate ordinaria possit in sua ecclesia creare canonicos supranumerarios absque capituli consensu et canonicorum*, respondit: *Episcopum non posse.* (Hanc declarationem refert Scarfantonius, loco modo citato.)

Idem tenuisse Patres illius Congregationis vidimus in transcripta supra *Fulginatensi*, 6 augusti 1808. Ad rem etiam facit causa *Goritiensis*, 14 januarii 1860, quam referunt *Analecta juris Pontificii* (janvier 1861, page 444).

Jus autem illud simultaneum Episcopi et capituli in creandis canonicis honorariis, intime cohæret cum jure veros canonicatus conferendi, quod ad Episcopum simul et capitulum regulariter pertinere probamus infra (parte secunda hujus Tractatus).

Ex illa vero communiter admissa ut certa auctorum doctrina sequitur, nominationem canonici honorarii, vel a solo Episcopo, vel a solo capitulo factam, invalidam remanere et irritam, ita ut, verbi gratia, capitulum possit ad tribunal ecclesiasticum vocare sacerdotem illum qui, a solo Episcopo canonicus honorarius nominatus, titulum istum aut insignia capituli gerit, atque eum cogere ut ab istis abstineat.

Posse autem a Summo Pontifice canonicos honorarios creari in quolibet mundi capitulo, imo et canonicos pleno canoniæ jure munitos, absque controversia est apud doctores catholicos, neque licitum est illud in dubium revocare. (Vide in tractatu *De principiis juris canonici* dicta de hac re, ubi *de regulis cancellariæ* agitur.)

Quid vero dicendum de consuetudine quæ alicubi in Gallia a tempore concordati 1801 invaluit, ut canonici honorarii ab Episcopo nominentur, absque ullo capituli consensu ? In prima editione dixi: *Neganda videtur hypothesis.* Singulis nempe ejusmodi nominationibus accessisse capituli consensum colligi posse existimabam, ex eo quod capitula non reclamassent et sic nominatos canonicos honorarios in choro recepissent. At nunc, re maturius perpensa, sufficiens non videtur hæc ratio ad asserendum hujusmodi consensum ; sed potius huic de canonicis honorariis quæstioni applicanda esse ea, quæ infra deducimus quoad canonicos proprie dictos a solo Episcopo constitutos.

Digitized by Google

§ 5

QUOT POSSINT CREARI IN UNOQUOQUE CAPITULO CANONICI HONORARII.

Ad quæstionem illam sic habet Joannes Andreas citans glossam et alios veteres : « Si sint 40 præbendæ, poterunt recipi « sex vel septem ultra numerum. Si vero 10, poterunt recipi duo « vel tres. Si 5 vel 4, unus tantum. » (Ad cap. *Dilectus*, De præbendis, n. 12.) Ad illam autem regulam et proportionem, ab Andrea traditam, remittit Fagnanus in textu supra (§ 1) transcripto. Agunt quidem illi auctores de canonicis supranumerariis; sed et supranumerarii sunt *honorarii;* imo et de honorariis loquitur Fagnanus cum ad eam regulam remittit.

Quæ tamen regula si stricto sensu non videatur assumenda, certum saltem remanebit caute procedendum esse quoad canonicorum hujusmodi instituendorum numerum :

« Hujusmodi vero canonicorum creatio debet fieri ex causa... « Sicuti etiam in illorum receptione habendus est respectus tam « ad numerum titularium, quam ipsorum jam receptorum, ne « adeo excrescat ut vilescat, et nimia canonicorum multitudo in « Ecclesiæ dedecus tendat, ut advertit Joannes Andreas (in cap. « *Dilectus,* I, n. 12 De præbendis), et Fagnanus (n. 9, eodem « titulo De præbendis). » (Scarfantonius, *De canonicis,* lib. I, tit. XIV.)

§ 6

QUONAM JURE POTIANTUR CANONICI HONORARII.

« Isti canonici honorarii (ait Scarfantonius, l. I, tit. XIV, n. 13), « etiamsi creati fuerint a Summo Pontifice, non veniunt appel- « latione canonicorum, quoties, præsertim in jure, de canonicis « fit mentio ; cum sub isto nomine non comprehendantur nisi « habentes præbendas in ecclesiis cathedralibus seu collegiatis, « non autem tales canonici habentes simplex ac vacuum nomen « sine effectu et executione canonicatus, et jus adeo tenue et « exile ut de vento reputetur, et canonicatum in aere habere « dicantur, ut notant Abbas (in cap. *Dilectus*, 2, n. 8) et Inno- « centius IV (in idem cap. n. 2). »

Digitized by Google

Nec habent vocem in capitulo hujusmodi canonici honorarii. Cum tamen ipsis conferatur jus stalli in choro, et insignia quoad habitum deferendi, dubium esse potest num ad deliberationem capitularem vocandi sint, quando ageretur de immutando habitu canoniali, vel stallorum ordine. Nam et ipsi beneficiati, quantumvis certum sit ipsos non esse de capitulo, vocandi tamen sunt et audiendi, quando de communi ipsorum et capituli interesse instituenda est disceptatio. Quod et ad canonicos honorarios extendendum videtur, quando tangitur illud quantulumcumque jus quo donati sunt.

Cæterum nullum jus habent ad vacaturos canonicatus, imo nec ad distributiones aut alia quævis emolumenta, nisi aliter in eorum receptione cautum esset. Nec sunt de illis in *dignitate aut personatu constitutis*, quibus possint a Sancta Sede causæ in partibus delegari. Jus ergo eorum reducitur ad stallum in choro occupandum, et gestandum nomen canonici cum insignibus canonialibus in habitu.

Vicissim autem, nec ad residentiam, nec ad ullum in choro servitium, nec ad assistentiam tenentur.

§ 7

CANONICI HONORARII NON MAGIS SUNT AD NUTUM REVOCABILES QUAM CANONICI PRÆBENDATI.

Licet enim valde restricta sint ipsorum jura, sunt tamen jura canonialia, id est, aliqua pars jurium quæ ad canonicatum proprie dictum pertinent; ergo sequuntur naturam juris vero canonico competentis. Porro canonicus proprie dictus non potest ad nutum Episcopi privari jure suo, sed tantum ob culpam et via judiciaria; ergo idem dicendum de canonico honorario. Unde quando canonicus honorarius exauctorandus est et de catalogo canonicorum expungendus, eodem modo procedi debet, ac si de canonico præbendato ageretur.

Notandum est circa hanc quæstionem rescriptum Sacræ Congregationis Rituum ad Episcopum Valentinensem directum die 11 septembris 1847, tenoris sequentis: « Reverendissime domine uti frater, Sanctissimus Dominus Noster Pius IX preces

Digitized by Google

« Amplitudinis tuæ ad hanc Sacram Rituum Congregationem « de more remisit, ut de jure super expositis decerneretur. « Expositum vero fuit in Gallia Episcopos nonnullis sacerdotibus « optime meritis indulgere facultatem gestandi eadem insignia « quibus canonici cathedralium decorantur, eosque canonicos « honorarios decernere. Hi autem sacerdotes etsi præbendam « non consequantur, nec actis capitularibus interveniant, jus « tamen habent personaliter choro interessendi quoties illis ar- « riserit, et sedendi post canonicos titulares. Post hæc Ampli- « tudo tua expostulabat utrum necne sola voluntas Episcopi satis « esset ad interdicenda prælaudata insignia, quando gravis ratio « adesset judicio ipsius relinquenda, an potius quæstio ad forum « esset trahenda ? Sacra eadem Congregatio ad Quirinales ædes « subscripta die coadunata ordinariis in comitiis, audita super « expositis plena relatione a R. P. D. secretario facta, maturo ac « diligenti examine adhibito, satius duxit rescribere — *scribatur* « *particulariter Episcopo juxta mentem*, — quam quæstionem « de jure dirimere. Quamvis enim (et hæc fuit Sacræ Congre- « gationis mens) nulli dubium sit atque in ipso jure fundatum, « Episcopos ex se indignos posse ab honoribus quos contulerint « repellere, cum tamen exspoliatio hujusmodi quasi mortem ci- « vilem importet, et quamdam infamiæ notam sacerdoti inurat « cum non minori certe populi scandalo, propterea Amplitudo « tua curet ad hæc non devenire, nisi quando sacerdotis indigna « conversatio exigat ut contra illum de more procedere necesse « sit ad majora scandala prævenienda. Hanc S. Congregationis « mentem dum Amplitudini tuæ communico, diuturnam ex « animo exopto felicitatem. Romæ, 11 septembris 1847. »

Quæstionem juris Sacra illa Congregatio noluit dirimere, ex ea forte ratione, quod canonici honorarii de quibus in casu, utpote a solo Episcopo absque interventu capituli creati, non sunt veri nec legitimi canonici honorarii (1). Unde cum Sancta Sedes vellet forte pro tunc de hac praxi Episcoporum Galliæ silere, respondetur considerando eos canonicos honorarios solummodo tanquam clericos quoscumque aliquo publico æstimationis testimonio ab Episcopo donatos, et casus tantum sub illo respectu resolvitur.

(1) Abstrahendo a consensu capituli; si enim adsit ille consensus, pro veris canonicis honorariis habendos esse supra adnotavimus.

Digitized by Google

CAPUT XVII

DE CANONICIS ET BENEFICIATIS JUBILATIS

« Ex benignitate Ecclesiæ introductum fuit quod canonici « sive beneficiati ecclesiarum cathedralium sive collegiatarum, « post præstitum laudabile et continuum servitium quadraginta « annorum, eximantur ab interessentia chori, et nihilominus « consequantur tum fructus, tum distributiones quotidianas. « Circa quod advertendum est quod statuta ecclesiarum prædic- « tarum, per quæ conceditur indultum jubilationis post quadra- « genarium servitium, tanquam rationi innixa, servanda sunt, « cum... spes hujusmodi immunitatis alacriores reddat Ecclesiæ « ministros ad diligentius servitium exhibendum. Hinc est quod « a Sacra Congregatione concilii, etiam non exstante statuto con- « cedente prædictam jubilationem, passim conceditur... Quod « autem dictum est circa statuta concedentia dictam jubilationem, « puto intelligendum ut eatenus valeant quatenus a Sede Apo- « stolica sint specifice confirmata, vel habeant centenariam aut « immemorabilem observantiam; quia capitulum non nisi cum « Episcopi auctoritate hujusmodi statutum condere potest. » (Scarfantonius, t. I, p. 134, n. 8 et seq., editio Lucensis, 1723.)

« Equidem jure communi non decernitur illud privilegium, « ut immunitatem a choro obtineat et fructus ac distributiones « accipiat qui per annos 40 ecclesiæ inserviit; sed cum non- « nulla peculiarium ecclesiarum statuta idem privilegium im- « pertirent, Gregorius XIV, ductus etiam consilio Sacræ Congre- « gationis concilii, eadem statuta minime improbanda censuit. « Hinc Sacra Congregatio immunitatem hanc generatim elar- « gitur canonicis ac beneficiatis qui per annos 40 assidue ac « laudabiliter munere suo perfuncti fuerint. Argumentum de « his immunitatibus antea difficile implicatumque valde fuerat; « sed expedire difficultates magno studio curavimus cum in Sacra « Congregatione concilii secretarii munus ageremus. Plura de- « creta super hac re condita simul collegimus, ut leges quædam « generales ex illis conficerentur; uti contigit die 14 septembris, « anno 1718. Primo decretum fuit canonicos immunes, neque « ullius residentiæ legibus teneri; secundo, pro mercede vitæ

Digitized by Google

« anteactæ, rerumque præclare gestarum percipiendos esse ab « illis, licet absentibus, fructus, distributiones, et augmentum « distributionum quod dimanat ex aliorum absentia qui sine « legitima causa chorum dimittunt; tertio, si divinus cultus « aliquid detrimenti capiat, canonicos immunes revocari posse « ab Episcopo ut resideant et choro intersint. » (Benedictus XIV, *Institutiones ecclesiasticæ*, inst. 107, § 9, n. 64.)

CAPUT XVIII

DE SCHOLASTRO

Olim munus scholasteriæ erat simplex officium, amovibile ad nutum superioris, et illud obtinens tenebatur adolescentes clericos in bonis moribus et vitæ sanctitate erudire. Verum postmodum in aliquibus ecclesiis hujusmodi officium in titulum beneficii et etiam dignitatis constitutum fuit. Et quia illud obtinentes per alios suo muneri satisfaciebant, Concilium Tridentinum (sess. 23, c. 18) statuit ut per seipsos explere deberent, non obstantibus consuetudinibus etiam immemorabilibus. Item decrevit ipsis necessarium fore doctoratum aut magisterium in sacra theologia vel jure canonico : *De cætero vero officia vel dignitates illæ quæ scholasteriæ dicuntur, non nisi doctoribus vel magistris aut licentiatis in sacra pagina, aut in jure canonico, et alias personis idoneis, et qui per se ipsos id munus expleant, conferantur : et aliter facta provisio nulla sit et invalida, non obstantibus quibusvis privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus.*

CAPUT XIX

DE HEBDOMADARIIS

I. *Quid fuerint antiquitus.* — Quum antiquitus capitulum totam administrationem et curam animarum cum Episcopo et sub ejus regimine gereret, deputabantur pro qualibet hebdomada unus canonicus presbyter et unus canonicus diaconus, quibus illa hebdomada cathedralis ecclesiæ servitium specialiter incumberet. « Diebus tamen ferialibus canonici a choro eximebantur ; his sci- « licet diebus divinas laudes canebat clerus minor cum populo,

Digitized by Google

« præsidentibus duobus prædictis hebdomadariis ; qui præterea « præsto esse debebant cæteris occurrentibus vel morientium, vel « parvulorum in periculo baptizandorum necessitatibus. Ut au- « tem illi hebdomadarii canonici, a cæteris de clero minore (qui « et ipsi sua quisque hebdomada deputabantur et ideo vocaban- « tur etiam hebdomadarii) distinguerentur, archihebdomadarii « appellari solebant. In Concilio Constantinopolitano anni 536 « mentio fit de *diacono archihebdomadario.* Illi porro hebdo- « madarii edebant et pernoctabant in *diaconico.* Diaconicum « autem seu *diaconium*, quod etiam *postophorium* et *secreta-* « *rium* vocabatur, erant illæ ædes in quibus asservabantur vasa « sacra, thesaurus, cæteræque res pretiosæ et archivium ; sic « nempe dictæ, quod essent sub inspectione diaconorum. Diaco- « nium idipsum fuisse quod postea sacristia vocatum est, tota « testatur antiquitas, atque ipsa etiam liturgia sancti Marci, et « quædam antiqua vita apud Surium (aug. p. 301). Ostendunt « Ughellus et Lupus hebdomadarios solitos fuisse presbyterum « unum, unum diaconum, unum subdiaconum, et unum ostia- « rium. Cibum habebant in diaconio, ut præsto semper essent « variis servitii necessitatibus. » (Nardi, *Dei Párochi*, tom. II, pag. 343, edit. Pesaro, 1830.)

II. *Quid hodie hebdomadarii.* — Hodie hebdomadarius dicitur ille canonicus cui per hebdomadam celebrandi divini officii munus incumbit. « Hebdomadarius officium faciens primum « locum habere debet super omnes canonicos et dignitates, si « ipse est canonicus vel dignitas. Si vero est clericus, debet ac- « cedere in medio chori. (S. Cong. Rit. 17 junii 1616.) — He- « bdomadarius in decantandis horis canonicis non debet uti stola. « (S. Cong. Rit. 4 augusti 1663.) — Hebdomadarius etiam non « paratus, quando est facturus officium, debet sedere in primo « loco supra omnes canonicos et dignitates. (Cæremoniale Epi- « scoporum, l. 2, c. 6.) — Hebdomadarius non potest prætendere « celebrationem missarum et officiorum, quæ ad primam digni- « tatem pertinent ; ea vero absente vel impedita, tunc se- « cunda dignitas debet illa celebrare. (S. Cong. Rit. in *Andriensi*, « 15 martii 1608.) — De canonico hebdomadario parato quæritur « utrum is sedere debeat in scamno panno cooperto a cornu « Epistolæ præparato, an in primo stallo ab ea parte chori in

Digitized by Google

« qua hebdomada contingit? Dubium inde nascitur quod Cære-
« moniale Episcoporum l. 2, c. 3, § 4, non absolute jubet ut
« canonicus hebdomadarius paratus sedeat in primo stallo ab ea
« parte chori in qua contingit hebdomada, sed alternative, ut
« sedeat vel in dicto scamno panno cooperto a cornu Epistolæ
« præparato, vel in primo stallo ab ea chori parte in qua hebdo-
« mada contingit. Distingui autem debent missæ a vesperis.
« Porro si de missis agatur, chorusque sit retro altare, canonicus
« hebdomadarius paratus, non in primo stallo ab ea parte chori in
« qua obtingit hebdomada, sed in scamno panno cooperto a cornu
« Epistolæ præparato sedere debet, ne alias toties accedere et rece-
« dere de loco ad locum teneatur. Et de his sane functionibus
« intelligi debet Cæremoniale Episcoporum, dum canonico hebdo-
« madario parato potestatem facit sedendi in scamno panno coo-
« perto a cornu Epistolæ præparato. Concordatque rubrica Mis-
« salis Romani, t. 17, de ordine sedendi in missa solemni, n. 6.

« At si res sit de vesperis, pariterque sit chorus retro altare,
« canonicus hebdomadarius paratus, qui semper in choro as-
« sistere debet, excepto modico illo spatio in quo dum cantatur
« *Magnificat* incensatur altare, non in scamno panno cooperto
« a cornu Epistolæ, sed in primo stallo ab ea parte chori in qua
« hebdomada obtingit, sedere debet, ut ita semper assistat, prout
« tenetur in choro. Et de hisce aliis functionibus intelligendum
« est Cæremoniale Episcoporum, ubi ait canonicum hebdoma-
« darium sedere posse in primo stallo ab ea parte chori in qua
« obtingit hebdomada. Non ignoro S. Rit. Congregationem
« (anno 1758 in *Balneoregiensi*) sensisse quod et in vesperis ca-
« nonicus hebdomadarius paratus sedere debeat in scamno panno
« cooperto a cornu Epistolæ. At ita sensit ex peculiaribus facti
« circumstantiis. » (Ferraris, cum addit. ad v. *Hebdomadarius*.)

CAPUT XX

DE ÆTATE REQUISITA AD DIGNITATES ET CANONICATUS CATHEDRALES

Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque quibus animarum cura subest promoveatur, nisi qui saltem vigesimum quintum suæ ætatis annum attigerit.

Digitized by Google

Ad cæteras autem dignitates vel personatus quibus animarum cura nulla subest, clerici alioquin idonei, et viginti duobus annis non minores adsciscantur.

Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum, aut portionem recipiant, nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus quem illa dignitas, præbenda aut portio requirit, aut in tali ætate, ut infra tempus a jure et ab hac synodo statutum initiari valeat. In omnibus vero ecclesiis cathedralibus, omnes canonicatus ac portiones habeant annexum ordinem presbyterii, diaconatus, vel subdiaconatus. (Concilium Tridentinum, sess. 24, c. 12, De ref.)

1° Ad dignitatem cui principaliter annexa est cura animarum, certum est requiri ætatem 25 annorum. Sufficit autem annus vigesimus quintus inchoatus.

2° « Provisos de dignitatibus, quibus accessorie ac minus prin-
« cipaliter unita sit ecclesia curata, sufficit agere annos 22, prout
« si esset simplex dignitas ; et memorata ecclesia curata, prævio
« examine Episcopi, confertur vicario perpetuo ad nominationem
« dignitatis prædictæ. Qui vicarius est verus curatus, et de grege
« commisso primitivo curato respondere tenetur. Quia hujusmodi
« dignitates habentes, dicuntur retinere duntaxat habitualem
« curam, quæ non veniat appellatione curæ animarum. » (Cec-
« coperius, l. IV, tit. VIII, n. 8.)

3° Si ab Episcopo facta fuerit distributio ordinum a Tridentino præscriptorum, requiritur pro unaquaque præbenda aut portione talis ætas, ut provisus possit saltem infra annum recipere ordinem huic præbendæ vel portioni annexum. Ætas autem pro unoquoque ordine sic decreta est a Tridentino : *Nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum annum, ad diaconatus ante vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur* (sess. 23, c. 12). Anni autem in hoc decreto determinati, intelliguntur *incœpti*, non autem completi, prout declaravit Sacra Congregatio concilii, et tradunt canonistæ. (Vide Scarfantonium, t. II, p. 163, n. 13.) Unde pro subdiaconatu sufficiunt 21 anni completi, pro diaconatu 22 completi, et pro presbyteratu 24 completi. Proinde cum sufficiat ut *infra annum* apti sint ad recipiendum ordinem suæ præbendæ affixum, concludendum est

Digitized by Google

pro præbenda subdiaconali satis esse 20 annos completos, pro diaconali 21 completos, et pro presbyterali 23 completos.

4° Quando non facta est ab Episcopo distributio ordinum, seu, quod idem est, quando unicuique præbendæ canoniali aut portioni non est annexus certus ordo, sufficit annus vigesimus secundus, et idem est pro qualibet dignitate (non habente curam animarum) et personatu ; sed tunc annus ille videtur debere esse completus, cum dicat Tridentinum *viginti duobus annis non minores*. (Vide Scarfantonium, loco citato.)

5° Ubi est consuetudo ut omnes canonicatus sint presbyterales, cum talis consuetudo tanquam *laudabilior* decernatur a Tridentino servanda, non potest clericus canonicatum obtinere nisi ea sit ætate qua possit infra annum ad presbyteratum promoveri, id est, nisi habeat 23 annos completos.

6° Quoties cura animarum ita residet penes capitulum, ut illam exerceant per turnum omnia ipsius membra, promovendus debet habere talem ætatem, ut suo adveniente turno possit jam esse sacerdos et curam animarum exercere, ac proinde debet esse jam sacerdos, vel proxime ante suum turnum sacerdotio initiandus. Secus foret si cura animarum exerceretur per unam determinatam dignitatem aut unum canonicum, ita ut ille esset verus curatus, et capitulum non esset curatus nisi habitu.

7° Decretum Tridentini, præscribens aliquem ordinem sacrum annecti præbendis et portionibus, non attingit dignitates, cum in hoc decreto concilium de dignitatibus siluerit. Quod et declaravit Sacra Congregatio concilii (in *Arbensi*, 19 decembris 1648) hoc modo : *Sacra Congregatio respondit ex dispositione sacri concilii* (c. 12, sess. 24) *Episcopum non teneri designare nec distribuere singulis dignitatibus ecclesiæ cathedralis ordinem sacrum, cum de hujusmodi dignitatibus non loquatur* (apud Scarfantonium, tom. II, p. 164, n. 26, editio Lucæ, 1723). Unde sequitur etiam hodie ex jure communi posse existere dignitates quæ ne subdiaconatum quidem receperint, modo 22 annum compleverint. Ex quo etiam sequitur aliquem sacris ordinibus nondum initiatum posse esse primam dignitatem cathedralis, ac proinde capitulo præsidere, et alia primæ dignitatis jura (exceptis quæ pendent ab ordine) exercere. Quod tamen, cum parum proficuum et rationi consonum videatur, concludendum est

Digitized by Google

sacram Tridentinam synodum, quæ tot abusus jamdudum invectos tam feliciter abscidit, in iis quæ non ita urgebant nec saluti animarum obnoxia erant, abstinuisse a mutationibus quæ magnam forte tunc temporis commotionem excitassent.

8° « Collatio canonicatus facta non habenti ætatem requisitam « est nulla..., etiamsi desit modicum tempus, etiam unius diei « vel horæ...; quia in iis quæ sunt a jure determinata, non licet « arbitrari. » (Scarfantonius, loco citato, n. 22.)

SECTIO III

QUID SIT CAPITULUM QUOAD BONA TEMPORALIA QUIBUS SUSTENTATUR

Sub hac sectione tradenda venit notio de præbendis et distributionibus. Qua disceptatione deducemur ad expendendam etiam quæstionem, an hodie in Gallia pensiones quæ canonicis a gubernio solvuntur, rationem præbendæ habeant.

CAPUT I

DE PRÆBENDIS

Multa quidem de præbendarum origine ac historia congerunt eruditi. Nos vero aliqua duntaxat, scitu utiliora, commemorabimus.

§ 1

EARUM ORIGO

« Communes erant antiquitus ecclesiæ reditus ac proventus « Episcopi et capituli, itemque communis victus... Locus in « quo degebant canonici cathedrali erat contiguus, seu saltem « valde vicinus palatio episcopali, cum hoc necesse esset ut posset « Episcopus eamdem vitam vivere et frequentare regularem so- « cietatem cum suis canonicis... Ex memorata autem communi « massa redituum, Episcopi et capituli sustentatio pendebat, ut « notavit Thomassinus (*Nova et vetus disciplina*, p. I, l. 3, c. 5,

Digitized by Google

« n. 8). Sed sensim frigescente charitatis fervore et regulari ob-
« servantia, eadem massa ex communibus ecclesiæ reditibus
« conflata, divisa fuit inter Episcopum et capitulum. Ac deinde
« singulis de capitulo proportionata bonorum portio in particu-
« larem administrationem concessa fuit, quæ sub nomine *præ-*
« *bendæ* fuit appellata. Thomassinus, ubi supra cap. 8, § 5. »
(Scarfantonius, t. I, p. 10, n. 8 et seq., edit. Lucæ, 1723.)

§ 2

QUID SIT PRÆBENDA; QUID CANONIA; ET QUOMODO DIFFERANT

« Præbenda canonicalis est jus percipiendi proventus in Ec-
« clesia, competens uni de collegio. Et honorabilior est capella-
« niis et beneficiis curatis. Quamobrem canonicatus et præbenda
« non veniunt sub nomine beneficii in materia odiosa. Hinc si
« Papa mandaret conferri beneficium alicui in certa ecclesia,
« non includitur præbenda canonialis. Canonicatus et beneficium
« differunt ut species et genus.

« In canonicatu duo diversa jura concurrunt, scilicet canoniæ
« et præbendæ. — Canonia est quædam peculiaris prærogativa
« ex qua quis consequitur receptionem in fratrem, stallum in
« choro, locum in circuitu, vocem in capitulo, facultatem par-
« ticipandi de distributionibus, et jus ad præbendam; quæ in
« favorabilibus venit sub nomine beneficii, quod est quædam
« portio fructuum quæ datur ministro Ecclesiæ pro servitio. Et
« quamvis beneficium non in canonicatu, sed in præbenda
« consistat, nihilo secius canonia est dignior præbenda, et eo ma-
« gis aliis beneficiis ob tot prærogativas ex ea provenientes. Et
« quia canonia in omnibus cathedralibus et collegiatis Italiæ est
« annexa præbendæ, ratione connexionis, corpus incorporale et
« individuum censetur, quod duobus communicari non debet. Et
« nomine canonicatus accipitur præbenda, et e contra. Canoni-
« calis præbenda dicitur a *præbeo,* quia præbere debet canonico
« fructus ex quibus possit commode vivere... Episcopus debet
« attendere ut canonici habeant præbendas sufficientes ad vic-
« tum; atque pro sustinendo decenti canonicorum gradu, tam
« collegiatæ insignis, quam cathedralis, potest præbendas tenues

Digitized by Google

« vacantes in mensibus non reservatis (*Sanctæ Sedi*) ad pau-
« ciorem numerum reducere, vel simplicia beneficia iisdem
« unire. Ita provisum fuit a sacro concilio Tridentino (sess. 24,
« c. 15, De ref.). » (Ceccoperius apud Scarfantonium, t. I, pag. 30, edit. Lucæ, 1723.)

Multum ergo differt canonia a præbenda. Canonia est *titulus juris*, quo solo, si plenus sit, illum obtinens constituitur verum et proprie dictum capituli membrum, habens proinde stallum in choro et vocem in capitulo, et alia jura canonicis communia participans. Præbenda vero est aliquod beneficium, id est, aliqua portio bonorum temporalium canonico attributa. Unde præbenda canonialis non potest quidem esse talis sine canonia ipsi annexa ; at vero canonia concipitur et absolute existere posset absque præbenda canoniali.

Dicunt quidem canonistæ non posse ex jure canonico *dari canoniam sine præbenda;* et ita inter alios cardinalis Petra (t. III, p. 546, n. 25, editio Romana, 1708) : sed hoc ex dispositione de facto vigente, non autem de possibili. Imo in usu fuere institutiones et installationes canonicorum cum jure tantum *exspectativæ*, id est, cum jure ad primam vacaturam præbendam. Porro isti actu veri erant canonici, licet actu nullam haberent præbendam, sed exspectarent tantum. Hinc cum Fagnano (1) asserere solent canonistæ, *præbendam non esse de substantia canonicatus*.

An autem pensio annua quam canonicis hodie solvit Gubernium in Gallia et aliis quibusdam regionibus, rationem habeat veræ præbendæ, ita ut ipsi applicari debeant leges ecclesiasticæ circa præbendas, discutimus infra, capite 3.

§ 3

DE JURE OPTANDI PRÆBENDAS VACANTES

« In plerisque cathedralibus et collegiatis adest usus optandi
« vacantes præbendas... Optio est quoddam jus, cujus vigore
« antiquiores canonici gradatim vacantem præbendam (quæ re-

(1) In c. *Dilectus*, De præbendis, n. 8.

Digitized by Google

« servata non sit), propria dimissa, intra certum tempus eligere « et consequi valent.

« Ex hac definitione promanat quod optio sit debita canonico « anteriori in possessione, et competat, non ratione muneris, « sed longioris servitii ecclesiæ præstiti ; ac per consequens, si « non adsit speciale statutum quod præferat canonicos sacerdo- « tes, jus optandi spectat ad antiquiorem in servitio Ecclesiæ « qui postea sacerdotio fuerit insignitus ; prout sequitur in car- « dinalibus qui optant titulos, si sint antiquiores in diaconatu « supra cardinales presbyteros. Per optionem prædia et bona « mutantur, et retinetur prior titulus canonicalis ; ideoque cum « non fiat mutatio tituli, non est opus auctoritate Ordinarii pro « obtinenda collatione. Denique ex eadem definitione colligitur « quod optio vacantis præbendæ ab antiquiore fieri debeat infra « certum tempus, nempe de jure communi infra viginti dies a « die vacationis, sive potius illius verisimilis notitiæ. Eo negli- « gente vel recusante, statim jus optionis devolvitur ad canonicum « antiquiorem immediate sequentem. » (Scarfantonius, t. II, p. 147, edit. Lucæ, 1723.)

In statu præsenti ecclesiarum Galliæ, cum præbendæ consistant in Gubernii stipendio, æquali pro omnibus canonicis, huic juri optandi locus non est.

CAPUT II

DE DISTRIBUTIONIBUS

§ 1

EARUM ORIGO, ET TEXTUS JURIS DE EIS DECERNENTES

1. Ivo Carnotensis Episcopus distributiones hujusmodi primus excogitavit (1) :

Cum in quampluribus, inquit, *canonicorum Carnotensium desuevisset disciplinæ regularis observantia, ut de negligentibus facerem diligentes, de tardis assiduos ad frequentandas horas canonicas, deliberavi apud me, ut darem eis dimidiam*

(1) Ita affirmat Benedictus XIV in suis *Institutionibus eccles.* (Inst. 207, § 7).

Digitized by Google

præposituram, ut inde fieret quotidianus panis quem acciperent assidui, amitterent tardi; ut quos panis interni dulcedo non movebat, panis corporis refectio provocaret, quamvis eorum annua præbenda ad hoc sufficiens esse deberet (epist. 219).

Idem postea a jure canonico constitutum est, ut constat ex capite *Licet, De præbendis;* ex capite *Olim, De verborum significatione;* et ex capite unico *De clericis non residentibus* in sexto decretalium libro.

2. Hanc disciplinam confirmavit Tridentina synodus (sess. 22, c. 3. De ref.) : *Episcopi, etiam tanquam delegati apostolici, ex fructibus et proventibus quibuscumque omnium dignitatum, personatuum, et officiorum, in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis existentium, tertiam partem in distributiones eorum arbitrio assignandas dividere possint; ut, scilicet... si personaliter competens ibi servitium... non impleverint, illius diei distributionem amittant; nec ejus quoquo modo dominium acquirant, sed fabricæ ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicetur.* Et in sessione 21, capite 3, sic habetur : *In ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis in quibus nullæ sunt distributiones quoditianæ, vel ita tenues ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum, tam dignitatum quam canonicatuum, personatuum, portionum et officiorum separari debere, et in distributiones quotidianas converti... non obstantibus consuetudinibus etiam immemorabilibus.* Postremo eadem synodus, sessione 24, capite 12, sic decernit : *Distributiones vero qui statutis horis interfuerint recipiant : reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant.*

3. Neque Episcopus, neque capitulum, potest condonare illi qui privationem distributionis ex absentia incurrit; sed debet omnino illa distributione quam præsens accepisset carere. Ita declarant plures responsiones Sacræ Congregationis concilii, quas refert Benedictus XIV in suo libro *Institutionum ecclesiasticarum* (inst. 107, § 7, n. 42).

Digitized by Google

§ 2

DETERMINATUR JUS COMMUNE QUOAD DISTRIBUTIONES

Totam illam materiam de distributionibus sic breviter exposuit Monacelli (tit. 2, formula 6, adnot. 8 et seq.) : « De distri-
« butionibus hæc pauca quæ sequuntur nota. 1° « Quod taxa
« pro distributionibus constituendis debet esse in tertia parte
« fructuum præbendarum, ad formam præscriptam a concilio
« Tridentino (sess. 12, c. 3); et decisum a Sacra Congregatione
« concilii (in Albanensi, 9 decembris 1690). Quæ tertia pars, si
« non adest aliud assignamentum, neque alia dos pro distribu-
« tionibus, debet effective separari et deponi, ut eadem Congre-
« gatio respondit (in Aquipendii, 29 novembris 1692, et in civi-
« tatis Castellæ, 5 maii 1696).

2° « Quod distributiones debent dividi et lucrari ad præscri-
« ptum ejusdem capitis tertii (sessionis 12 concilii Tridentini),
« non obstante statuto, consuetudine aut pactione contraria ca-
« nonicorum, qui illas sibi invicem remittere, cedere, et condo-
« nare non possunt. Ita Sacra Congregatio concilii (in Gienensi,
« 24 aprilis, et in Avenionensi, 25 septembris 1700).

3° « Quod distributiones a canonicis absentibus amissæ,
« inservientibus accrescunt, adeo ut ab Episcopo non possint
« applicari fabricæ, sacristiæ, aliisve usibus, ut in dicto capite 3
« (sessionis 12 Tridentini) statuitur, et sæpe declaravit Sacra
« Congregatio concilii, ac nuper (in S. Severini, 16 julii 1695,
« et in Cathacensi, 18 julii 1699. — Apud Nicolium in Flosc.
« verb. *Distributiones*, n. 6).

4° « Quod distributiones amissæ a dignitatibus et personati-
« bus ob non interessentiam divinis officiis, cedunt arbitrio et
« dispositioni Episcopi, nec cum aliis canonicorum distributioni-
« bus commisceri valeant (Barbosa in c. 3, sess. 22 concilii
« Trid. — et Sacra Congregatio concilii in *Cephaludensi*,
« 6 martii 1694); dummodo tamen tertia pars fructuum earum-
« dem præbendarum reperiatur pro distributionibus separata,
« alias secus; ut distinguit Nicolius (in Flosc. verbo *Distribu-*
« *tiones*, n. 6). Tunc enim portiones dignitatum et personatuum

Digitized by Google

« absentium arbitrio Episcopi applicantur fabricæ aut alteri loco « pio, quando pro fallentiis detracta effective reperitur tertia « pars fructuum.

5° « Quod canonico jubilato, vigore indulti debentur distribu- « tiones et fallentiæ canonicorum absentium, etiamsi choro non « intersit, ita ut ei non obstet statutum vel consuetudo contraria « Ecclesiæ. Sic censuit Sacra Congregatio Concilii (in Romana, « 19 aprilis 1692 — et in Aquipendii, 23 martii 1697 —); et est « contra Fagnanum (in c. *Cum percusso*, De clerico ægrot., « n. 28 et seq.).

6° « Quod canonicus qui in ecclesia cathedrali curam anima- « rum exercet, computat distributiones in congruam (Congre- « gatio concilii in Acernensi, 14 novembris 1693 — et in Isor- « niensi, 20 aprilis 1698).

7° « Quod canonici quamvis pauci sint, puta duo vel tres, te- « nentur canere officium in choro : alias possunt ab ordinario « distributionibus punctatura privari. Ita censuit Sacra Congre- « gatio concilii (in Nullius Orbitelli, 31 martii 1696).

8° « Quod canonico inquisito, et postea absoluto uti non culpa- « bili, ex hactenus deductis debentur distributiones totius tem- « poris quo talem ob causam ecclesiæ inservire non valuit (Bar- « bosa, *De canonicis* c. 24, n. 41. — Sacra Congregatio concilii « in Arianensi, 28 aprilis 1635 — et Sacra Congregatio Episco- « porum et regul. in Lucerina, 17 augusti 1696).

9° « Quod ad effectum recuperandi distributiones amissas « tempore absentiæ causatæ ex justa causa et impedimento, debet « probari aliud, nempe quod canonicus absens esset solitus inser- « vire ante impedimentum : alias, etiamsi in casu inquisitionis « plenarie fuisset absolutus, distributiones non recuperaret, ut « de communi tradunt Monetus (*De distrib.*, parte 2, c. 5, n. 35), « et Fagnanus (in c. *De cætero*, De cler. non resid., n. 26).

10° « Quod canonicus dispensatus super ætate ad obtinendum « canonicatum, si promoveri non curavit ad ordines, postquam « ad legitimam ætatem pervenit juxta formam in dispensatione « præscriptam, distributiones non acquirit, quamvis choro in- « serviat, ut declaravit Sacra Congregatio concilii (in Floren- « tina, 12 januarii 1697).

11° « Quod canonici sive dignitates protonotarii, si choro in-

Digitized by Google

« tersint cum habitu protonotarii, distributiones non percipiunt.

12° « Quod canonicus qui surdus evasit, ut acquirat distribu-
« tiones, præsentiam in choro præstare debet, ut censuit Sacra
« Congregatio Episcoporum et reg. (in Theaunensi, 12 martii
« 1619)—secus si evaserit cæcus, quia hic distributiones acquirit
« quamvis non intersit; cum iste connumeretur inter miserabi-
« les personas, quamvis dives sit, ut plene probat Fagnanus hanc
« miseriam passus (in c. *Licet*, De præb., n. 143 — et in c. *Cum*
« *percusso*, De cler. ægrot. n. 26 — et in c. *Significantibus*, De
« officio deleg. n. 50).

13° « Quod dignitates et canonici, non obstante quod velint
« amittere tertiam partem fructuum præbendarum pro distribu-
tionibus applicatam, adhuc ab Episcopo compelli possunt ad
residendum personaliter, ut declaravit Sacra Congregatio
« concilii. Decretum autem ex libris secretariæ excerptum sic
« loquitur : *Congregatio censuit dignitates in cathedralibus et*
« *collegiatis posse compelli ad residendum personaliter pœnis*
« *præfixis decreto concilii Tridentini* (sessione 24, cap. 14,
« § *Præterea*), *non obstante quod velint amittere tertiam par-*
« *tem fructuum pro distributionibus quotidianis applicatam.*

14° « In materia distributionum notanda est differentia inter
« caput 3 sessionis 22, concilii Tridentini, et aliud caput 3 ses-
« sionis 21, in quorum intelligentia nonnulli falluntur, et hæc
« est : quod illud loquitur de dignitatibus, a quarum præbendis
« Ordinarii tertiam partem fructuum in distributiones quotidia-
« nas convertendam separare possunt, dato etiam quod distribu-
« tiones quotidianæ non sint tenues ; et id in odium obtinentium
« dignitates et negligentium residere; et quando ista tertia pars
« ita subtracta per non intervenientes amittitur, locis piis est
« applicanda.

15° « Caput 3 sessionis 21 loquitur solum quando distribu-
« tiones ita sunt tenues ut negligantur : et hoc casu tertia fruc-
« tuum præbendarum pars ita separata et in distributiones ab
« Ordinario concursa, si per non inservientes amittitur, propor-
« tionaliter servientibus accrescit, non obstante contraria consue-
« tudine. »

His a Monacello traditis, sequentes adnotationes subjungimus.

Digitized by Google

1. « Obtinentem in cathedralibus et collegiatis dignitatem, « licet vocem in capitulo non habeat, nec distributiones quoti- « dianas cum cæteris participet, detractioni tertiæ partis fruc- « tuum esse obnoxium, » concludit Barbosa cum aliis canonistis ex textu decreti Tridentini (*De canonicis*, c. 2, n. 31). Unde talis dignitas tenetur in massa pro distributionibus reponere tertiam partem fructuum suæ præbendæ, ut et ipse suam distributionem lucrando ad majorem assiduitatem excitetur.

2. Ex hac Tridentina lege circa distributiones, sequitur obligatio constituendi aliquem qui quotidie absentes notet. Ad quod munus ordinarie deputatur a capitulo canonicus qui *punctator* vocari solet, et cujus officium supra describitur.

3. Certum quidem est distributiones a canonicis absentibus amissas accrescere præsentibus. At vero in quem usum converti debeant distributiones quas amiserunt dignitates, non parva occurrit in hac solvenda quæstione difficultas, ob duplicem Tridentinæ synodi sanctionem, quarum altera alteri adversari videtur. Etenim in supra citato capite III sessionis 22, hujusmodi distributiones jubentur applicari *fabricæ ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi.* At vero in sessione 21 capite III, sic habetur : *tertiam partem... separari debere, et in distributiones quotidianas converti, quæ inter dignitates obtinentes et cæteros divinis interessentes... dividantur;* quæ verba clare indicant distributiones ab absentibus amissas, accrescere præsentibus, et inter ipsos esse dividendas. Vidimus explicationem a Monacello traditam. Illi alteram subjungimus : « Sed « omnis repugnantiæ species tollitur, ait Benedictus XIV « (Instit. 107, § 7, n. 41), si discrimen statuatur inter dignitates « quæ proventus suos ex mensa capitulari percipiunt, et inter « dignitates quæ secretos ab eadem mensa proventus obtinent. « Itaque juxta concilium distributiones primarum dignitatum « inter præsentes dividendæ sunt: distributiones autem aliarum « dignitatum *fabricæ ecclesiæ sive alteri pio loco* conferendæ. « Hæc habet Fagnanus (in cap. *Quia nonnulli*, De clericis non « residentibus, n. 22 et seq.), auctoritate Sacræ Congregationis « adductus, quæ rem eamdem non semel definivit. »

Unde concludendum videtur distributiones ab absentibus tum canonicis tum etiam dignitatibus amissas ex regula generali ac-

Digitized by Google

crescere præsentibus; et applicandas tantum esse *fabricæ ecclesiæ aut alteri pio loco* distributiones quas amittunt illæ dignitates, quæ habent proventus a massa seu bonis capituli diversos et separatos.

4. Ex concilio Tridentino (sess. 21, c. 3) ad Episcopum pertinet modum determinare quo distributiones quotidianæ fieri debeant : *Statuit sancta synodus... tertiam partem... separari debere et in distributiones quotidianas converti quæ inter dignitates et cœteros divinis officiis interessentes, proportionaliter, juxta divisionem ab Episcopo... faciendam, dividantur.*

CAPUT III

AN PENSIONES CANONICIS HODIE IN GALLIA SOLVI SOLITÆ, HABEANT RATIONEM PRÆBENDÆ SEU BENEFICII ECCLESIASTICI ; ET NUM OBNOXIÆ SINT TRIDENTINO PRÆCEPTO DE CONVERTENDA TERTIA PARTE IN QUOTIDIANAS DISTRIBUTIONES.

Propositio 1ª. — *Certum est dictas pensiones rationem habere veri beneficii ecclesiastici.* — Licet quæstionem instituamus de solis canonicis, eadem prorsus est quoad pensiones quæ, tum parochis perpetuis, tum ipsis etiam Episcopis a Gubernio solvuntur. Quanti autem momenti sit quæstio illa, facile colligi potest ex consectariis. Si enim ejusmodi pensiones pro veris beneficiis habendæ sint, ipsis applicanda veniunt jura omnia, quæ de beneficiis ac bonis ecclesiasticis decernunt. Secus vero, si forent merum Gubernii salarium, nec inter bona ecclesiastica reputari deberent. Thesim autem defendimus, non ut opinionem cui contradicere liberum cuique sit, sed ut certam omnino et ab omnibus tenendam.

Probatur 1° *ex variis decisionibus.* — « An salaria, quæ in « Belgio a Gubernio solvuntur pastoribus et canonicis induant « naturam beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum, et an- « nexam habeant obligationem inhærentem his bonis, scilicet « strictam et canonicam obligationem expendendi superflua pau- « peribus seu piis causis, et residentiæ sub pœna non faciendi « fructus suos ? — Sacra Pœnitentiaria, perpensis expositis, re- « spondet, jam alias a sancta Sede, de consilio selectæ Congre-

Digitized by Google

« gationis, responsum fuisse *affirmative*. (Datum Romæ, 19 ja-
« nuarii 1819. — R. Mazzio, S. P. corrector.) »

Sacræ Penitentiariæ, anno 1823, proposita fuere quædam dubia, quorum secundum expositum fuit et solutum in hunc modum : « II. An honoraria sacerdotibus a Gubernio data, seu ex
« functionibus ecclesiasticis provenientia, sint bona quasi patri-
« monialia ? — S. Pœnitentiaria ad proposita dubia ita respon-
« dendum censuit : ... Ad II, alias fuisse a selecta Congregatione
« sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium responsum : quod si
« agatur de pensionibus constitutis loco redituum quos benefi-
« ciarii antea percipiebant ex fundis, seu loco suorum beneficio-
« rum, eas censeri reditus ecclesiasticos, non quasi patrimoniales.
« Secus vero, si agatur de stipendiis quæ dantur laborantibus
« inserviendo Ecclesiæ et functionibus ecclesiasticis tanquam
« merces operis, et ad operantis sustentationem : hæc enim bona
« censentur quasi patrimonialia. (Datum Romæ in S. Pœniten-
« tiaria, die 9 januarii 1823. — J. B. Bussi, S. P. Regens.) »

Ad rem etiam facit sequens decisio sacræ Congregationis rituum :

« Cum reverendissimus Cameracensis Episcopus sacrorum
« Rituum Congregationem enixe rogavit, ut declarare dignare-
« tur : utrum canonicis prout a tempore concordatus 1801 in
« Galliis instituti sunt, incumbat obligatio non tantum assistendi
« in choro celebrationi divinarum laudum, prout in respectivis
« capitulis est instituta, sed etiam cantandi horas canonicas in
« choro ; ita ut canonicus in Galliis assistens quidem in choro,
« sed non decantans publicas preces canonicas peccet mortaliter,
« et teneatur ad restitutionem partis fructuum omissioni corre-
« spondentis? — Eminentissimus cardinalis... præfectus... re-
« scribi mandavit : canonicum in casu, juxta alias decreta, obli-
« gationi non satisfacere. Die 22 maii 1841. » (Apud Gardellini, t. VIII, n. 4769.)

Probatur 2° ex pacto et modo quo istæ pensiones inductæ sunt. — In concordato anni 1801, consentit quidem Pius VII alienationi bonorum ecclesiasticorum quæ direpta fuerant, et eorum dominium transfert in eos qui ea bona acquisiverant ; sed simul exigit ut Gubernium ad convenientem Episcoporum et parochorum sustentationem sese obstringat. Sic quippe habe-

Digitized by Google

tur articulis 13 et 14 : « Sanctitas sua pro pacis bono, felicique « religionis restitutione, declarat eos, qui bona Ecclesiæ alie- « nata acquisiverunt, molestiam nullam habituros, neque a se, « neque a Romanis Pontificibus successoribus suis ; ac conse- « quenter proprietas eorumdem bonorum, reditus et jura iis in- « hærentia immutabilia penes ipsos erunt, atque ab ipsis causam « habentes. — Gubernium Gallicanæ reipublicæ in se recipit « tum Episcoporum, tum parochorum... sustentationem, quæ « cujusque statum deceat. » (*Bullarium continuatum*, t. XI, pag. 177.)

Et in bulla *Ecclesia Christi*, 18 septembris 1801, § 25 : « Sed quoniam Galliarum ecclesiis veteri suo patrimonio privatis invenienda ratio aliqua est qua suppleri Episcoporum ac parochorum sustentationi ac decentiæ possit, Galliarum Gubernium in se recipit tum Episcoporum, tum parochorum... sustentationem quæ cujusque statum deceat. » (*Ibid.*, pag. 211.)

In decreto executoriali Cardinalis Capraræ, quod incipit *Cum sanctissimus*, 29 novembris 1801, sic habetur, § 24, de dotatione Episcoporum : « Cum hanc ipsam dotationem Gallicanum « Gubernium, memoratæ conventionis vigore, in se susceperit... « declaramus earumdem ecclesiarum dotationem ex iis rediti- « bus conflatam fore, qui ab ipso Gubernio, juxta præfatæ con- « ventionis tenorem singulis Archiepiscopis et Episcopis quam- « primum solvendi erunt. » (*Ibid.*, p. 264.) Et quoad parochias ita subjungitur : « Singulis vero parochialibus ecclesiis sic eri- « gendis, pro congrua rectorum sustentatione eos reditus, qui, « ut in supra dicta conventione statutum est, assignandi erunt, « iidem Archiepiscopi et Episcopi *dotationis locum* habituros « fore declarabunt. » (*Ibid.*, pag. 264.)

Ex his documentis sic argui licet : ejusmodi pensiones acceptavit, imo et exegit Sedes Apostolica, tanquam *dotationem*, et in compensationem bonorum ecclesiasticorum quæ direpta fuerant. Gubernium autem perpetuum in se recepit onus hancce dotationem per modum annuæ pensionis solvendi. Jam vero talis dotatio rationem habet veri ac proprie dicti beneficii. Etenim ad constituendum verum ac proprie dictum beneficium, ex unanimi canonistarum consensu, hæc requiruntur et sufficiunt : 1° ut erigatur auctoritate ecclesiastica ; 2° ut pro fine habeat aliquod

Digitized by Google

officium spirituale a beneficiato explendum ; 3° ut ejus collatio ad personas ecclesiasticas pertineat ; 4° ut ecclesiasticis personis conferendum sit ; 5° ut det jus ad proventus ecclesiasticos ; 6° addunt aliqui, ut jus illud sit perpetuum, id est, ut non sit revocabile ad nutum ; sed multi canonistæ censent hanc perpetuitatem requiri quidem ut beneficium sit perpetuum, et non manuale seu revocabile ad nutum, non autem ut sit vere beneficium et rationem habeat boni ecclesiastici.

Expendamus nunc an dictæ Gubernii pensiones aliqua ex dictis conditionibus careant.

1° Constitutæ sunt in dotationem ab auctoritate ecclesiastica, id est, a Sede Apostolica, ut patet ex allatis documentis. 2° Constitutæ sunt in dotationem *officii spiritualis*, id est, episcopalis et parochialis muneris, ut expresse habent citata documenta. 3° Collatio pertinet ad ecclesiasticas personas ; siquidem, ex eodem Concordato, episcopatus a Romano Pontifice, parochiæ autem ab Episcopo conferendæ sunt. 4° Nonnisi ecclesiasticis personis confertur jus ad ejusmodi pensiones ; si quidem non confertur nisi eis qui apti sint explendo episcopali ac parochiali muneri. 5° Jus ad istas pensiones est jus ad percipiendos proventus *ecclesiasticos*. Nam ut fructus seu proventus sint *ecclesiastici*, veramque bonorum ecclesiasticorum rationem habeant, necesse non est ut fundus ex quo percipiuntur Deo dicatus fuerit, et in dominium Ecclesiæ cesserit ; at sufficit ut Ecclesia jus habeat ad illos proventus, ita ut ipsi debeantur et solvendi sint, *vi oneris in perpetuum suscepti*. Hinc postquam Leurenius *affirmative* respondit ad quæstionem, num bona quæ beneficium constituunt debeant esse *res certa et stabilis*, ita subjungit : *Num ergo talis res certa assignata* (*verbi gratia, fundus*) *debeat abdicari et transferri in dominium Ecclesiæ? Respondeo negative. Sufficit enim rem esse hypothecatam, et affectam onere* (*præstandi tales reditus*) *reali, perpetuo, non extinguibili cum persona, sed cum re ipsa ad quemcumque successorem transeunte... Lotterus ait, ipsum quoque annuum reditum in dotem beneficii assignatum, si ex certo fundo debeatur, dici fundum ecclesiasticum* (*Forum beneficiale*, part. 1, quæst. 8).

Ut ergo dictæ annuæ pensiones Gubernii sint reditus *ecclesiastici*, sufficit ut Gubernium eas certis muniis spiritualibus

Digitized by Google

addixerit, et in se onus perpetuum assumpserit eas solvendi singulis viris ecclesiasticis, quibus ea munia rite collata fuerint. Jus ergo ad ejusmodi pensiones, est jus ad proventus vere *ecclesiasticos*. Nimirum bona Gubernii seu nationis (quæ pro *re certa* profecto haberi debent) non quidem sunt ipsamet *ecclesiastica*, nec in dominium Ecclesiæ transierunt; sed bona ista, ex pacto Concordati, affecta sunt onere perpetuo certos annuos reditus, in certorum spiritualium officiorum dotationem, persolvendi; et hoc sufficit, ut reditus isti sint vere et rigorose bonum *ecclesiasticum*. 6° Ad quæstionem perpetuitatis beneficii quod attinet, non est cur in ea hic immoremur, cum beneficia de quibus agimus (id est, episcopatus, parochiatus et canonicatus) non sint ad nutum revocabilia, sed perpetua. Moveri tantum posset difficultas de parochis deservientibus seu succursalistis, ad nutum revocabilibus. Sed de his dicetur alibi.

Unde conditiones omnes, ad verum beneficium constituendum requisitæ, in dictis Gubernii pensionibus reperiuntur. Ergo pensiones istæ rationem habent veri beneficii et boni ecclesiastici.

Objicies. — In concordato anni 1801, onus dictas pensiones solvendi non assumpsit Gubernium quoad canonicos, sed tantum quoad Episcopos et parochos : ergo non valet argumentum quoad canonicos. — Respondeo : equidem hoc onus quoad canonicos Gubernium non sibi assumpsit *statim ;* sed assumpsit *paulo post*, ut publicæ notorietatis est. Aliunde auctoritas ecclesiastica, ejusmodi pensiones canonicatibus a Gubernio in perpetuum assignatas, tanquam eorumdem canonicatuum dotationem acceptavit. Præterea superius allatæ sacrarum Congregationum decisiones, etiam quoad canonicos, imo potissimum quoad ipsos, quæstionem solvunt.

Igitur pro certo et inconcusso tenendum est, dictas Gubernii pensiones veri beneficii ecclesiastici rationem habere; ipsisque proinde applicanda esse juris consectaria, quæ vera beneficia concernunt.

Propositio 2ª. — *Prorsus erravit dominus Emery, contendendo dictas Gubernii pensiones non habere rationem beneficii nec boni ecclesiastici*. — Errorem hunc docuit dominus Emery, congregationis Sancti Sulpitii generalis superior, in quodam libro suo anonymo, quem inscripsit *Nouveaux Opuscules de Fleury*.

Digitized by Google

Sic nempe ibi legere est (pag. 45 et 46, editionis 1818) : « L'Eglise a été dépouillée en totalité de ses biens : il n'y a donc « plus de biens ecclésiastiques et qu'on puisse dire consacrés à « Dieu : il n'y a donc plus de bénéfices. Les cures, les canonicats « et même les évêchés sont bien encore aujourd'hui des offices, « mais ne sont plus des bénéfices. Si l'on veut parler cor- « rectement, on ne peut plus leur donner ce nom, puisque le « bénéfice est défini, *le droit perpétuel de percevoir quelque « portion de revenu des biens consacrés à Dieu, accordé à un « clerc par l'autorité de l'Église, à raison de quelque office « perpétuel.* Or, les cures, les canonicats, les évêchés ne don- « nent plus un tel droit : les curés, les chanoines, les évêques « tirent aujourd'hui leur subsistance, non des biens appartenant « à l'Eglise et consacrés à Dieu, *ex bonis Deo dicatis*, puisqu'il « n'existe plus de tels biens, mais d'une pension que le Gouver- « nement leur assigne sur le trésor de l'Etat, semblable à celle « que reçoivent les fonctionnaires publics. » Recondunt verba hæc pauca errorem multiplicem.

1° Erravit dominus Emery asserendo, *nullum in Galliis remansisse bonum ecclesiasticum.* Imprimis enim ea bona ecclesiastica quæ non fuerant direpta seu a Gubernio vendita, id est, ædificia sacra multa et aliqui etiam fundi, remanserunt ecclesiastica, ex hoc ipso quod Pius VII per concordatum, non horum, sed eorum duntaxat quæ alienata fuerant, dominium transtulit in emptores, eosve qui ab emptoribus acquisiverant. Sed prætermissa ista bonorum ecclesiasticorum categoria, agamus duntaxat de pensionibus a Gubernio solvendis ad terminos concordati. Jus ad illas pensiones est bonum ecclesiasticum duplici titulo : nimirum titulo *commutationis*, et titulo *dicationis* Deo factæ. Etenim usque ad concordatum bona ecclesiastica, licet per furtum et vim ablata, remanserant nihilominus ecclesiastica, nec eorum proprietatem acquisiverant fures et invasores, sed ad ea restituenda tenebantur. Alioquin dicendum foret dominum rei alicujus ejusdem rei dominium amittere, hoc ipso quod fur rem illam surripiat. Quod doctrinæ monstrum a mente domini Emery prorsus sane alienum fuit. Aliunde autem per concordatum anni 1801, Pius VII non simpliciter et *absolute* cessit direptorum ejusmodi bonorum dominium, sed *conditionate;* id

Digitized by Google

est, sub ea conditione quod Gubernium sibi onus perpetuum assumeret annuas pensiones, quæ convenienter sustentando clero sufficerent, persolvendi. Quod patet ex supra citatis 13 et 14 dicti concordati articulis. Ergo direptorum ejusmodi bonorum dominio renuntiavit Ecclesia, non simpliciter donando, sed *commutando*. Jam vero quando Ecclesia bonum aliquod suum commutat in aliud, dubium non est quin hoc posterius fiat ipsius bonum, ac proinde ecclesiasticum. Cum ergo Ecclesia direptorum bonorum dominium in jus ad dictas pensiones commutaverit, sequitur jus istud seu pensiones istas esse bonum vere ac proprie ecclesiasticum. Sed fingamus (quod tamen falsum est) direptorum bonorum dominium a Pio VII alienatum fuisse simpliciter et absolute, id est, absque conditione, quod in compensationem dictæ pensiones a Gubernio solverentur : etiam in illa hypothesi pensiones istæ boni ecclesiastici rationem haberent. Nam quando quis ex bonis suis constituit censum perpetuum in dotationem alicujus officii spiritualis, ita ut ad auctoritatem ecclesiasticam pertineat eos instituere qui hoc officio fungantur, sicque eis jus ad istum censum conferre, ex hoc ipso census iste fit bonum *Deo dicatum*, ac proinde vere ecclesiastic um. Et postquam talis census ab auctoritate ecclesiastica fuit rite acceptatus, non potest is qui censum semel constituit, aut ipsius in hoc onere successor, censum illum supprimere, ejusve solutionem denegare absque furto et sacrilegio. Porro hæc ipsissima est conditio pensionum a Gubernio per concordatum anni 1801 constitutarum. Onus eas in perpetuum solvendi sibi Gubernium assumpsit, et eas pensiones constituit in dotationem seu congruam sustentationem eorum clericorum, quibus episcopale, canoniale et parochiale munus ab auctoritate ecclesiastica committeretur. Porro ex hoc ipso istæ pensiones sunt bonum *Deo et ecclesiæ dicatum*, ac proinde bonum ecclesiasticum. Unde hoc duplici titulo, *commutationis* scilicet et *dicationis* Deo et Ecclesiæ, dictæ pensiones veri beneficii et veri boni ecclesiastici rationem habere censendæ sunt.

2° Erravit dominus Emery, asserendo *hujusmodi annuis pensionibus non convenire definitionem beneficii ecclesiastici*. Id enim concludit ex eo quod beneficium definiatur jus perpetuum percipiendi aliquos reditus *ex bonis Deo dicatis seu ex bonis ecclesiasticis*, et ex eo quod istæ pensiones non sint bonum Deo

Digitized by Google

dicatum seu ecclesiasticum. E contra autem tenendum est, tum ob citatas decisiones Romanas, tum ob allatas rationes ex natura rei deductas, ejusmodi pensiones veri beneficii et boni ecclesiastici, ac proinde boni Deo dicati, rationem habere. Quo semel posito, illis pensionibus per omnia convenit definitio beneficii ab ipsomet domino Emery tradita.

3° Erravit dominus Emery dictas Episcoporum, canonicorum et parochorum pensiones *assimilando salariis quæ civibus aliquo civili munere fungentibus persolvuntur*. Nam dictas pensiones debet Gubernium ex contractu commutationis direptorum bonorum Ecclesiæ in censum hunc annuum. Illas etiam debet vi pacti quo eas semel pro semper certis spiritualibus muniis in *dotationem* addixit; quam perpetuam dotationem acceptavit ecclesiastica auctoritas. Ex quo duplici titulo, ut dictum est, jus ad illas pensiones Ecclesia acquisivit. Hinc statim ac canonice auctoritate ecclesiastica institutus fuit Episcopus, sive canonicus, sive parochus, tenetur Gubernium ex justitia ipsi pensionem erogare. Nec penes Gubernium est episcopatum aliquem, aut canonicatum aut parochiam supprimere, ut ab onere solvendæ pensionis sese liberet: immo vero si pensionem solvere deneget furtum et sacrilegium patrat; quia surripit bonum Ecclesiæ acquisitum, prout ex supra deductis aperte sequitur. E contra vero potest Gubernium absque ulla injustitia variis muniis civilibus, vel minus solito, vel nullum salarium assignare. Ii magistratus, verbi gratia, qui vocantur *les maires*, nullum salarium recipiunt. Item penes Gubernium est ejusmodi officiorum civilium numerum augere vel minuere. Item ad ipsum pertinet ejusmodi officiales instituere et destituere. Vacante aliquo civili munere, potest suprema regni auctoritas absque ulla injustitia, vel nullum successorem instituere, vel aliquem instituere cum assignatione minoris salarii, vel etiam sub conditione quod nullum salarium recipiet. Ex quibus patet quam diversa sit ecclesiasticarum pensionum, ex solemni contractu debitarum, et civilium salariorum conditio.

4° Erravit dominus Emery ponendo principium *ex quo sequeretur non minus exitiale quam erroneum consectarium*. Nam prædictæ pensiones vel sunt bonum Ecclesiæ debitum et ad Ecclesiam pertinens, vel non : si prius, ergo sunt bonum eccle-

Digitized by Google

siasticum ; bona siquidem ad quæ jus habet Ecclesia et quæ ad ipsam pertinent, sunt procul dubio bona ecclesiastica : si posterius, ergo Ecclesia nequit pensiones illas repetere et exigere quatenus bonum suum et sibi debitum : ergo Gubernium *ex justitia* non tenetur pensiones illas solvere : ergo Gubernium pensiones illas ex mera liberalitate seu ex mero beneplacito solvit, atque easdem; sine ulla injustitia, quando visum fuerit, supprimere potest. Ergo dominus Emery sustinendo pensiones istas non esse bonum ecclesiasticum, æquivalenter sustinuit posse eas a Gubernio sine ulla injustitia supprimi.

Quæ quidem doctrina multum placere debuit illis sectæ Volterianæ viris qui, sub Restauratione et sub Ludovico Philippo, toties in deputatorum camera idem clamitarunt; Gubernium scilicet ad solvendas hujusmodi pensiones ex justitia non teneri. Logice tamen ipsi ratiocinabantur; nam simul sustinebant potuisse legitime Gubernium de antiquis bonis ecclesiasticis disponere et sibi ea usurpare. Si potuit de antiquis, ita et de novis.

Propositio 3ª.— *Pensiones a Gubernio Galliæ canonicis solvi solitæ decretis Tridentinis de convertenda tertia parte in quotidianas distributiones obnoxiæ videntur.* — Etenim 1° decretum Tridentinum capitis 3 sessionis 21 est præceptivum, ut indicant hæc verba : *Statuit sancta synodus... tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum..... separari debere, et in distributiones quotidianas converti.* 2° Præceptum illud dictas Gubernii pensiones attingere videtur. Attingit enim *quoscumque proventus canonicatuum*, ut in citato sessionis 21 decreto habetur. Et iterum capite 3 sessionis 22 dicitur, tertiam partem in distributiones convertendam conflari ex *proventibus quibuscumque.* Ergo ut hoc præcepto dictæ pensiones afficiantur, sufficit eas esse veros *canonicatuum proventus :* atqui tales revera sunt; siquidem, ut probavimus, rationem habent præbendæ seu beneficii et boni ecclesiastici. Ergo tertia pars istarum pensionum in quotidianas distributiones convertenda est; nisi ab ea lege eximantur capitula Galliæ, sive ob moralem impossibilitatem eam exequendi, sive ob legitime jam præscriptam contrariam consuetudinem. 3° Ad impossibilitatem quod attinet, non videtur admittenda. Potest siquidem Episcopus sub pœnis et censuris quemlibet canonicum adigere ad reponendam

Digitized by Google

in massa communi tertiam pensionis suæ partem, in distributiones convertendam. Et notetur Episcopum, in procuranda citatorum decretorum executione, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatum agere posse. 4° Tandem nec per contrariam capitulorum Galliæ consuetudinem sublata videtur obligatio servandæ illius Tridentinæ legis. Equidem consuetudo hæc jam in plerisque Galliæ diœcesibus plus quam quadragenaria est. Sed quando agitur de Tridentinis præceptis, obstat constans tribunalium Romanorum praxis ne in contrarium inducta consuetudo legitima evadere queat. Constanter nempe tribunalia hæc, qualibet data occasione, declarant obligare leges Tridentinas, non obstantibus longis in contrarium consuetudinibus. Et sic perpetuo testantur permanentem Sedis Apostolicæ voluntatem non assentiendi istiusmodi consuetudinibus Tridentinarum legum subversivis. Qua stante praxi, nequit supponi ullus Romani Pontificis quoad istas consuetudines assensus. Hinc anno 1850, die 23 novembris, quoad capitulum Tergestinum (*de Trieste*), non obstante longa jam in contrarium consuetudine, decisum est *teneri* Episcopum ad assignandam partem quæ in distributiones converteretur. Proposito quippe dubio, *an et quomodo* TENEATUR *Episcopus partem redituum capitularium cathedralis Tergestinæ assignare pro distributionibus quotidianis*, sacra Congregatio concilii respondit : *affirmative, et Episcopus procedat ad formam sacri concilii Tridentini*, *sessione* 22, *capite* 3. (In publicatione periodica cui titulus *Correspondance de Rome*, numeris 4 octobris et 4 decembris 1850.)

PROPOSITIO 4ª. — *Legi Tridentinæ satisfacere posse videntur hodierna capitula Galliæ aliter quam per separationem tertiæ partis in distributiones convertendæ; videlicet per mulctas, contra absentes statutas, usque ad concurrentiam tertiæ partis pensionis.* — Equidem hoc modo forsan non satisfit, rigorose loquendo, litteræ Tridentini præcepti. At satisfit menti, quia satis attingitur scopus a Tridentinis Patribus intentus. Aliunde autem huic faciliori implendæ legis modo consentire Sedem Apostolicam, aut saltem libenter consensuram quoties rogabitur, satis colligi potest ex Ragusini capituli exemplo. Nimirum :

Ragusinæ cathedralis canonici pensionem a Gubernio recipiunt, nullosque habent reditus quotidianis distributionibus

Digitized by Google

destinatos. Ast in statutis suis anni 1846, punctaturas ac mulctas contra absentes decreverunt, articulo 26, in hunc modum : *Distributiones quotidianæ, introductæ animo fovendi diligentiam, nunquam exstiterunt in ecclesia hac cathedrali ; neque exstitit vel exstat massa communis bonorum ex quibus, juxta mentem concilii Tridentini, tertia pars in dictis distributionibus converti queat. Conditionibus hisce stantibus, juxta prælaudati mentem concilii recurrendum est ad media in finem, ad mulctas videlicet et ad punctationes. Et hinc præbendati omnes hujus cathedralis sine causa legitima a choro absentes, punctandi et mulctandi erunt ad tramites juris canonici.* Determinatur deinde in iisdem statutis quomodo mulctæ in fine anni solvendæ sint, et cui objecto applicandæ. Orta vero controversia, an mulctis ejusmodi subjacerent etiam tres menses, quibus unicuique canonico singulis annis abesse licet, dubium proposuit Ragusinus Episcopus hoc modo : *utrum tertia pars proventuum, qui juxta § 26 statutorum converti debent in mulctas absentium a choro, dividi debeat per dies novem mensium, quibus, ex præscripto Tridentini, canonici tenentur interesse choro et divinis officiis, aut per integros duodecim menses unius anni. — Utrum in secundo casu punctationibus et mulctis subjaceat absentia trium mensium a jure concessa?* A sacra Congregatione Concilii responsum est die 30 augusti 1851 : *Mulctas esse partiendas per totum annum, easque amittere absentes tempore vacationum trimestrialium, juxta alias editas resolutiones.* Proposita est causa hæc *per summaria precum*, et citatur apud *Correspondance de Rome*, anno 1851, pag. 372.

Tridentinæ legis observationi satis consuluisse mihi videretur Galliæ Episcopus, qui ejusmodi mulctas decerneret.

SECTIO IV

QUID SIT CAPITULUM QUOAD LEGEM IPSIUS COADUNATIONES REGULANTEM

Cum capitulum rationem habeat societatis, tota ejus actio exercetur socialiter seu, ut dici solet, capitulariter ; ac proinde per

Digitized by Google

coadunationes et comitia. Nisi autem capitularibus comitiis normam lex Ecclesiæ præscripsisset, qua legitima acta ab illegitimis accurate secernerentur, omnia fuissent dubiis, altercationibus, confusione plena. Hinc varia jura, congressuum capitularium legem et formam determinantia, et in hac sectione exponenda.

CAPUT I

DE REQUISITO CAPITULARIUM PRÆSENTIUM ET SUFFRAGIORUM NUMERO UT ACTUS CAPITULARIS VALEAT

§ 1

DE REQUISITO PRÆSENTIUM NUMERO.

1. In omni casu, ut valide procedi possit ad actum capitularem, sufficit præsentes esse duas tertias partes capitularium; quia quod fit a duobus tertiis partibus a tota universitate seu communitate fieri censetur : ita habent jura, et tenent canonistæ communiter. Sufficit, inquam, duas tertias partes adesse ut valide ad actum capitularem procedi possit; non autem semper, ut decretum capitulare non obnoxium sit rescissioni. Nam,

2. Si tertia pars non præsens, aut aliqui ex non-præsentibus non vocati fuerint, cum potuissent et debuissent vocari, isti non vocati, possunt decretum capitulare per reclamationem suam irritum reddere. Imo id potest unicus capitularis, qui vocandus non vocatus fuit. Si autem qui in convocatione neglecti sunt non reclament, et præsentes fuerint duæ tertiæ capitularium partes, valebit omnino actus capitularis, in quantum ejus valor pendet a præsentium numero. Qui autem neglectus fuit habet sex menses ad reclamandum, quibus elapsis censetur confirmare actum capitularem (1).

3. E contra si nonnulli ex vocandis non vocati sint, nec adfuerint duæ tertiæ capitularium partes, non tantum actus erit rescissioni obnoxius, sed erit ipso jure irritus et nullus.

4. Si superior ad quem spectat convocatio omnes de jure vo-

(1) Ceccoperius, l. IV, tit. 2, n. 39, — et fuit decisum a Rota, testante eodem Ceccoperio, loco citato.

Digitized by Google

candos vocaverit, præsentes ad actum capitularem legitime procedere possunt, quantumvis parvus sit eorum numerus; eo quod talis convocatio superioris constituat non-venientes in quadam contumacia, quæ privat illos pro hac vice jure ferendi suffragii : unde totum jus capituli pro tunc in præsentibus merito residere censetur; nec est rescissioni obnoxius actus capitularis ex titulo insufficientis præsentium numeri. Hoc autem punctum pro sui gravitate confirmabimus auctoritate Ceccoperii, qui rem fuse exposuit (lib. 4, t. 2) :

« Quod si nonnulli ex canonice vocatis tempore præfixo non « accesserint ad locum capitularem, cæteri constituunt capitu- « lum, et gesta ab his valent ac si acta fuissent ab omnibus, « etiamsi qui convenerunt essent in minori numero duarum « partium ex tribus. Ratio est, quia convocatio facta per ha- « bentem auctoritatem, comparere renuentes constituit in con- « tumacia, hoc est, voluntaria inobedientia, et utì còntumaces « habentur pro illa vice quoad actum illum, ac si non essent de ca- « pitulo; et valet quod faciunt reliqui capitulares qui venerunt. »

« Huic autem doctrinæ non obstat quod quamplures tradunt, « opus esse ad constituendum capitulum et expediendum actum, « quod adveniant et sint præsentes in loco capitulari duæ partes « ex tribus canonicorum residentium et habentium vocem in « capitulo; quia dicti doctores loquuntur de capitulo ordinario, « ad quod accedunt non intimati aut citati, et propterea excu- « santur a contumacia. »

« Cæterum canonicis secundum modum debitum citatis, jussu « præfecti vel alterius ad quem ex dispositione statuti attinet, et « multis non comparentibus in solito vel designato loco, non « solum major pars, sed tres tantum canonici qui convocati « comparuerunt, possunt explere actum; si quidem ternarius « numerus facit capitulum. Quinimo duo, vel unus, aliis convo- « catis et in termino non venientibus, possunt et potest eligere « et actum explere, nominando coram scriba et testibus. »

« Et quamvis capitulum ab initio per unum institui nequeat, « si tamen ad unum redigatur, adhuc potest nomen retinere; « non quia unus sit capitulum, sed quia jura et privilegia capi- « tuli devolutive resident in illo uno, qui eo casu pro pluribus « consideratur. »

Digitized by Google

« Idipsum procedit omnibus canonicis voce privatis, vel sus-
« pensis, aut interdictis, sive excommunicatis, vel mortuis,
« præter unum. Siquidem non dissolvitur capitulum nisi per
« mortem omnium capitularium, vel auctoritate Papæ ob deli-
« ctum singulorum. »

(Vide etiam Scarfantonium, tom. II, p. 116, editio Lucæ, 1723; — et Leurenium, *Forum eccl.*, tit. XI, quæstio 130.)

§ 2

QUÆNAM SIT PARS MAJOR ET SANIOR ET QUOMODO ÆSTIMANDA

1. Utrum *major pars* computanda sit respectu totius capituli, an tantum respectu capitularium hic et nunc intervenientium, non omnino clare expressum reperitur, neque in juris textibus, neque apud canonistas. *In hoc videntur confusæ doctrinæ et conclusiones*, ait cardinalis Petra (t. I, pagina 62, n. 31, edit. Romæ, 1705). Hinc enucleatius discutienda est quæstio de computanda *majori parte* capituli, et certa a dubiis discernenda.

2. Tanquam certum habetur apud canonistas majorem partem non computandam esse relative ad unamquamque plurium aliarum partium in quas capitulum scinderetur. Sit in exemplum deliberatio capitularis de alienando aliquo prædio. Si ex duodecim capitularibus præsentibus, 4 consentiant in venditionem, 3 in retentionem, et 5 in locationem, quinque isti ultimi non constituunt id quod jus vocat *majorem* capituli *partem*, licet isti quinque capitulares numero præstent unicuique ex duabus aliis partibus. (Ita Leurenius, *Forum eccl.*, in tit. XI libri III Decretalium, quæst. 130; — Wiestner, in eumdem tit., n. 20, — et alii communiter.) Posse valere consuetudinem in contrarium admisit unus aut alter canonista; sed opinionem illam rejicit Leurenius, loco citato.

3. Nec computanda major pars relative ad omnes præsentes tantum, omissis iis qui, cum potuerint et debuerint vocari, vocati non sunt, nec intersunt. Verbi gratia, si capitulum constet membris 8, et 2 contempti sint, id est, non vocati, cum vocari potuissent et debuissent, consensus 4 membrorum ex 6 præsentibus non efficiet *majorem partem;* sed requiruntur 5; quia

Digitized by Google

in minori parte computandi sunt 2 neglecti licet abfuerint. (Leurenius, loco citato, quæst. 130, — et Wiestner, loco citato, n. 22.) Alioquin enim, ut merito advertunt canonistæ, aperiretur via fraudibus.

4. Facta per superiorem ad quem spectat vocatione omnium qui de jure vocandi erant, *major pars* computanda est relative ad præsentes tantum, quamtumvis parvus sit præsentium numerus. Hoc quidem non expressis terminis tradunt multi canonistæ; sed evidenter supponunt. Admittunt enim in isto casu capitulares valide posse procedere. Cum autem aliunde unanimiter tradant non valere actum capitularem nisi consentiente *majore parte,* necesse est ut majorem partem hic et nunc *præsentium* intelligant; alioquin sibi contradicerent. Attamen ad vitandas lites, consultius erit ut quodlibet capitulum in statutis suis quomodo intelligenda sit apud ipsum major pars clare omnino determinet.

5. Ad constituendam majorem partem sufficit quicumque excessus supra medietatem, etamsi excessus ille esset tantum dimidia pars unitatis. Verbi gratia, si summa relative ad quam æstimanda est major pars constet membris 13, et consentiant 7, illi 7 efficient *majorem partem,* licet ille numerus 7 non excedat medietatem nisi dimidia parte unitatis; siquidem medietas numeri 13, est 6 1/2. (Leurenius, loco citato.)

6. Hic modus computandi majorem partem capituli valet etiam apud ecclesias et ordines religiosos in quibus vigeret statutum requirens *unum* votum supra medietatem. « Eo quod talia « statuta particularia, in materia juris, interpretationem reci- « piant a jure communi. » (Leurenius, loco citato.) Unde illud *unum votum* intelligeretur etiam adesse per excessum dimidii voti, verbi gratia, 7 capitularium, si totum capitulum præsens constaret 13.

7. « Sanior pars dicitur quæ constat viris dignitate, pruden- « tia, scientia, pietate et zelo boni publici magis conspicuis. « Circa quod notandum quod major pars numero..., censeatur « etiam sanior, nisi *manifeste appareat,* aut *legitime probetur* « partem majorem numero *corruptam* fuisse, aut alio sinistro « affectu in transversum agi.

« Unde etiam, cum ex investigatione, quænam sit pars sanior,

Digitized by Google

« multa oriantur incommodà, hodiedum (maxime stante disposi-
« tione Tridentini sess. 25, c. 6, *De regularibus*) non inquiritur
« amplius quæ pars suffragiorum sit sanior, sed tantum atten-
« ditur major numerus; cum regulariter in dubio stetur pro
« pluralitate, nisi contrarium probetur; adeoque major pars
« capituli præsumatur etiam sanior. » (Leurenius, *Forum ecc-
les.*, l. III, tit. XI, quæst. 130.)

§ 3

QUALITER REQUIRATUR VOTUM MAJORIS AUT SANIORIS PARTIS

1. Posito quod numerus præsentium sufficiens sit, juxta dicta in § 1, ut valeat actus capitularis non requiritur ut omnes præsentes consentiant, sed sufficit *regulariter* votum majoris partis, intelligendo majorem partem ut dictum est in § 2. Jura enim requirunt consensum sub hac disjunctione, vel *omnium*, vel *majoris partis*. Et hoc sapientissimum. Nam cum in plerisque negotiis consentire omnes difficile et rarum sit, et sæpe in capitulis reperiantur heteroclita capita, non expedit valorem actus semper pendere ab unanimi omnium consensu. « In omnibus
« capitulis ordinarie reperitur aliquis spiritus contradictionis
« discrepans a voluntate ac judicio cæterorum. » (Ceccoperius, l. IV, tit. V, n. 26.)

2. « Unde jam etiam non valet statutum vel consuetudo etiam
« juramento firmata, vi cujus omnes de capitulo vel etiam duæ
« partes debeant consentire ad hoc ut actus capitularis valeat;
« quia hoc ipsum statutum vel consuetudo damnosa est Ecclesiæ,
« cum per hoc facultas statuendi quæ justa et utilia sunt impedia-
« tur, et quilibet de capitulo commoda Ecclesiæ impedire possit;
« adeoque etiam tale juramentum, utpote tendens contra utilita-
« tem Ecclesiæ, non obligat, et censetur potius perjurium (1). »
(Leurenius, *Forum eccles.*, l. III, tit. XI, quæst. 131. Vide etiam Ceccoperium, lib. IV, tit. V, n. 22.)

3. Requiritur præterea a jure ut major pars sit etiam *sanior;*

(1) Eædem videntur urgere rationes ut in synodo provinciali Episcopi non ineant inter se pactum de nullo ferendo decreto nisi ex consensu unanimi. Tale enim pactum multum obesse posset Ecclesiæ utilitati; et ideo sese obligare in conscientia nequeunt per tale pactum, etiamsi fuerit juramento firmatum.

Digitized by Google

sed « hoc ita intelligendum non est quod semper pars major « constare debeat viris dignitate, prudentia, zelo magis conspi- « cuis, sed requiri quod non appareat, aut legitime probetur « corruptam aut sinistro affectu occupatam procedere irrationa- « biliter, nihilque in damnum Ecclesiæ aut præjudicium mino- « ris partis moliri; hoc ipso enim quod major sit numero, cen- « setur etiam sanior, seu est sanior præsumptive : quod, et non « plus, requirunt jura. » (Leurenius, loco citato.)

Sanior autem pars quæ simul est minor numero, potest quidem decreta majoris partis irrita reddere, si *probet* eam irrationabiliter egisse; at ipsa minime potest quidquam decernere, quamdiu remanebit numero minor. Ita communiter canonistæ.

4. Diximus sufficere *regulariter* votum majoris partis. Dantur enim casus in quibus non sufficit. Nempe *primo*, dum capitulum gratiam alicui facit : *secundo*, dum negotium de quo agitur principaliter et directe, et non tantum in consequentiam, singulos *separatim* concernit : in his duobus casibus requiritur consensus *omnium* capitularium. *Tertio*, si major pars decerneret aliquid cedens in damnum Ecclesiæ, vel in præjudicium minoris partis (1); in quo casu pars minor contradicere et rescissionem actuum persequi potest. *Quarto*, si major pars statueret in præjudicium vel unici capitularis; tunc enim ille unicus jus habet contradicendi et sese opponendi. *Quinto*, in electione Papæ a cardinalibus, non sufficit suffragium majoris partis, sed necesse est consentire duas tertias partes præsentium cardinalium. Vide Leurenium, loco citato. Vide etiam cardinalem Petra (t. I, p. 62, n. 31, edit. Romæ, 1705), qui, postquam ita posuit regulam generalem : *Regulariter dico quod sufficiat major pars intervenientium*, plurimas huic regulæ exceptiones subjungit, præsertim circa faciendam a capitulo aliquam bonorum alienationem.

(1) Tamen in certis casibus major pars potest statuere in præjudicium minoris, ut dicitur in sequenti paragrapho.

Digitized by Google

§ 4

QUIBUSNAM IN CASIBUS MAJOR PARS DECERNERE POSSIT CUM PRÆJUDICIO MINORIS, ET SINGULORUM

1. Episcopus seu prælatus cum majore parte capituli, contradicente minore, potest ob necessitatem vel utilitatem ecclesiæ decernere, tum de bonis et juribus communibus capituli, tum etiam de bonis et juribus spectantibus ad capitularium singulos adeoque in præjudicium singulorum, modo hæc bona et jura ad ipsos pertineant quatenus canonicos seu, ut dicitur, *jure collegii.* Statuere potest, verbi gratia, ut quilibet canonicorum partem aliquam suorum redituum canonicalium pro reparatione ecclesiæ conferre teneatur. Imo si evidenter constet capitulum habere abundantes reditus et fabricam egere, potest solus Episcopus compellere capitulum ut ex iis subveniat fabricæ. (Vide Leurenium, loco citato, quæst. 132.)

2. In prædicto casu, nempe ob necessitatem vel utilitatem ecclesiæ, posse majorem partem capituli, etiam non interveniente Episcopo, decernere in præjudicium minoris partis, tenent Layman (*Th. Mor.*, l. I, tract. 4, c. 7, n. 10), et Leurenius (citato loco).

3. Major pars decernere nequit in præjudicium minoris de bonis quæ ad singulos spectant jure proprio, ut sunt bona patrimonialia cujusque canonici et quæ ex patrimonialibus fluunt. Et de his bonis ad singulos pertinentibus *jure proprio*, non jure collegii, intelligenda est regula juris, 26, in 6 : *quod omnes tangit debet ab omnibus approbari*, ubi summarium sic habet: *In iis quæ communia sunt pluribus ut singulis, requiritur consensus omnium.* (Vide Leurenium, loco citato.)

4. Ut major pars disponere possit circa reditus spectantes ad singulos *jure collegii*, requiritur, *primo*, causa pia; *secundo*, necessitas, vel utilitas tanta quæ necessitati æquiparari possit; *tertio*, ut agatur de necessitate vel utilitate illius Ecclesiæ cujus capitulares ad contribuendum coguntur. Si enim ageretur de opere pio quidem sed extraneo, et ad propriam capitularium ecclesiam non pertinente, minor pars, imo unicus capitularis impedire posset decretum majoris partis, suum singulare interesse prætendendo.

Digitized by Google

5. Quia ad utilitatem ecclesiæ cathedralis spectat erectio et conservatio seminarii clericorum, subventionem seminario a singulis canonicis ex bonis canonialibus faciendam decernere potest major pars contra minorem, juxta decretum Tridentini (sess. 23, c. 18 De ref.)

CAPUT II

QUO IN LOCO HABENDUM CAPITULUM

I. « Secundum jus commune, capitulum celebrari debet in « ecclesia et loco ad hoc determinato, nec *sine justa causa* trans- « ferri potest ad locum alium. » (Leurenius, *Forum eccl.*, tit. XI, libri III Decret., quæst. 128.)

« Sane quod spectat ad jus commune, absolutum est sine justa « causa capitulum ad alium locum transferri non posse, quia de « jure celebrari debet in ecclesia et loco ad hoc determinato. » Ita Fagnanus (in 2 partem libri V Decretalium, cap. *Cum ex injuncto*, de novi operis nuntiatione, n. 17), qui citat varios textus juris ex quibus id concludit.

Huic generali et generaliter admisso principio videtur non concordare cardinalis Petra, dum sic asserit: « Ego tamen di- « cerem, quod nulla existente causa, possent capitulares mutare « locum... Et quidem sine peccato, cum in jure non sit præfi- « nitus pro substantia locus, dummodo sit honestus... Si tamen « fieret mutatio a præsidente capituli tantum, tunc deberet at- « tendi causa legitima, sine qua nec ipse, nec minor pars capi- « tuli potest alterare solitum; quia etsi non sit præfinitus a jure « locus, id intelligi debet, quando in mutatione concurrant « extrema necessaria, vel causæ, vel consensus capitularium. » (*Commentaria* in I Constitutionem S. Leonis Magni, sect. 2, n. 21.)

II. Episcopus ipse non potest capitulum congregare et celebrare in suis ædibus, sed debet accedere ad ecclesiam locumque alias consuetum capituli. Ita Leurenius (in suo *Foro ecclesiastico*, l. III, tit. XI, quæst. 128.) Et Fagnanus (in cap. *Cum ex injuncto*, n. 18) testatur sic fuisse decisum a Sacra Congregatione concilii.

Si tamen invaluisset consuetudo capitulum celebrandi in aula Episcopi, servanda esset. Ita decisum a Sacra Congregatione

Digitized by Google

quoad canonicos cathedralis Turritanæ, 26 novembris 1650, testatur Petra (loco supra citato, n. 23). Imo denuo supplicantibus iisdem canonicis declarari an, etiam quando in capitulis agendum est de negotiis concernentibus interesse Archiepiscopi, teneantur capitula celebrare in eadem aula, ipso Archiepiscopo seu vicario præsente, vel potius sit eis permissum alibi celebrare pro libertate votorum ; die 14 junii 1651 Sacra Congregatio concilii respondit, *locum aulæ archiepiscopalis non esse immutandum; sed quando agendum de interesse privato ipsius Archiepiscopi, ipsum et ejus vicarium abstineri ab interessentia in capitulo.*

III. Urgente justa causa, certum est extra locum consuetum celebrari posse capitulum. Si, verbi gratia, Episcopus violenter prohiberetur ab ingressu suæ civitatis, adest justa causa translationis capituli extra illam. Cum enim ex Tridentino Episcopus jus habeat convocandi capitulum, et per idem Tridentinum prohibeatur jus illud exercere per vicarium suum generalem, consequens est ut possit capitulum congregari extra civitatem, quando ipse civitatem ingredi nequit. Hoc probat Leurenius, citato loco. Ita etiam Fagnanus (in cap. *Cum ex injuncto*, de novi operis nuntiatione, n. 16 et seq.), et est sententia communis post decisum casum pro Episcopo Leodiensi, per bullam *Ecclesias* Clementis VI.

IV. Item ex rationabili et publica causa possunt canonici capitulum transferre extra consuetum locum ; ita etiam ut minor pars, tali existente causa, locum consuetum adire non teneatur et juste appellare possit.

V. Electio Episcopi per capitulum in loco non consueto sed tamen honesto facta (1) etiam sine causa rationabili, non est ipso jure irrita, nec jure irritanda ; quod stat etiamsi fiat in loco interdicto, aut abdito et secretissimo. Excipienda tamen electio Papæ, quæ si fiat extra conclave, nulla est, juxta caput *Ubi periculum, De electione in* 6, et juxta bullam *Æterni Patris* Gregorii XV. (Vide Leurenium, loco citato.)

(1) Olim capitula eligebant Episcopos ; sed illam disciplinam mutavit Ecclesia. De quo vide tractatum meum *De Episcopo.*

Digitized by Google

CAPUT III

QUANDO ET PER QUEM CONVOCANDUM CAPITULUM

I. « *Quando?* — Capitulum, etsi non ad libitum illius cujus « est illud convocare, convocandum, sed consuetis temporibus et « diebus ad hoc destinatis; potest nihilominus convocari quoties « illi ad quem spectat videbitur expedire servitio ecclesiæ; aut « etiam quoties illud convocari institerint canonici. » (Leurenius, *Forum eccles.*, lib. III, tit. XI, quæst. 126, ubi citat Barbosam, qui testatur sic censuisse congregationem *Episcoporum et regul.*, in causa *Ripana*, die 6 oct. 1617.)

II. *Per quem?* — « Respondeo convocandum per *præsidem* « illius; quem Fagnanus (in c. *Ut abbates*, *De ætate et qual.*, « n. 27) dicit esse archidiaconum, et hinc ad eum spectare con« vocare capitulum. Sed quidquid sit de superioritate archidia« coni supra decanum, et jure convocandi capitulum, hoc jus de « consuetudine spectare ad decanum, ut addit Fagnanus (in c. « *Auditis*, De elect., n. 3), et habet communis, videmusque pas« sim sic fieri in ecclesiis cathedralibus Germaniæ. Deficiente « vero decano, convocare capitulum actusque capitulares diri« gere, de jure vel consuetudine spectat ad antiquiorem ex cano« nicis.

« Nequaquam autem vicarius Episcopi convocare potest capi« tulum, aut etiam ejus convocationem impedire ratione sui of« ficii, absente etiam Episcopo, juxta quod statuitur a Tridentino, « sess. 25, c. 6; nisi forte ubi urgente causa id posset Episcopus « (Pignatelli, consult. 154, n. 5); vel etiam deficiente decano, « ubi vicarius ille esset senior canonicus.

« Episcopus vero convocare potest capitulum suum, vota « exquirere, et juxta pluralitatem eorum concludere, dum quid « canonicis proponere habet spectans ad episcopalem dignita« tem, jurisdictionem, administrationem, regimen (non vero « spectans ad suum suorumque commodum...); nulla etiam « consuetudine obstante, tam juxta jus commune (1), quam

(1) Jus commune vocant plures jam sat antiqui canonistæ, illud quod erat commune ante Tridentinam synodum.

Digitized by Google

« juxta Tridentinum, sess 25, c. 6. » (Leurenius, *Forum eccles.*, l. III, tit. XI, quæst. 126.)

Ad illud autem quod dixerat, non posse Episcopum convocare capitulum ad tractandum aliquid concernens proprium Episcopi commodum, restrictionem istam apponit Leurenius : *Nisi illud privatum interesse spectaret ad illum tanquam Episcopum*, et ita decisum fuisse refert a Sacra Congregatione concilii in causa *Seguntina* 3 septembris 1587. Subjungit autem ex Barbosa, *quod quamvis dum de suo suorumque commodo agitur possit Episcopus capitulum convocare et rem proponere, debeat tamen relinquere canonicos solos, ut ipsi libere rem discutiant et determinent ; ipse Episcopus nullam in hoc casu vocem habeat ; uti etiam alias nullam habet in capitulo vocem, nisi forte esset simul canonicus et interveniret ut talis.*

Quidquid dicant Leurenius et alii, de jure archidiaconi vel decani convocandi capitulum, hoc tantum certum est, jus illud pertinere ad *præsidem* capituli seu ad *primam dignitatem.* Quænam autem sit illa prima dignitas, jam a multo tempore jus non determinat, sed pendet a consuetudine locorum, et ex decreto erectionis capituli. Magna enim in hoc viget varietas, ita ut in quibusdam capitulis prima dignitas sit archidiaconus, in aliis præpositus, in aliis decanus, in aliis primicerius, ut facile demonstrari potest ipsismet decretis erectionum quæ refert Pittonius in sua collectione *decisionum pro canonicis*. Ergo quocumque nomine vocetur *prima* post Episcopum *dignitas*, ipsa est præses capituli, et ad ipsam pertinet convocare capitulum. Item ex consuetudine vel statuto fieri potest ut impedita prima dignitate, jus convocationis ad secundam pertineat, non vero ad antiquiorem ex canonicis. Unde quoad hoc, decretis erectionum, et statutis capitularibus, præsertim consuetudine firmatis, standum est.

III. *Quid si convocare renuat is ad quem pertinet convocatio ?* — « Capitulum coadunandum est ab iis quorum interest, semper « et quando per capitulares instatur. (Gavantus, in *Manuali* « *episc.*, voce *Capitulum*, n. 6.) Amplia etiamsi talis instantia « fiat per unicum canonicum, aliquod negotium non leve ibi « proponere cupientem. Quod si efficere renuerint, vel neglexerint, « duæ partes capitularium hujusmodi actum facere valent, et tali « eventu capitulum dicitur seipsum convocare. Et canonicus anti-

Digitized by Google

« quior ex his qui congrediuntur, stat pro capite; omnis quippe « domus dirigitur a majori aut seniori. » (Ceccop., lib. IV, tit. n. 47.)

Quædam autem ex præmissis Ceccoperii dictis non satis forsan deliberate fuerunt prolata; et sequendus potius est cardinalis Petra, qui rem ita exponit et gravibus firmat auctoritatibus (Comm. in Const. I. S. Leonis Magni, sect. 2, n. 47, t. I) :

« Ut legitima sit convocatio, debet fieri a capite capituli, quod « secundum consuetudinem cujusque ecclesiæ verificatur, vel in « archidiacono, vel priore, aut canonico antiquiore, et uno verbo, « spectat ad caput corporis capitularis, non autem ad membra... « Ad eum qui præsidet spectat proponere negotia, et primum « ferre suffragium... Convocatio debet fieri ab eo ad quem per- « tinet præsidentia in capitulo de jure vel consuetudine, et con- « cessa facultate convocandi necessario infertur facultas præsi- « dendi, stante actus correspectivitate. (Rota in *Gerundinensi*, « 14 junii 1702, coram Priolo.)

« In hoc autem quod convocatio spectet ad caput capituli, vi- « detur advertendum quod non est refrænatum arbitrium capi- « tuli illud convocandi. Sed hoc procedit si conveniant omnes « de capitulo; nam major pars poterit solum cogere caput capi- « tuli ad convocationem faciendam mandato superioris legitimi : « vel procedit ut, renuente capite capituli illud congregare, « possit fieri convocatio a subsequenti in gradu, facta debita « requisitione ipsi capiti (decisio Rotæ modo citata). Tunc enim « existente in contumacia eo qui debet congregare, devolvitur jus « ad subsequentem. Hinc in Sacra Congregatione concilii (in « *Bononiensi*, 13 februarii 1683) ad quæsitum, *an ad dictum* « *Priorem spectet jus convocandi capitulum privative quoad* « *canonicos, et an capitula alias congregata essent nulla*, noluit « decidere dubium, sed censuit esse respondendum in casibus « particularibus, quia debent considerari circumstantiæ justæ « causæ convocationis, et contumaciæ ipsius capitis in non- « convocando. »

De jure Episcopi et vicarii generalis quoad convocationem capituli et jus in eo interveniendi fusius tractamus parte 3, cap. I, § 3. Vide etiam parte 4, c. 7, ubi de jure capituli sese congregandi absque licentia Episcopi.

Digitized by Google

CAPUT IV

QUOMODO FIERI DEBEAT CONVOCATIO UT SUFFICIENS SIT ET CANONICA

I. Quando capitulum est *extraordinarium*, id est, extra consueta tempora celebrandum, vocari debent omnes in loco præsentes, et non longe absentes; sed *regulariter* non necesse est vocari eos qui longe absunt. (Leurenius, *Forum eccles.*, lib. III, tit. XI, quæst. 127.) « Ista convocatio fieri debet respectu præ-« sentium per campanæ pulsationem, sive alio modo (Pignatelli, « cons. 43, n. I); ac debet publicari dies, hora et locus, et cer-« tiorari capitulares præsentes per diem ante. » (Scarfantonius, t. II, p. 109, — citans card. Petra et alios, cum decisionibus Rotæ.)

II. Ad capitulum tamen *extraordinarium* vocari debent etiam *longe absentes* in sequentibus casibus : *primo*, quando eligendus est prælatus; *secundo*, quando quis recipiendus est in canonicum, aut facienda est capitulariter collatio præbendarum vel beneficiorum; *tertio*, cum indicenda est cessatio a divinis; *quarto*, communiter addunt canonistæ, idem procedere in casibus similibus, id est, notabiliter arduis. At supponitur eos commode citari posse, licet longe absentes, et non esse periculum in mora, et non stare in contrarium loci consuetudinem, quæ semper est in hoc attendenda.

III. Quando capitulum est *ordinarium*, celebrandum scilicet consueto tempore, *regulariter* non est necessario facienda vocatio; quia sciens capitulum habendum tali tempore, et negligens aut nolens interesse, sibi imputare debet quod sine suo consensu tractetur et decidatur aliquid.

IV. Licet capitulum sit *ordinarium* seu consueto tempore celebrandum, si tamen in eo aliquid *arduum* tractandum esset, id singulis capitularibus prævie indicandum esset, et facienda citatio. Ita Leurenius, loco supra citato.

V. An qui convocationem facit vel petit, teneatur dicere rem ipsam pro qua petitur vel facienda est convocatio? — Respondendum est negative : « Non tenetur convocator notum facere « capitularibus quid in capitulo sit agendum; ut declaravit Sacra

Digitized by Google

« Congregatio concilii (12 martii 1655, in Lunensi-Sarzinensi), « quia capitularibus liberum est, audita materia proposita, di- « lationem petere ad consultius respondendum. Et circa hoc « est advertendum, quod attendendus est stylus et consuetudo « sive statutum, quo alterato, semper capitulares possunt ac- « tum irritare. » (Scarfantonius, t. II, pag. 109, n. 25, edit. Lucæ, 1723.)

Hanc Scarfantonii doctrinam confirmat quod legitur in Thesauro resolutionum S. Congregationis concilii, in tomo anni 1829, pag. 48 : « Id satis compertum ex hujus S. Con- « gregationis decreto (in Lunensi-Sarzinensi, 12 martii 1655), « quo declaratum fuit, eum ad quem spectat capituli convocatio, « non teneri ad rem in ipsa convocatione significandam, quia « nimirum capitularibus inducias ad deliberandum denegare « non licet; atque etiam ex S. Rotæ judicio, quæ (in Avenio- « nensi, 17 martii 1752, coram Bussio) statuit, canonicos ca- « pituli convocationem cupientes, minime obstrictos esse ne- « gotia in comitiis extraordinariis proponenda palam facere ei « qui jus habet indicendi capitulum, illique præsidendi. »

VI. Etiamsi *unicus* ex illis qui vocari *debuerunt* non vocatus fuerit, actus capitulares erunt nulli, si ille reclamet et se despectum fuisse, id est, non vocatum probet. Curandum ergo inprimis est in modo convocationis faciendæ, ut nullus omittatur ex iis qui possunt et debent vocari.

CAPUT V

QUINAM VOCEM HABEANT IN CAPITULO

1. « Vox competit tantummodo canonicis in sacris ordinibus « constitutis (concil. Trid. sess. 24, c. 4, *De ref.*). Non exi- « stentes in sacris nequeunt ab aliis canonicis admitti ad dandam « vocem in actis capitularibus... Et ita censuit Sacra Congre- « gatio ad dictum caput concilii Tridentini. Nec valet contraria « consuetudo. Nec Episcopus potest in hoc dispensare. » (Ceccoperius, lib. IV, tit. III.)

2. Quid de canonico, minoribus tantum ordinibus initiato et qui possessionem sumpsit sui canonicatus? — Cum ei

Digitized by Google

concedatur stallum in choro, et locus in capitulo, conceditur etiam vox in eodem capitulo, sed *habitu* tantum, non actu, donec sit sacris initiatus. Et propterea dicta possessione assecuta, statim dicitur de capitulo et verus canonicus. Eidem canonico, non in sacris, de consensu capituli permittitur ut assistat capitulis ad effectum addiscendi quæ sunt muneris canonicorum. Prædictus autem canonicus, licet actu careat voce activa, non tamen caret voce passiva. (Ita Ceccoperius, loco citato, n. 6.)

3. Canonici instituti ad præbendam diaconalem, et qui sunt tantummodo subdiaconi, carent voce activa donec diaconatus ordinem receperint. (Ceccoperius, loco citato, n. 13.)

4. Coadjutor canonici, initiatus ordine sacro quem postulat præbenda sui coadjuti, habet vocem activam et passivam in capitulo. Si tamen coadjutus intersit capitulo et velit ferre suffragium, coadjutor silere debet. (Ita Ceccoperius, loco citato, n. 15.) At non tantum silere debet, sed ex Monacello (tit. II, formula 4, adnot. 29) « nec potest capitulo interesse quando intervenit « coadjutus, » ut decisum a Sacra Congregatione concilii, in *Narniensi* 5 maii et 22 septembris 1636, refert Pignatelli (t. I, consult. 260).

5. Canonicus supranumerarius, cum plenitudine juris canonicalis receptus, debet convocari ad capitulum et ibi habet vocem quando tractatur de condendis statutis et decretis omnes obligantibus, et in aliis casibus, prout inseri solet in hujusmodi canonicorum diplomate. Et nequeunt alii canonici eorum potestatem limitare. (Ceccoperius, loco citato, n. 17.)

6. Caput collegiatæ, quando est prælatus exemptus jurisdictionem habens, habet vocem in capitulo. (Ceccoperius, ibid., n. 18.)

7. « Aliæ vero, tam cathedralium quam collegiatarum di- « gnitates, quantumvis in sacris existant ac locum in choro re- « tineant, nullam habent vocem in capitulo. (Rebuffus, « Cons. 24, n. 5.) Ratio est quia vox pendet a canonia. In duo- « bus tamen casibus memoratæ dignitates voce in capitulo « fruuntur : primo, si his sit annexa præbenda canonicalis; se- « cundo, ex præscripta consuetudine..., aut saltem possessione « decennali. Quibus casibus sunt convocandæ ad capitulum,

Digitized by Google

« modo quo dictum est de canonicis. » (Ceccoperius, ibid., n. 22.)

8. « Si Episcopus non sit ejusdem ecclesiæ canonicus, nulla ei « competit vox in actibus capitularibus. » (Idem, ibid., n. 35.) (1)

9. « Canonici suspensi sunt privati voce in actibus capitula- « ribus..... Idem sequitur de canonicis interdictis aut irregula- « ribus. »

10. « Canonici majoris excommunicationis vinculo irretiti, si « fuerint denuntiati, aut publici clericorum percussores, qui « nulla queant tergiversatione celari, sunt omni voce destituti, « et non convocantur ad capitulum. Quod si tales fuerint ad « dandum suffragium admissi, vitiantur actus capitulares. »

11. « Immo canonici quos constat in majorem excommunica- « tionem incidisse, quamvis non sint publicati, aut manifesti « clericorum percussores, capitulo destituuntur; nec tenet elec- « tio de his facta; et possunt a cæteris capitularibus repelli, ne « intrent in capitulum : verumtamen eos admittentes non pec- « cant, neque eapropter ab aliis acta irrita remanent : imo valet « ejus vox si faciat ut persona publica. »

12. « Canonici, minori excommunicatione palam innodati, « non arcentur a capitulo, nec a facultate porrigendi suffragia. « Siquidem minor excommunicatio excludit a participatione sa- « cramentorum, non a communione fidelium. Ipse tamen sic ex- « communicatus non potest eligi. » (Ceccoperius, loco citato.)

CAPUT VI

AN VICARIUS GENERALIS EPISCOPI, SIVE CANONICUS SIT SIVE NON, INTERESSE POSSIT CAPITULO, ET VOCEM HABEAT.

Vicarius generalis Episcopi, quando est simul canonicus, « in « casibus in quibus agendum est in capitulo de re spectante ad

(1) In recenti concordato Pii IX cum Hispania, ita dispositum fuit articulo 14 : « Quotiescumque capitulo præsint (Archiepiscopi et Episcopi), vocem et votum in « iis omnibus negotiis habebunt quæ eorum personam directe non afficiant; ac « præterea ubi capitulorum suffragia sint paria, Episcopi votum rem definiet. In « qualibet personarum electione seu nominatione ad capitulum spectante, prout « capitulares fuerint sexdecim, viginti aut supra, tria, quatuor vel quinque vota « habebit Episcopus. Quod si hic capitulo minime adsit, aliqui de suo gremio « deputati illum ad vota recipienda convenient. Episcopo non præsidente, præerit « decanus. »

Digitized by Google

« Episcopum sive suorum commodo, non debet interesse, ut « respondit Sacra Congregatio concilii (in Mediolanensi... janua- « rii 1587, lib. IV Decretorum, folio 104). Immo in Turritana « (24 januarii 1615) absolute fuit dictum, Episcopi vicarium de- « bere abstinere ab assistentia in capitulo (lib. XIV, fol. 104). Et « quod, si vicarius non sit de capitulo, non possit interesse, et « si est de capitulo, debeat egredi quando agitur de re pertinente « ad Episcopum, tenuit Sacra Congregatio Episcoporum et re- « gularium (in Brundusina, 17 januarii 1585). Et alia decreta « refert Pignatelli (consult. 354, t. IV). Et quod non possit in- « teresse, neque vocem habere etiamsi Episcopus sit absens, de- « claravit Sacra Congregatio concilii (in Hydruntina, 11 aprilis « 1699).

« Posset tamen intervenire ad sedandas factiones et tumulta « vitanda canonicorum ne oriantur scandala; et canonici tene- « rentur illum admittere, ut assistat, non tamen ut suffragium « habeat, ut docet Ventriglia. » (Monacelli, tit. II, formul. 4, adnot. 26.)

CAPUT VII

QUATENUS VOX IN CAPITULO PER PROCURATOREM DARI QUEAT

« Dignitates et canonici, voce in capitulo gaudentes, qui ob « distantiam, infirmitatem vel aliud impedimentum interesse « non valent, possunt, etsi in loco residentiæ existant, procura- « torem constituere ad eorum nomine votandum, non solum in « electionibus ad canonicatus, beneficia et officia, sed et pro re- « solvendis certis negotiis capitularibus pro quibus convocandi « sunt, quotiescumque fit capitulum extraordinarium.

« Debent vero eidem suo procuratori speciale mandatum præ- « bere ad jurandum in animam suam de absentia a civitate vel « loco, quod sint taliter et tali modo impediti. Alias procuratori « non creditur super dictis obstaculis canonicorum.

« Atque in omni casu tenentur subrogare aliquem qui sit de « eodem capitulo et sacris ordinibus decoratus.

« Procurator electus a canonico ad eligendum, cum sic penes « eum sint duæ voces, non poterit in electionibus quæ fiunt per « vota secreta, suam vocem dare uni, et aliam procuratorio no-

Digitized by Google

« mine alteri. Siquidem electio fit nomine ejus cui commissa est, « et non committentis, et quoniam tenetur eligere meliorem.

« Canonicus absens, vel residens, sed infirmus, potest per lit- « teras sigillatas præsidenti capituli mentem suam circa aliquam « electionem significare, vel mandatum alicui capitulari dare de « certa persona eligenda; qui sic poterit unum nomine princi- « palis, alium proprio eligere. Vel ad infirmum ad hoc accedat « qui in capitulo recipit voces.

« Unus canonicus potest a pluribus deputari ad ferendum suf- « fragium. Et potest constitui procurator per litteras privatas « authentico sigillo constituentium sigillatas.

« Si nullus de capitulo vellet esse procurator, non poterit depu- « tari extraneus ad dandam vocem, nisi major pars capituli con- « sentiat, prout etiam ad dandum votum consultivum. Ut autem « possit (*extraneus*) ferre votum decisivum, requiritur consensus « omnium vocalium. » (Hæc tradit et variis auctoritatibus hic omissis probat Ceccoperius, lib. IV, tit. III.)

Ita quidem ille auctor. At 1° sustinet Monacelli (*Formularium*, parte I, tit. I, form. 2, n. 7) non posse absentes constituere procuratorem, nisi ita vigeret consuetudo aut locale statutum. 2° Etiam posita hujusmodi consuetudine, non est intelligenda de absentibus extra provinciam seu extra territorium metropoleos, quod decisum (in Hydruntina, 11 aprilis 1699) a Sacra Congregatione concilii refert laudatus auctor. 3° Omnino rejicienda est opinio Ceccoperii et aliquorum qui putarunt absentes per schedulas scriptas posse suffragium mittere. Id plene probavit et decrevit Rota in decisione, quam relatam vide infra, parte V, ubi eadem quæstio de absentibus iterum tractatur quoad electionem vicarii capitularis.

CAPUT VIII

DE RATIONE DANDI VOTUM IN CAPITULO

Quando olim capitula cathedralium suum Episcopum, et collegiatæ suum prælatum eligebant, tenebantur, in modo suffragii fundendi seu faciendæ electionis, omnino sequi formam ab Innocentio III in concilio Lateranensi præscriptam, quæ talis erat:

Quia propter diversas electionum formas, quas quidam in-

Digitized by Google

venire conantur, et multa impedimenta proveniunt et magna pericula imminent ecclesiis viduatis, statuimus, ut cum electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus qui debent et volunt et possunt commode interesse, assumantur tres de collegio fide digni, qui secrete et sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, et in scriptis redacta mox publicent in communi : nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto : ut is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major et sanior pars capituli consentit. Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium ecclesiæ viduatæ provideant de pastore. Aliter electio facta non valeat : nisi forte communiter esset ab omnibus quasi per inspirationem absque vitio celebrata. (Lib. I decretalium, tit. VI, *De electione*, c. *Quia propter*, 42.)

Lex illa obligatoria quidem fuit in electione Episcopi a capitulo cathedrali, et prælati a capitulo collegiali; minime vero in electionibus aliarum dignitatum, canonicatuum et beneficiorum inferiorum, vel in resolutionibus capitularibus. (Scarfantonius, tom. II, p. 144, n. 24, editio Lucæ, 1723.)

2. Unde forma emittendi suffragii in capitulis (excepta materia de qua in capite citato *Quia propter*) non est a jure communi determinata; sed pendet a localibus statutis et consuetudinibus.

Quid vero usu frequentiori usurpetur, et quid de jure observandum sit prout tali vel tali modo proceditur, hic exponendum duximus.

3. « In resolvendis negotiis vel decernendis rebus pertinenti-« bus ad capitulum, aliquando voces porriguntur per secreta, « aliquando per aperta suffragia. » (Ceccoperius, l. IV, tit. V, n. 30.)

4. Dum vota proferuntur palam, hoc est, viva voce, ac aperte quisque dicit suum sensum, attenditur non solum ad majorem, sed etiam ad saniorem partem. Tunc scilicet omnia vota non censentur habere eamdem vim. « Quatuor reddunt potentiorem « vocem unius capitularis quam alterius : *Primo*, major auctori-« tas, ut si canonicus esset etiam Episcopus. *Secundo*, si senten-« tiam proferens esset prima collegiatæ dignitas et caput. *Tertio*, « ponderosior censetur vox canonici litterati, vel antiquioris « ob ejus experientiam. *Quarto*, quemadmodum, ut supra dixi-

Digitized by Google

« mus, in quolibet collegio reperitur aliquis imperitus contra-
« dictor, ita nullum collegium est adeo desperatum, in quo nemo
« ex decem sit sana mente ac scientia præditus. Hujusmodi cano-
« nici vox, ratione majoris peritiæ, quia est magis instructus in
« his quæ sunt de jure, reputatur sanior et magis æstimanda
« quam cæterorum qui non sunt tali doctrina præditi...

« Aperta vota vel minus peritorum canonicorum sunt libenter
« audienda... Quando vero a doctis eorum dicta reprobantur,
« debent acquiescere ; alias non excusantur ob simplicitatem co-
« lumbinam quæ in capitulis debet esse mixta cum serpentina ;
« veluti misericordia in principe, altera sorore Justitia destituta,
« est stultitia, ut inquit D. Chrysostomus. » (Ceccoperius, l. IV, tit. 5, n. 30 et seq.)

Quamvis autem habeatur ratio *sanioris partis* in votis quæ viva voce dantur, *major* pars nihilominus præsumitur semper *sanior*, nisi minor quæ saniorem se prætendit, *probet* coram superiore majorem partem fuisse pravo affectu aut aliter in transversum actam, et decisionem sibi favorabilem reportet, ut supra dictum est.

5. Quando vota porriguntur secreto, nulla habetur ratio sanioris partis, sed attenditur solummodo major suffragiorum numerus. Dum enim funduntur vota secreto, sciri non potest quis contulerit affirmativum vel negativum. Et quamvis nonnulli affirmarent se votum tulisse pro aut contra, nihil juvaret, quia testibus singularibus in suo dicto non creditur. (Ceccoperius, l. IV, tit. v, n. 78.)

6. « Canonicus videns non posse victoriam reportari per vota
« aperta de re justa proposita, tenetur petere partitum per secreta
« suffragia. Nec valet dicere se suum votum, tam loquendo quam
« secrete ballottando, vanum existimare, cum majorem partem
« capituli perspiciat paratam quovis modo velle superiorem dis-
« cedere ; quoniam confidere debet quod Dominus qui illuminat
« abscondita tenebrarum, eos perducet in viam veritatis, quæ
« omnia vincere solet. » (Ceccoperius, l. IV, tit. v, n. 60.)

7. Electio ad aliquam dignitatem, vel ad aliquem canonicatum, vel ad aliquod officium fieri potest tribus modis : *primo*, per quasi-inspirationem, quando scilicet nullo præcedente tractatu proclamatur aliquis : sed electio non potest hoc modo valide fieri

Digitized by Google

in iis capitulis, in quibus per statutum speciale requiruntur tacita suffragia, cum clausula irritante electionem aliter factam. *Secundo*, per compromissum, scilicet ubi committitur alicui clerico (qui ideo compromissarius dicitur) potestas eligendi personam quam idoneam reputaverit. *Tertio*, per scrutinium. (Vide Ceccoperium, lib. IV, tit. VI, n. 9 et seq.)

8. Electio per scrutinium multiplici modo fieri potest :

« *Primo*, per suffragia vivæ vocis, aperte notificando suum « sensum.

« *Secundo*, per schedulas ab electoribus scriptas, subscriptas « ac sigillatas, ita ut foris non appareant nomina eligentium ; « expresso tantum nomine ejus quem volunt eligere, et alterato « charactere, ne scriptores agnoscantur. Deinde schedulæ ponun- « tur in bussula, ex qua a tribus deputatis extrahuntur; et facta « diligenti inquisitione, publicatur electus a majori parte voca- « lium, et schedulæ comburuntur.

« *Tertio*, electiones, et maxime capitulares resolutiones, se- « creto efficiuntur per ballottationes, hoc pacto : in patenti loco « capituli exponuntur duæ urnæ sive bussulæ. In altera foris « apparet *sic*, et in altera *non*. Et cathedralis sive collegiatæ « prima dignitas (vel alius juxta consuetudinem et dispositionem « statutorum ecclesiarum) nominat N. ad canonicatum, benefi- « cium aut ministerium, vel proponit aliquod negotium pera- « gendum... Et statim per vota secreta a collegialibus respondé- « tur calculis seu pilis sive fabis, albis et nigris, sibi prius a « syndico capituli consignatis. Et sic qui proposita amplecti « voluerint, pilam albam immittunt in bussulam positam a « dextris (*cui nempe inscribitur* sic), et nigram in urnam posi- « tam a sinistris. Et e contrario, qui rem propositam noluerint, « nigram in eam a dextris, et albam in urnam sinistrorsum « collocatam deponunt. Quo facto, is ad quem spectat, primo « extrahat fabas in bussula dextrorsum locatas, hisque palam « enumeratis per se, sive per capituli secretarium, enuntiet albas « et nigras. Atque idem observet de calculis existentibus in « urna ad sinistram. Si in prima bussula pilæ albæ fuerint in « majori numero, habetur res proposita pro obtenta et admissa, « uti canonice conclusa a majori parte capituli, cui standum « est. Si vero pilæ nigræ in eadem fuerint majoris numeri,

Digitized by Google

« intelligatur rem propositam esse rejectam, de qua in illo « capitulo nil amplius loquendum. Quod si ab aliquibus cano- « nicis in eamdem urnam intromissæ fuerint eorum fabæ albæ « et nigræ, hoc idem esset ac si ab eis votum non fuisset por- « rectum, et valida remaneret electio, sive resolutio, dummodo « appareat de votis majoris partis.

« Quod modo dictum fuit habendam pro admissa rem, quando « apparet per fabas albas de majori numero vocalium, explica « id procedere de negotiis capitularibus et officiis. In electioni- « bus enim ad canonicatus et beneficia, post unum ut supra « propositum et ballottatum, in eodem capitulo proponitur alter, « et deinde alius; et qui pluribus suffragiis ultra majorem par- « tem dignatus fuerit, habetur pro electo. » (Ceccoperius, loco citato.)

9. Nisi statuta capituli, dum præscribunt secreta suffragia, illud statuant sub clausula irritante, valet quod canonici omnes viva voce concludunt. (Ceccoperius, ibid., n. 22.)

10. Quando capitulum procedit per viam secreti suffragii, si quis capitularis votum suum palam dare ausus fuerit, non solum arguendus est a capituli præsidente, sed pro illa vice in pœnam repellendus est a dando secreto suffragio. (Idem, ibid., n. 41.)

11. Nulla sunt, ac proinde non computanda vota *incerta*, *alternativa*, *conditionata* et *inutilia*. Incertum dicitur, si quis dicat : Consentio in eum cui Franciscus suum votum dederit. Alternativum, si quis dicat : Nomino Petrum aut Paulum ; item si dicat : Nomino Paulum et Petrum. Conditionatum, si quis dicat : Eligo Antonium, si præposito placuerit. Inutile, si quis eum nominet quem jura vel ecclesiæ statuta faciunt incapacem. (Idem, ibid., pag. 145.)

12. Simoniacus est qui alteri suffragium dat eo pacto quod vicissim in electione ad præbendam alter ipsi suffragabitur.

13. Stante paritate votorum pro utraque parte, aut inter duos electos, et perseverante post repetitum bis aut ter scrutinium, putant doctores posse adhiberi sortes : nam, licet a jure prohibeantur fieri electiones per sortes, non prohibetur dirimi per sortem dubium ex paritate votorum inter duos divisorum. (Vide Ceccoperium, lib. IV, tit. VI, n. 67 et seq.)

Digitized by Google

CAPUT IX

DE ORDINE, MODO ET CONGRUO TEMPORE QUO FIERI DEBET CAPITULARIS TRACTATIO

I. « In Congregationibus capitularibus, prius et ante omnia « pertractari oportet de iis quæ concernunt celebrationem divini « officii, ac de correctione delinquentium in Ecclesiæ servitio, « ac demum de privatis rebus ac temporalibus negotiis; cum « nihil justius ac rationabilius sit quam negotia majoris ponde- « ris, videlicet quæ ad divinum cultum pertinent, præferri ne- « gotiis minoris momenti, ut sunt temporalia. » (Scarfantonius, t. II, p. 3, n. 46, editio Lucæ, 1723.) Id decernebat synodus Bituricensis anno 1564, tit. XXXIII, can. 9 : *Convenientes ad capitula, primum tractent de celebratione divini officii, et quoscumque defectus delinquentium corrigant, tum de temporalibus negotiis statuant.* Item synodus Tolosana anni 1590, parte I, cap. 2, § 7 : *In comitiis sodalitiis et capitulo, de iis primum quæ ad divinum cultum spectabunt, tum de justa morum reformatione, delictorum debita animadversione, demum de privatis rebus temporalibusque negotiis agant.* Idem decernit synodus Avenionensis anni 1594, tit. XXXIII : *De iis quæ ad Ecclesiæ cultum..., demum de bonorum ecclesiasticorum administratione tractabunt.*

Hunc tamen ordinem servandi obligatio nulla generali Ecclesiæ lege imponi videtur, sed tantum niti convenientia quadam quam dictat recta ratio. Unde, secluso locali statuto dictum ordinem præscribente, non videtur ex proprie dicta obligatione servandus, sed tantum ut quid perfectius; et a fortiori absque ulla culpa inverti posset rationabili superveniente causa. Certum autem est ex tali ordine non pendere actuum capitularium valorem, nisi forsan ita expresse a statuto locali fuisset provisum.

II. Quoad modum, notant canonistæ vitandas esse clamosas contentiones; cum ex se et ratione scandali plus minusve peccaminosæ sint. Non tamen actus capitulares, aliunde regulariter gestos, irritant.

III. Quoad tempus, a Sacra Congregatione concilii decisum

Digitized by Google

est : *Congregationes hujusmodi capitulares habendas non esse eo tempore quo divina celebrantur officia, nisi causa aliqua urgens eas ad aliud tempus non pateretur differri : quod si hæ congregationes absque causa prædicta, tempore celebrationis divinorum habitæ fuerint, canonicum jure ab his ut choro intersit posse abesse, nec propterea esse mulctandum.* Item eadem Sacra Congregatio respondit : *Neque Episcopum, neque capitulum debere exigere rationum redditionem, tempore quo recitantur horæ canonicæ et divina celebrantur.* Quas decisiones refert Scarfantonius (t. II, pag. 3, editio Lucæ, 1723).

IV. Quoad ordinem sedendi in capitulo, « prima sedes com-
« petit præsidenti capituli, etsi adesset Episcopus ut canonicus;
« qui tamen ob culmen suæ dignitatis, sedet in capitulo post
« præsidentem, non attento ipsum in receptione canonicalis
« præbendæ esse aliis canonicis posteriorem. Si vero Episcopus
« interveniat capitulo, non ut canonicus, sed ut Episcopus, in
« casibus quibus habet jus coadunandi capitulum, sedet in
« prima sede capituli, quæ debet esse pulchrior et ornatior cæ-
« teris. — Canonicus et idem Episcopi vicarius generalis, in ca-
« pitulo et congregationibus capitularibus sedet in loco sibi de-
« bito ut canonico, nullo habito respectu ad officium vicariatus
« quod retinet. — Reluctantibus canonicis, nequeunt prædicti
« vicarii interesse capitulo dum in eo tractatur de re spectante
« ad Episcopum (Barbosa, *De canonicis,* c. 42, n. 12); quia, eo
« ipso quod suspectus redditur Episcopus, consequenter sunt sus-
« pecti ejus officiales. » (Ceccoperius, l. IV, tit. IV.)

V. De oratione præmittenda, et an ad juniores spectet vel potius ad digniores suam ante alios proferre sententiam, et cætera hujusmodi, solent statuta particularia et consuetudines locales determinare ; atque illis standum est.

CAPUT X

DE MODO CAPIENDI POSSESSIONEM

« Possessio canonicatus quomodocumque capta, etiam non
« capitulariter, est manutenibilis, quando capitulum pos-
« sessionem capi denegat vel impedit sine justa causa. » (Mona-

Digitized by Google

celli. part. III, tit. III, ad formul. 10, adnot. 4, p. 553, edit. Venet., 1772.) Vide etiam Barbosam (*De canon.* c., 15, n. 13). Unde recusante capitulo installationem facere more solito, posset provisus possessionem capere ducendo secum duos testes et notarium, qui instrumentum publicum de capta hoc modo possessione conficeret.

Modus autem quo solet fieri receptio per capitulum et installatio, satis patet ex formula in appendice ad finem tractatus sub n° X posita, per quam datur testimonium de apprehensa possessione. Cæterum modus ille a consuetudine et statutis cujusque capituli determinari solet; nullus enim ritus a jure communi præcriptus reperitur.

PARS SECUNDA

A QUO SIT CAPITULUM, SEU DE POTESTATE CANONICATUS ET DIGNITATES ERIGENDI ET CONFERENDI

In superiori Parte capitulum consideravimus quale ipsum reperimus in cathedralibus ecclesiis; naturam scilicet illius institutionis sive constitutiva attributa, necnon intimam illius socialis corporis ordinationem exposuimus. At de ipsius causa efficienti, de potestate scilicet ecclesiastica quæ valeat cathedrales et collegiatas ecclesias, cathedralia et collegialia capitula erigere; vel novas dignitates, canonicatus et beneficia iisdem capitulis jam existentibus addere; vel vacantes eosdem canonicatus et dignitates conferre, omnino siluimus. Id vero nunc investigandum atque determinandum aggredimur.

CAPUT I

AD QUEM PERTINEAT ERIGERE CATHEDRALEM ET CAPITULUM CATHEDRALE

§ 1

QUID SIT ECCLESIA CATHEDRALIS ET QUID COLLEGIATA

« Inprimis, ait Barbosa (*De canonicis*, c. 2, n. 2), quædam sunt ecclesiæ cathedrales, quædam ecclesiæ collegiales. Est au-

Digitized by Google

tem ecclesia collegialis, seu collegiata, in qua ex clericorum coadunatione et congregatione corpus conficitur, quod collegium appellatur. Cathedralis vero dicitur in qua, præter collegium, cathedra superioris sive prælati sedes existit (cap. *Statutum*, de rescriptis, in 6 — Cap. *Ne pro defectu*, De elect.). Omnis enim cathedralis ecclesia collegiata quoque est...; sed non e converso omnis collegiata est cathedralis. »

§ 2

AD SOLUM PAPAM PERTINET ECCLESIAM ERIGERE IN CATHEDRALEM VEL METROPOLITANAM

« Indubitati juris existit solum Papam ad augendum cultum divinum eligere et constituere posse ecclesiam in cathedralem (cap. *Præcipimus* 16, quæst. 1 — Rebuf. *Praxis beneficialis*, tit. De erectione in ecclesiam cathedralem, n. 1 et 5 — Azor, *Institutiones morales*, part. II, lib. 5, c. 29, quæst. 25, et lib. 6, c. 30, quæst. 2 et 4. Idem dicit, De erectione ecclesiæ cathedralis in metropolitanam, late Lotterus, *De re benef.*, l. I, quæst. 2 — Ego ipse, *De officio et potestate Episcopi*, part. III, alleg. 68, n. 8 — *De jure eccles. universo*, l. 1, c. 2, n. 139). » (Barbosa, *De canonicis* c. 2, n. 2.)

« Quod attinet ad cathedralem.., dubium non est ejus erectio-
« nem nonnisi solius Summi Pontificis auctoritate fieri posse. »
(Card. Petra, t. III, p. 68, n. 3, edit. Romæ, 1708.)

§ 3

AD SOLUM PAPAM PERTINET ERIGERE CAPITULUM CATHEDRALE

Dum Summus Pontifex ecclesiam aliquam erigit in cathedralem, simul et eadem bulla erigit in illa capitulum cathedrale. Et quoties capitulum cathedrale erigitur hoc modo, id est, ipsamet erectione cathedralis, clarum est illud non posse nisi a Papa erigi.

Sed quæri posset de casu exceptionali in quo Summus Pontifex erigeret cathedralem aliquam sine capitulo, an postea posset capitulum alia quam Sanctæ Sedis auctoritate, verbi gratia, ab Episcopo constitui? Sed neque tunc hac potestate polleret Epi-

Digitized by Google

scopus. Cum enim ne collegiale quidem capitulum valeat erigere, ut infra statuitur, a fortiori nequit erigere cathedrale. Hinc tenent quidam canonistæ posse Episcopum, semel erecto a Papa capitulo, novos canonicatus erigere; at erectionem ipsam capituli ab Episcopo fieri posse negant omnes.

CAPUT II

COLLEGIATA ET COLLEGIALE CAPITULUM ERIGI NEQUIT NISI A SUMMO PONTIFICE

Sic Scarfantonius, tom. I, pag. 26, editio Lucensis, 1723 : « Advertendum est quod Episcopus non valet sua auctoritate ordinaria ecclesiam simplicem ad statum collegialitatis elevare; cum hoc sit solummodo reservatum supremæ auctoritati Sedis Apostolicæ, prout docet opinio et praxis curiæ Romanæ, de qua (post Rebuffum, *De beneficiis*) testantur Lotterus (l. 1, quæst. 14, n. 49), de Luca (*De beneficiis*, discursu 14, n. 12; et in *Relat. Romanæ curiæ*, discursu 2, n. 43), Rota (decis. 99, n. 9, part. VII, recent.); contra id quod senserunt veteres canonistæ, similem facultatem Episcopali dignitati etiam attribuentes. Ac proinde neque potest ecclesiam collegiatam ad parochialem simplicem reducere, ac illius statum immutare, neque expresse, neque implicite illam conferendo uti parochialem; quia semper remanet saltem habitu collegiata, neque extincta intelligitur, nisi appareat de illius suppressione totali, Papæ auctoritate facta, sublata omni spe reviviscentiæ (Rota, decis. 376, n. 11 et 12; et decis. 22, n. 23, parte VI, recent.....). Potest tamen idem Episcopus, sive etiam illius vicarius generalis, si ecclesia collegiata, etiam per plura sæcula destituta fuerit canonicorum collegio, per sententiam declarare dictam qualitatem collegialitatis, eamque in pristinum statum restituere, canonicatus erigendo, ac alia statuendo ad hoc ut ad actum reducatur habitualitas, ut luculenter probavit Pittonius (Disceptationum ecclesiasticarum I, per totum, et signanter sub n. 23 et sequentibus). »

Apud Barbosam autem sic habetur : « Nullum etiam inferiorem a Papa posse erigere ecclesiam, etiam parochialem, in collegiatam, merito concludunt Rebuffus (*Praxis benefic.*,

Digitized by Google

tit. De erect. in collegiatam), Azor (*Institutiones morales*, part II, l, 5, c. 29, q. 25, etc. 30, q. 8). Et censuit Sacra Congregatio concilii (in causa Conversana 27 junii 1626). Quamvis nonnulli non contemnendæ auctoritatis viri existimaverint Episcopum posse erigere parochialem ecclesiam in collegiatam... Licet Nicolaus Garcia (*De benef.*, part. XII, c. 5, n. 4), asserat aliquando ecclesiam erigi in collegiatam per Episcopum, sed solere fieri auctoritate apostolica. » (Barbosa, *De canonicis*, cap. 2, n. 8.)

Fatendum est quidem ex textibus ipsis juris canonici rigorose probari non posse collegiatæ erectionem ad solum Romanum Pontificem pertinere, *cum vere non adsint textus rem perspicue decidentes*, ut adnotat cardinalis Petra (t. III, pag. 69, n. 7, edit. Romana, 1708). Nec ideo mirum est veteres canonistas in duplicem abiisse sententiam. Sed quod ex ipsis textibus remanserat dubium, certum jam fecit opinio et praxis Romanæ curiæ. Certa enim est et constans observantia, quod ejusmodi collegiatarum erectiones semper fiant a Papa, ut testatur cardinalis de Luca (*De beneficiis*, disc. 14, n. 12); et in hunc sensum pluries respondisse Sacram Congregationem concilii monet cardinalis Petra (loco citato, n 11); qui etiam hanc refert decisionem (1 septembris 1691, in Catanensi). « Proposito dubio : *an erectio* « *collegiatæ facta per Episcopum in actu visitationis in ecclesia* « *S. Antonii oppidi S. Philippi de Argyro sustineretur?* Respon- « dit *negative*. Et de quodam motu proprio Clementis VII pro- « hibentis de cætero Episcopis erigere parochiales in collegiatas, « testatur Rebuffus (titulo De erectione in colleg.). » Hinc licet olim res fuerit aliquatenus controversa, tanquam certum hodie tenendum est, erectiones collegiatarum ad solum Romanum Pontificem pertinere.

Cum autem ecclesia nequeat dici et esse collegiata nisi ob capitulum collegiale in ipsa institutum, sequitur neque capitulum collegiale erigi posse absque Summi Pontificis auctoritate.

« Porro hujusmodi erectiones collegiatarum, quæ, ut dixi, requirunt auctoritatem Papæ, expediri solent per Datariam cum solutione notabilis componendæ. Et dum primo pro hac re exhibentur preces Pontifici, hic solet consulere Sacram Congregationem concilii, quæ prævio voto alicujus ex eminentissimis

Digitized by Google

Patribus ejusdem Congregationis, et expensis qualitatibus in erectione concurrentibus, annuit vel abnuit. Regulariter tamen in talibus considerari solet qualitas et amplitudo loci in quo facienda est erectio, docilitas et numerositas populi et cleri, structura et capacitas ecclesiæ erectæ aut erigendæ, sacrarum supellectilium pretiositas et diversitas, dos congrua pro præbendis canonicorum et distributionibus; ulterius, quod conditiones in fundatione apponendæ non sint a jure exorbitantes... Potiora tamen quæ movent sunt congrua dos et populi frequentia seu qualitas loci. » (Cardinalis Petra, commentarium in const. 7 Innocentii IV, sect. 2, n. 37, in tom. III.)

CAPUT III

AN EPISCOPUS, SEMEL ERECTO CAPITULO, NOVOS CANONICATUS ET NOVAS DIGNITATES CREARE POSSIT?

Propositio 1ª. *Absque consensu capituli non potest Episcopus novos canonicatus neque novas dignitates creare.*—« Quanquam « Corradus (*Praxis benef.*, l. 11, c. 3, n. 61 et seq., et l. IV, c. 7, « n. 24) videatur sentire quod Episcopus propria auctoritate « erigere possit, tam in cathedrali quam in collegiata ecclesia « canonicatus; nihilominus hæc doctrina in praxi tenenda non « est neque sequenda. Quia si sine consensu capituli Episcopus « canonicatum seu dignitatem (quam cum eodem consensu « creare potest) erigeret, nulliter ageret, ut per doctrinam Felini « (in c. *Cum accessissent*, n. 15, De constit.), necnon Fagnani « (in c. *Dilecto*, n. 18, De præbendis), decisum reperies a Sacra « Congregatione concilii (in Clodiensi, 5 julii 1608; Aquina- « tensi, 20 februarii 1677; Mazariensi, 20 septembris 1692; et in « Sabinensi, 14 aprilis 1696).

« Verum tamen est, quod si capitulum irrationabiliter erec- « tioni se opponeret, et consensum præstare nollet, illum supplet « Sacra Congregatio concilii, ut practicatum vidi in dicta Sabi- « nensi, 2 julii 1696. Et iterum suppleri petebatur in alia « Amerina, 25 junii 1695; in qua Episcopus cupiens in execu- « tionem legati testatoris duos canonicatus erigere de novo, « capitulum assensum præbere renuit ob deficientiam redituum,

Digitized by Google

« et ideo fuit rescriptum *firmetur status hæreditatis*, ut « dignosci posset an capitulum rationabiliter se opponeret, « necne. » (Monacelli, pars 1, tit. II, form. 4, adnot. 14.)

In Thesauro resolutionum Sacræ Congregationis concilii (tomo XXXV, pag. 12), sic eadem quæstio expenditur : « De « erigendis autem novis dignitatibus vel canonicatibus, certum « est consensum capituli requiri (Felinus, in cap. *Cum accessisset*, « n. 15, De constit.— In cap. *Dilecto*, n. 18, De præbend.). Alias « sine hoc consensu irrita erectio esset (cap. *Sicut*, n. 28, De « elect.); Sacra Congregatio (in Clodiensi, 5 julii 1608, — et « in una Aquinatensi, 20 februarii 1677); in qua disceptatis « dubiis : 1° *An possit Episcopus erigere præposituram secun-* « *dam dignitatem in dicta collegiata ;* 2° *An in eadem in qua* « *non est præfinitus canonicorum numerus possit erigere cano-* « *nicatum*, rescripsit ad utrumque : *Affirmative de consensu* « *capituli* (decretorum libro XXIX, folio 371). In una Sabinensi, « proposito : *An erectio archidiaconatus facta sine consensu* « *capituli sustineatur*, rescripsit die 14 aprilis 1696 : *Negative*, « *et erectionem sine consensu capituli non sustineri* (libro XLVI « decretorum, pag. 162). Pariter in Maceratensi, 30 augusti 1704 « (l. LIV decret., p. 348), et in Firmina, 13 septembris 1734.

« Unice inquiri tunc potest num injuste vel juste dissentiat « capitulum. Nam si juste contradicit, non obligatur ut invitum « socium accipiat. » Id ibidem confirmatur pluribus Sacræ Congregationis declarationibus. Postea sic pergit secretarius (1) Congregationis : « At tantummodo si injuste dissentiat, etiam « reluctante capitulo erectio demandari posset, ut in Cæsena- « tensi, in qua capitulum renuebat novam dignitatem..., die « 6 maii 1723 rescripsit Sacra Congregatio : *Esse locum erec-* « *tioni*. Et in Firmina, in qua postquam die 12 septembris 1734 « rescripserat *erectionem capitulo reluctante factam non sus-* « *tineri*, proposito deinde die 5 martii 1735, *an esset locus* « *sanationi*, rescriptum est, *affirmative*. »

« Quando autem consensus datur, sed cum conditionibus,

(1) In Congregatione concilii, expositio et discussio quædam causæ fit per secretarium, qui solet esse Episcopus; qua expositione audita eminentissimi Patres de causa pronuntiant. Hujusmodi expositiones causarum, cum adjunctis decisionibus, a tempore Benedicti XIV editæ sunt in *Thesauro*. Anteriores remanserunt manuscriptæ.

Digitized by Google

« idem jus est; de iis inquiritur num justæ fuerint. » Id probat secretarius relatis pluribus declarationibus e sacra Congregatione emanatis. Ex quibus sic concludendum est : si conditiones a capitulo appositæ fuerunt justæ, et non servatæ, nulla est erectio ab Episcopo facta : si injustæ, obtinere poterit Episcopus a sacra Congregatione ut, nonobstante oppositione capituli, detur locus erectioni.

Propositio 2ª. *Assentiente capitulo potest Episcopus novos canonicatus erigere.* — Id probant auctoritates in præcedente propositione allegatæ. Dum enim probant requiri consensum capituli, simul testantur accedente hoc consensu nihil obstare quominus ab Episcopo ad hujusmodi erectiones procedatur. Idem insuper sic tradit Barbosa (*De canonicis*, cap. 2) : « Videtur con-« cludendum ad illum spectare canonicatus in ecclesiis cathe-« dralibus et collegiatis instituere in actu erectionis, cui de jure « spectat illam facere, hoc est Papæ...; quia unum sine alio stare « non potest, cum saltem numerus trium canonicorum ad colle-« giatam constituendam requiratur. Post erectam vero et dic-« tum numerum creatum, Episcopi erit, si velit, alios canonicos « antiquis adjungere, vel ultra exstantes cum congrua portione « alios de novo creare; nam cum canonicatus sint beneficia, et « illorum appellatione in materia non odiosa comprehendantur, « et quævis beneficia auctoritate episcopali creari possint, bene « sequitur ipsum sua episcopali auctoritate canonicatus creare « posse; sed de dignitatibus est magis inter doctores contro-« versum. »

Propositio 3ª. — *Episcopus, consentiente capitulo, potest erigere dignitates usitatas, non vero inusitatas.* — Institui non posse novas dignitates in ecclesia cathedrali absque apostolica auctoritate olim tradebant multi. (Vide Barbosam, *De canonicis*, c. 4, n. 1.)

Alii vero existimabant absolute posse Episcopum hujusmodi cathedralium dignitates creare. (Barbosa, ibid., n. 2.)

« Ego tamen (ait Barbosa, ibid., n. 3) sub distinctione totam hanc rem componendam esse existimo; vel enim dignitas quæ erigenda venit est omnino nova, quippe quod alia non reperitur in ecclesia, et tunc non potest creari sine licentia Papæ... vel fuit jam instituta communiter pro universa Ecclesia, quales sunt

Digitized by Google

archidiaconatus, archipresbyteratus et similes, et tunc non solum Episcopum, sed etiam capitulum de illius consensu hujusmodi dignitatem in aliqua ecclesia creare posse observat Imola...»

Præmissa Barbosæ sententia, quæ olim potuisset ut mera opinio haberi, jam evasit certa ob varias Sacræ Congregationis concilii declarationes, ut satis patebit ex sequenti citatione *Thesauri resolutionum* (tom. XXXV, pag. 11) : « Certum est potuisse « auctoritate Episcopi erigi hanc dignitatem, quæ ex eis est quæ « in cathedrali erigi consueverunt, ac sacris canonibus cognitæ « sunt; dum profecto aliæ novæ et inusitatæ non potuissent, ut « distinguitur communiter. » (Hic secretarius Congregationis citat octo canonistas ita docentes, inter quos Fagnanum in c. *Perniciosum*, n. 70, De officio ordinar., et in c. *Dilecto*, n. 16, De præbend.; et Monacellum, *Formularium*, parte 4, in supplem. ad 12, n. 314. Postea adducit auctoritatem ipsiusmet Congregationis, his verbis :) « Ac etiam distinguendo (1) pluries « edixit Sacra Congregratio; et speciatim in Sabinensi 26 no- « vembris 1695 (l. XLV decretorum, p. 603), et in Spoletina, « 24 mart. 1736. »

PROPOSITIO 4ª. — *Neque Episcopus neque capitulum possunt, etiam ex mutuo consensu, instituere canonicatus supranumerarios cum exspectativa præbendæ.* — Hujusmodi enim exspectativas sustulit et prohibuit concilium Tridentinum, sessione 24, capite 19 : *Decernit sancta synodus mandata de providendo, et gratias quæ exspectativæ dicuntur nemini amplius concedi.* Ex quo decreto jam non licere nec valere concessionem canonicatuum cum exspectativa concludunt unanimiter doctores. Unum satis erit adduxisse :

« Non poterit tamen Episcopus, nec alius inferior a Papa, « etiam post erectionem (2) creare canonicatum supernumera- « rium ad futuram præbendam, ut censuit Congregatio concilii « his verbis : *Ex hoc decreto expectativarum abrogatarum col-* « *ligitur non posse erigi canonicatum supernumerarium ad fu-* « *turam præbendam...* Et Gonzales (ad reg. 8 Cancell. § 1, « procem., n. 64) subdit procedere in capitulis, ut neque capi-

(1) Nempe inter dignitates usitatas quas erigere possunt Episcopi, et insolitas quas non possunt, et pro quibus erigendis necessaria esset Sanctæ Sedis auctoritas.

(2) Nempe capituli.

Digitized by Google

« tula ecclesiarum possint canonicos supernumerarios creare « super futuram præbendam, et testatur sic censuisse eamdem « Congregationem. » (Barbosa, *De canonicis*, cap. 2.)

CAPUT IV

AD QUEM PERTINEAT COLLATIO CANONICATUUM ET PRÆBENDARUM CATHEDRALIS

Occurrit hoc loco gravissima quæstio, olim inter canonistas valde discussa, hodie unanimiter resoluta, an scilicet certum sit collationem canonicatuum et præbendarum cathedralis pertinere *simultanee* ad Episcopum et capitulum.

§ 1

JUS COLLATIONIS SIMULTANEÆ OLIM ALIQUATENUS CONTROVERSUM FUIT

Controversiam illam fuse refert Fagnanus dum disserit in caput *Cum ecclesia Vulterrana*, De electione, auctorum qui ipsum præcesserant varias opiniones recensens, et cujusque præcipuas rationes expendens. Quæ a Fagnano exposita sic breviter contraxit cardinalis de Luca :

« Expresse in jure statutum non est ad quem pertineat collatio « canonicatuum ac præbendarum ecclesiæ cathedralis, dum Fa- « gnanus diligenter ac elaborate disputata quæstione (in caput « *Cum ecclesia Vulterrana*, De elect., n. 2) quatuor refert opi- « niones : quarum prima est, ut spectet ad solum Episco- « pum; altera, ut sit Episcopi de capituli consensu; tertia, ut sit « Episcopi, sed requiratur capituli consilium; et quarta, ut sit « simultanea inter Episcopum et capitulum. Ista vero hæc poste- « rior opinio est magis communi doctorum calculo, ac in Rota et « Curia recepta *pro regula;* ut late probat Fagnanus (ibid., n. 11 « et sequentibus)... Cessantibus limitationibus, ista opinio non « recipit amplius controversiam. » (Cardinalis de Luca, *De beneficiis*, discursus I, n. 25.) Unde factum istud a nullo negari potest, extitisse aliquam de hac materia apud doctores controversiam.

Digitized by Google

§ 2

SENTENTIA TAMEN ADMITTENS COLLATIONEM SIMULTANEE ESSE FACIENDAM, MULTO COMMUNIOR SEMPER FUIT, ET MELIORI ETIAM OLIM FUNDAMENTO NITEBATUR

1. Quod pauci admodum fuerint auctores tribuentes Episcopo præbendarum collationem excluso interventu capituli, constat ex recensione a Fagnano facta, de qua modo diximus; in qua videmus duos tantum celebrioris nominis, nempe Joannem Andream et Hostiensem, pro illa opinione stetisse. Dum econtra jam suo tempore abbas Panormitanus contrariam sententiam esse *communem* testabatur (in cap. *Cum ecclesia Vulterrana*, De electione, n. 8).

2. Ita etiam solido jam tum nitebatur fundamento doctrina de jure simultaneæ collationis, ut etiamsi novæ auctoritates non accessissent, adhuc sola sequenda esset. Verum est illam in textibus juris omnino expressis terminis non reperiri, ut notat cardinalis de Luca. Adsunt tamen textus eam satis clare innuentes : unum aut alterum subjiciamus :

Ita Innocentius III Archiepiscopo Florentino, anno 1206 (c. *Cum ecclesia Vulterr.* De electione) : *Cum ecclesia Vulterrana debito canonicorum obsequio longo fuisset tempore destituta, Vulterranus Episcopus canonicos quosdam elegit et instituit in eadem, quos canonici recipere noluerunt, asserentes quod talis electio fuerat in eorum præjudicium attentata. Mandamus quatenus super primo articulo petitionis Episcopi* (*in qua postulavit a te, ut canonicos ab injuria quam ei super electione canonicorum Vulterranensis ecclesiæ inferunt prohiberes*), *dictos canonicos absolvere non postponas : quia non videtur injuriam facere qui utitur jure suo, cum per testes longe melius sit probatum quod canonici supradicti hoc jure usi fuerint antequam Episcopus memoratus In secundo quoque articulo* (*quo idem petebat Episcopus ut dicti canonici Episcopum ipsum jure electionis uti libere paterentur*) *absolvere studeas canonicos sæpe dictos; maxime si sit notorium quod in Thuscia generalis consuetudo servetur ut in cathedralibus ecclesiis solum capitulum irrequisito Episcopo eligendi canonicos habeat facultatem.*

Digitized by Google

Episcopus Vulterranus duo petebat a metropolitano suo : 1° Ut declararet capituli agendi rationem fuisse erga Episcopum injuriosam; 2° ut decerneret a canonicis liberum relinqui debere Episcopo jus electionis. Metropolitanus autem pro gravitate causæ existimavit recurrendum ad Sanctam Sedem. Et in sua decretali de hac re, Innocentius III, ut patet, collationes ab Episcopo solo factas nullas declarat. Potest absolute objici capitulum Vulterranum hoc jus quidem habuisse ex consuetudine, sed non ex jure communi. Et fatendum illud effugium a textu ipso decretalis non omnino præcludi. At certe sensum oppositum multo magis innuit. Et ita vetus glossa intellexit; commentans enim illam decretalem, sic habet : « Dico quod *de jure communi* simul « ad Episcopum et capitulum pertinet collatio beneficiorum. Sed « consuetudo in pluribus ecclesiis derogat huic juri, ut hic in « fine hujus decreti. » Glossa autem illa, utpote *generaliter recepta* (quemadmodum testatur Rota in textibus mox afferendis), magnæ auctoritatis est.

In probationem etiam adduci potest caput *Postulastis*, de concessione præbendæ, in quo sic decrevit Innocentius III, anno 1210 : *Postulastis per Sedem Apostolicam edoceri, ut cum ad vos et Archiepiscopum vestrum simul donatio præbendarum ecclesiæ vestræ pertineat, utrum præbendæ vacantis donatio penes Archiepiscopum ipsum remanet, si eam intra semestre tempus neglexeritis ordinare? Ad quod breviter respondeo quod, si vos et idem Archiepiscopus intra tempus præscriptum circa hoc negligentes extiteritis, sicut nec ab illo ad vos, ita nec a vobis ad illum potestas devolvitur conferendi; sed secundum statuta Lateranensis concilii, ad superiorem transit donatio : nisi forte Archiepiscopus, non ut prælatus, sed ut canonicus, vobiscum jus habeat conferendi. Et in hoc casu, cum dolose impedierit, dolus ei suffragari non debet.*

Existimat Fagnanus per ista verba, *cum ad vos et archiepiscopum vestrum simul donatio præbendarum ecclesiæ vestræ pertineat*, aperte exprimi et declarari, jus collationis simultaneæ esse jus commune. Sustinet particulam *cum* ibi eumdem sensum habere ac *quia;* et affirmationem illam Summi Pontificis non referendam esse ad casum particularem capituli de quo agitur, sed ad dispositionem generalem juris; quasi dixisset : *quia*

Digitized by Google

ex dispositione juris communis ad vos et Archiepiscopum vestrum, etc. Fatendum autem est sensum illum ex toto contextu naturaliter fluere, licet rigorose demonstrari non videatur.

Jus simultaneæ insuper legitime deducebatur ex illo principio generaliter admisso, collationem beneficiorum pertinere ad eos de quorum bonis fundata seu dotata fuerant; id est ad Episcopum si ex mensa Episcopi; ad capitulum si ex mensa capituli; ad utrumque si ex bonis Episcopi et capituli communibus præbendæ fuissent constitutæ. Aliunde autem quoties nec instrumentis, nec præscripta possessione demonstrari potest ex quibus bonis dotatæ fuerint præbendæ cathedralis, præsumi debent ex bonis Episcopi et capituli communibus initio fundatæ. Hinc merito concluditur collationem dictarum præbendarum *regulariter* esse debere simultaneam; et exceptionem non dari huic generali regulæ, nisi in casu particulari, quo vel Episcopus vel capitulum ex longa possessione sibi vindicare potest exclusivum jus conferendi.

Ex illa ratione et ex allatis textibus tum decretalium, tum glossæ, satis patet doctrinam, jus collationis simultaneæ asserentem, non tantum multo communiorem fuisse ante tempus quo scripsit Fagnanus, sed etiam valde gravibus momentis nixam fuisse. Non tamen, ut diximus, extra omnem omnino controversiam erat. Et notatu dignum est quod refert Fagnanus de quadam declaratione S. Congregationis concilii : in ecclesia scilicet Placentina ex statuto fundationis et observantia immemorabili electiones et provisiones dignitatum, canonicatuum et portionum ad capitulum simul cum Episcopo pertinebant. Quando ibi ex decreto Tridentino (sess. 24, c. 8) erectæ fuerunt Theologalis et Pœnitentiaria præbendæ, pro quibus *electio* personæ ad Episcopum solum certo pertinet, quæsitum fuit a Sacra Congregatione concilii an etiam *collatio* illarum præbendarum ad Episcopum pertineret. Et fuit rescriptum, *collationem præbendæ fieri debere ab eo ad quem antea spectabat, electionem vero et deputationem personæ ad solum Episcopum pertinere.* (Fagnanus in c. *Cum ecclesia Vulterrana,* De elect., n. 15.) Ubi videtur Congregationem noluisse præcise dicere collationem esse simultaneam, sed pertinere ad *eos ad quos antea :* ideo forte quia tunc temporis adhuc res erat inter doctores aliquatenus con-

Digitized by Google

troversa. At jampridem extra controversiam abiit, quod nunc ostendendum est.

§ 3

OMNINO NUNC CERTUM EST CANONICATUUM ET PRÆBENDARUM CATHEDRALIS COLLATIONEM AD EPISCOPUM SIMUL ET CAPITULUM REGULARITER PERTINERE

Jus aliquando controversum omnino certum evadit, quando doctores in sententiam unanimem convenientes jus illud absque hæsitatione asserunt, et simul Sanctæ Sedis tribunalia jus idem tanquam firmam et inconcussam regulam constanti praxi et stylo admisere. Atqui ita jampridem evenit quoad prædictum jus collationis simultaneæ.

I. Unanimitatem recentiorum doctorum sic expressis terminis testatur cardinalis de Luca : *Ista opinio non recipit amplius controversiam* (De beneficiis discursus, n. 25). Idem testatur Rota : *Licet per dispositionem juris communis, inter doctores non amplius controversam, tale jus conferendi simultaneum statuatur inter Episcopum et capitulum* (parte XVI, decis. 244, recent. 4 junii 1670.) Idem sic exprimitur apud Scarfantonium : « Sane « extra dubitationem plana est regula quod collatio canonicatuum « et dignitatum in ecclesia cathedrali pertinet ad simultaneam « Episcopi et capituli collationem (cap. *Postulastis*, De con- « cess. præb. — Et communiter glossa et canonistæ in cap. *Cum* « *ecclesia Vulterrana*, De elect. — Fagnanus, n. 11 et seq. in « dictum caput *Cum ecclesia Vulterrana;* et n. 2, 3, 4, in « dictum caput *Postulastis* — Gonzales, ad regulam 8 cancella- « riæ, glossa 45, n. 50 — Cardinalis de Luca, *De beneficiis*, dis- « cursu 1, n. 26, et disc. 28, n. 19, et disc. 30, n. 15 — cum « cæteris adductis per Rotam in Fanensi, 5 maii 1700, § *quam-* « *vis*, coram card. Caprara) ; cum propter illam unionem quæ « intercedit inter Episcopum tanquam caput et canonicos suæ « cathedralis tanquam membra, omnino rationi consentaneum « sit, ut nonnisi de communi assensu eorumdem membrorum « electio fiat, ne personæ Episcopo aut capitulo invisæ in cano- « nicos assumantur, ut observant Gonzales (ad reg. 8 Cancel., « Gloss. 45, n. 46), Lotterus (*De beneficiis*, l. 11, c. 21, n. 135). » Hæc citatio desumitur e voto consultoris, in causa inter Pratense

Digitized by Google

capitulum et ipsius Episcopum. Capitulum prætendebat ex quibusdam titulis sibi exclusive competere collationem canonicatuum et dignitatum. Episcopus contendebat collationem simultanee ad capitulum et Episcopum pertinere. Archiepiscopus Lucanus, ad cujus tribunal causa pendebat, votum consultoris probavit et pronuntiavit in favorem Episcopi Pratensis. (Apud Scarfantonium, tomo II, in Appendice, pag. 213, editio Lucana, 1723.)

Hinc videmus auctores passim illam doctrinam asserere tanquam certam et quasi nulla jam probatione indigentem. « Maxime, ait Riganti (in reg. 2 cancel. § 3, n. 324), si agatur de « præbendis et dignitatibus in cathedralibus, quæ regulariter non « sunt liberæ collationis Episcopi, sed simultaneæ cum capitulo, « sive ex eo quod Episcopus unum corpus constituere dicatur « cum capitulo, sive ratione præsumptæ earum fundationis de « bonis communibus, capituli scilicet et Episcopi. »

II. At etiamsi ex recentioribus aliquis contrariam opinionem sustinuisse reperiretur, omnino deserendus esset, ob auctoritatem Rotæ et Curiæ Romanæ. Quod autem apud Rotam et Curiam Romanam *pro regula* receptum sit collationem præbendarum cathedralis ad Episcopum simul et capitulum regulariter pertinere, jam supra testantem cardinalem de Luca audivimus. Idem tamen directe, allatis documentis, pro rei gravitate, ostendendum existimavimus.

« Decessit in mense Augusti 1676 Julius Cæsar, propter cujus « mortem vacavit in cathedrali Novariensi canonicatus, quem « Capitulum contulit Philippo, Episcopus vero Jacobo Antonio : « unde orta controversia eaque ad Rotam delata, proposui du- « bium : *an et cui esset adjudicandus canonicatus.* — Et Phi- « lippo Domini dixerunt. Quamvis enim de jure collatio canoni- « catuum in cathedrali simultanee spectare præsumatur ad Epi- « scopum et capitulum (ut per *glossam* communiter receptam in « cap. *Cum ecclesia Vulterr.* De electione — Rota, decisio 124, « n. 1, parte 3, rec.), consuetudo tamen in contrarium attendi « debet; videlicet quod ad solum Episcopum sine capituli inter- « ventu, vel e converso ad solum capitulum privative quoad « ipsum Episcopum collatio pertineat. Quam consuetudinem non « esse irrationabilem, dicit glossa in caput ultimum *De consue-*

Digitized by Google

« *tudine*, et notat Barbosa (*De potest. Episc.*, alleg. 127, n. 9 « et 10). In præsenti autem casu visum est non posse dubitari « de legitima consuetudine conferendi solius capituli; nam illud « ab immemorabili consuevit hujusmodi canonicatus conferre. » (Rota, decisio 121, partis xix, recentium.)

« Beneficia et præbendas cathedralium ecclesiarum non esse, « de jure communi, liberæ collationis Episcopi. » (Rota, decisio 635, n. 4, parte 18, recent. — Et ibi citatur Gonzalez, glossa 45, n. 35; citatur et celebris glossa ad cap. *Cum ecclesia Vulterrana*, 31, De electione; et remittitur ad commentaria canonistarum in prædictum caput.)

« Licet per dispositionem juris communis, inter doctores « non amplius controversam, tale jus conferendi simulta- « neum statuatur inter Episcopum et capitulum..., prout « sæpe decisum est a Rota (ut in decisione 22, 56, 980 et « 95); attamen hoc non procedit quoties in capitulo viget consue- « tudo quod capitulum soleat canonicatus et dignitates irrequisito « Episcopo conferre... Quæ consuetudo ad exclusionem simul- « taneæ collationis præscribit spatio 40 annorum, ut tenent com- « muniter doctores. » (Rota, parte xvi, decisio 244, recent., 4 junii 1670.)

« Cum agatur de dimidia portione existente in cathedrali, col- « latio est simultanea inter Ordinarium et capitulum; et prop- « terea provisio Ordinarii fuit nulla. » (Rota, decisio 585, n. 40, partis v, rec.) Et ibi citantur plures aliæ decisiones.

« Sacri canones præsupponentes beneficia existentia in aliqua « ecclesia, et præsertim cathedrali, censeri fundata de commu- « nibus reditibus ipsius ecclesiæ, tribuunt pariter in conse- « quentiam capitulo non minus quam Episcopo jus illa confe- « rendi, eodem modo quo communis fuisset administratio sive « dominium eorumdem redituum (*hic citat Rota plures aucto- « res et decisiones antecedentes Rotæ, et tandem cardinalem « de Luca, de quo addit*) : licet cum Fagnano diversas recen- « seat sententias, adhuc tamen testificatur hanc opinionem com- « muniter jam fuisse receptam in curia sæpiusque canonizatam « in Rota. Verum cum totum in hac materia faciat consuetudo, « fidelis interpres rerum actuumque sub annosæ antiquitatis « caligine latentium.., eadem consuetudo multoties efficit quod

Digitized by Google

« jus conferendi præbendas et beneficia sita in ecclesia cathe-
« drali, vel ad solum spectet capitulum, vel ut plurimum ad
« solum attineat Episcopum.

« Quamvis... receptum appareat (*vigore præfati textus seu*
« *glossæ in caput Cum ecclesia Vulterrana*), hujusmodi jus
« simultaneæ collationis locum habere in istis portionibus, et
« generice in quibuscumque beneficiis inferioribus..., tamen
« non defecere contrarii assertores acerrimi. » (Rota, coram Ansaldo, decisione 252; tom. III, 23 junii 1702.)

Ex allatis documentis satis patet verum esse quod affirmat cardinalis de Luca, in Rota et curia Romana *pro regula* receptum jam pridem esse, collationem præbendarum et canonicatuum cathedralis simultanee, spectato jure communi, ad Episcopum et capitulum pertinere. Ergo quod erat colim sententia receptissima, licet aliquatenus controversa, jam in *regulam* erectum est extra controversiam positam, a doctoribus probatæ doctrinæ unanimiter receptam, et ab omnibus tenendam.

Conclusio autem illa de canonicatibus et præbendis cathedralis, etiam extenditur ad dignitates. « Idem dicendum de digni-
« tatibus, ait Leurenius (*Forum beneficiale*, pars II, sectio 3,
« c. 2, quæst. 670); quantum est de jure communi, spectant ad
« collationem simultaneam Episcopi et capituli. (Garcia, p. 5,
« c. 4, n. 20 — juxta decisionem Rotæ in *Tarraconensi*
« 9 junii 1600 ; et Abbatem Panormitanum, in c. *Cum ecclesia*
« *Vulterrana*, De electione). »

§ 4

EX ORIGINE AUT CONSUETUDINE POTEST COLLATIO PRÆBENDARUM AD SOLUM EPISCOPUM VEL AD SOLUM CAPITULUM PERTINERE

« Potest.... præbendarum collatio ad solum Episcopum, vel
« capitulum pertinere (Fagnanus in c. *Cum ecclesia Vulter-*
« *rana*, De electione). Et si constare posset quod illarum erectio,
« non ex dicta communi massa (loquitur hic Scarfantonius de
« massa communi inter Episcopum et capitulum), sed ex par-
« ticulari capituli effecta fuisset, vel si adesset diuturna et im-
« memorabilis observantia, per quam appareret quod capitu-
« lum solum collationes explevisset absque interventu Episcopi,

Digitized by Google

« tunc ad illud duntaxat spectaret, ut in terminis immemora-
« bilis consuetudinis respondit Rota (decisione 244, parte XVI,
« ex collectione recentiorum, et (*in terminis*) æquipollentis
« centenariæ (decis. 124, part. III, n. 2, recentiorum); ac
« etiam solius quadragenariæ (eadem decisione 244, n. 3,
« part. XVI), etiam sine obligatione deducendi titulum, cum
« solus lapsus dictæ consuetudinis quadragenariæ de se sufficere
« possit ad præscribendum contra Episcopum, ut dixit Rota in
« his specialibus terminis (decis. 637, p. 4, et decisione 74,
« n. 8, p. 11, rec.); quamvis non desint qui censeant non suf-
« ficere ad præscribendum contra Episcopum jus simultaneæ
« collationis, pro quo, ut diximus, habet Episcopus assistentiam
« juris communis, sed necessarium esse saltem titulum putati-
« vum; et hanc esse opinionem in praxi et curia receptam tes-
« tatur de Luca (*De beneficiis*, discursu 1, n. 27 et 28). » (Scar-
fantonius, t. I, pag. 11, n. 18, edit. Lucæ, 1723.)

Unde consuetudo sive immemorabilis, sive centenaria, sive quadragenaria cum titulo saltem putativo in favorem Episcopi, collationem exclusive tribuit Episcopo. Et eadem consuetudo in favorem capituli, collationem exclusive tribuit capitulo. Quando nec Episcopus nec capitulum possunt allegare talem suam possessionem, nec liquet aliunde præbendam conflatam esse ex sola mensa episcopali, vel ex sola mensa capituli, collatio est hoc ipso simultanea, id est, ex æquo ad Episcopum et capitulum simul pertinens.

§ 5

UNDE ORTUM JUS COMMUNE SIMULTANEÆ

Est sententia communis canonistarum jus illud ortum esse ex eo quod primitus communes essent reditus Episcopi et capituli. Cum massa communis redituum tam vere pertineret ad capitulum quam ad Episcopum, non æquum erat ut aliquis clericus ad participationem hujus massæ admitteretur nisi consentiente utroque, id est, Episcopo simul et capitulo. Et licet postea divisa fuerit massa primordialis inter Episcopum et capitulum, et dein etiam in multis locis ipsa massa capitularis fuerit distributa in portiones distinctas singulis canonicis tradendas seu præbendas,

Digitized by Google

perseveravit tamen collatio simultanea. « Ex hac primordiali « communione redituum, ait Scarfantonius (t. I, p. 11, n. 16, « edit. Lucæ, 1723) profluxit quod collatio canonicatuum et « præbendarum ecclesiæ cathedralis, ab Episcopo et capitulo « simultanee explenda esset (in text. in cap. *Postulastis*, De « concess. præb.); ut animadvertunt communiter canonistæ, « et signanter Fagnanus (in cap. *Cum ecclesia Vulterrana*, De « elect., n. 11 et seq.). Ita tamen ut tam penes Episcopum quam « capitulum in solidum resideat potestas et jus conferendi præ- « dictas præbendas cathedralis. »

Alia ratio quam solent afferre canonistæ, et quæ valde etiam notatu digna est, desumitur ex eo quod Episcopus et capitulum unum efficiant corpus tanquam caput cum membris; ita ut non debeat caput separatim, sed una cum membris operationes suas perficere. Canonistis autem in tradenda hujusmodi doctrina præiverat glossa in caput *Cum Ecclesia Vulterrana*, De elect., quæ sic habet :

« Arguit contra (1) titulus *de his quæ fiunt a prælatis sine* « *consensu capituli, in Sexto, cap. Primis :* quia hujusmodi « ecclesiastica debent facere (2) de consensu capituli, ut ibi di- « citur : et cum quibus est in ministerio, cum his disponat « (93, De diacon.). Præterea, ex eo quod dicit (3) in fine, *si con-* « *suetudo est quod canonici eligant irrequisito Episcopo*, patet « quod de jure communi simul debeant eligere; sicut et alia « negotia simul facere debent, cum Episcopus sit caput capituli, « et canonici membra (de his quæ fiunt a præl. sine consensu « capituli, cap. *Novit*, et capite *Quanto*). Et quod simul eli- « gere debeant, habes titulo *De concessione præbendæ*, capite « *Postulastis*. Dico quod de jure communi simul ad Episco- « pum et capitulum pertinet collatio beneficiorum, per jura « proxime dicta, et hic in fine satis patet ita esse. Sed consue- « tudo in pluribus ecclesiis derogat huic juri, ut hic in fine hu- « jus decreti. Sed illa consuetudo non est rationabilis : imo est « contra decus Ecclesiæ, quæ ideo non est præscriptibilis. »

Notandum autem hanc glossam, licet antiquitate veneran-

(1) Nempe contra objectiones quas immediate antea sibi proposuerat glossator.
(2) Nempe Episcopi.
(3) Nempe caput *Cum ecclesia Vulterrana*, quod ibi glossator explanat.

Digitized by Google

dam, caute esse intelligendam et limitandam, dum dicit generatim Episcopum debere omnia peragere de consensu capituli, et dum irrationabiles vocat consuetudines quæ derogant juri communi de collatione simultanea : alioquin enim in errorem induceret.

Notandum etiam jus simultaneæ vocari *jus commune*, non eo quod in aliquo textu juris omnino expresse contentum reperiatur; sed quia ex unanimi doctorum interpretatione et stylo Romanæ curiæ in jus commune receptum est. « Minime ita re-« cipiendum est, ait Lotterus (*De benef.*, l. II, q. 21, n. 9), ut « lex aliqua sive canon idipsum expresse disponat, sed est intelli-« gendum inductum per interpretationem doctrinalem, quæ ubi « ratione constat et per glossas et doctores communiter est re-« cepta, facit jus, venitque appellatione juris communis. »

§ 6

IN QUO CONSISTAT JUS COLLATIONIS SIMULTANEÆ

Quomodo intelligendum sit jus collationis simultaneæ, sic explicat laudatus cardinalis de Luca : « Ubi vero, cessante con-« suetudine, versamur in terminis juris communis, attendendi « juxta dictam receptam opinionem pro simultanea, tunc in ista « pariter est receptum quod est æquale jus Episcopi et capituli, « ita ut tanta sit vox unius, quanta sit alterius; non collegiative, « sed sejunctim, perinde ac si essent duæ personæ quarum una « repræsentatur ab Episcopo, altera vero a capitulo; quarum « utraque collationis actum in tempore ac loco diverso explicare « potest (*ibi in probationem multas decisiones Rotæ allegat de « Luca*). Istum vero conferendi modum frequentior experientia « comprobat raro ad praxim deducibilem, pluriumque in-« convenientium productivum; quoniam cum in diversas « personas abire soleant, atque ob vocum æqualitatem neutra « collatio concludat, idcirco aperiri solet locus devolutioni ad « Papam... Hinc proinde prudenter praxis frequentius induxit « turnariam divisionem per menses, vel hebdomadas, aliaque « tempora; ut unus uno, alter alio tempore in solidum, ac pleno « jure conferat. Quod etiam in ipsismet capitulis inter canonicos

Digitized by Google

« introductum est, cum turno per menses vel hebdomadas. In « isto vero casu, cum jus conferendi vel præsentandi sit de sui « natura individuum, habitualiter competens omnibus in soli- « dum, diviso solum exercitio..., sequitur quod quando per « unum fit collatio, tunc per omnes fieri dicitur; eorumque « mandatarius seu vicarius dicitur ille qui tunc exercitium « habet. » (*De beneficiis*, discursus 1, n. 30 et seq.)

§ 7

EFFECTUS JURIS SIMULTANEÆ

« Varii sunt effectus dicti juris solidalis penes Episcopum et « capitulum :

« *Primus*, quod si alter ex eis neglexerit intra legitima tem- « pora explicare suum actum collationis, vel illum invalide per- « fecerit, in altero totum jus consolidetur; illiusque collatio « firma et efficax remaneat; taliter ut neque per succedentem « provisionem Apostolicam habentem clausulam *dummodo tem- « pore datæ præsentium*, etc., jus provisi sublatum censeatur. « Quia nempe provisio non devolvitur ad Sanctam Sedem nisi in « casu quo Episcopus et capitulum tempore legitimo collationem « fecerint et non concordaverint; et consequenter provisio Sanctæ « Sedis hunc casum semper supponit.

« *Secundus* effectus est, quod quoties Episcopus obtinuit a « Sancta Sede Apostolica facultatem conferendi beneficia, etiam « in mensibus reservatis (1), hujusmodi indultum suffragatur « etiam capitulo respectu beneficiorum simultaneæ collationis;... « et in hoc casu capitulum venit appellatione Episcopi, ut pluries « respondit Rota... Hæc tamen opinio non est sequenda post no- « vissimam constitutionem Urbani VII de die 10 septembris 1626, « in qua declaravit indulta prædicta non suffragari capitulo ha- « benti simultaneam. Et firmavit Rota...

« *Tertius* effectus est, quod, sede episcopali vacante, totum jus « conferendi hujusmodi præbendas consolidatur in capitulo, quod « tunc jure proprio tanquam unicus et solus collator easdem præ- « bendas confert. » (Ibi plures auctoritates citat Scarfantonius.)

(1) Nempe Sedi Apostolicæ.

Digitized by Google

« *Quartus* effectus est, quod quoties Episcopus sive capitulum, « propter aliquod impedimentum (veluti propter excommunica- « tionem, interdictum, seu absentiam), non possunt actum colla- « tionis explere... tunc in omnibus prædictis casibus alterius non « impediti sola collatio sustinetur... Et in unoquoque ex præ- « dictis casibus, tam Episcopus, quam capitulum, non confe- « runt jure devoluto, sed jure proprio.

« *Quintus* effectus est, quod etiam mortuo Episcopo, et secuta « interim, ante promotionem Episcopi successoris, vacatione ca- « nonicatus simultaneæ collationis, ad capitulum solum spectat « collatio; ex quo attendi debet tempus secutæ vacationis, in « quo nimirum totum jus conferendi consolidatum fuerat in « eodem capitulo per obitum Episcopi.

« *Sextus* effectus est, quod licet sacrum concilium Tridenti- « num (sess, 24, c. 8 *De ref.*) statuerit electionem ad canonicatum « pœnitentiariæ ad solum Episcopum spectare, attamen, si... « facta fuerit erectio canonicatus pœnitentiarii de præbenda quæ « ad collationem Episcopi conjunctim cum capitulo pertinebat, « præscindendo a dicta electione, actus collationis spectans ad « capitulum præservatus censetur; ita ut possit idem præbendam « conferre personæ ab Episcopo præelectæ, ut declaravit etiam « sacra Congregatio concilii... » (Scarfantonius, t. I, pag. 12, « editio Lucæ, 1723.)

§ 8

DE CONCORDIA INITA EPISCOPUM INTER ET CAPITULUM PRO EXERCITIO COLLATIONIS SIMULTANEÆ, ET DE EFFECTIBUS INDE FLUENTIBUS

Sæpe concordiam inire solent Episcopi cum capitulis suis, per quam dividitur per *turnum*, ut aiunt, id est, per alternas vices, exercitium juris conferendi.

« Talis divisio collationis fieri nequit nisi de consensu capituli « simul et Episcopi; ita ut, altero ex eis reluctante, non possit ad « divisionem prædictam deveniri, non obstante regula *quod* « *nemo in societate invitus permanere cogatur...*; ut optime « discussis utriusque opinionis fundamentis respondit Rota (in « Hispalensi, 4 julii 1700). » (Scarfantonius, pag. 13, n. 42, tom. I, edit. Lucæ, 1723.)

Digitized by Google

Effectus autem ex tali pacto sequentes sic enumerat ibidem audatus Scarfantonius :

« *Primus* effectus dictæ divisionis est, quod translato Epi-
« scopo de uno ad alium episcopatum, statim fit consolidatio
« totius juris conferendi in capitulo, etiam ante notitiam transla-
« tionis factæ in consistorio; ita ut collatio post dictam transla-
« tionem facta ab Episcopo, sed tamen ante ejusdem transla-
« tionis notitiam habitam, non consumat turnum, nec præjudicet
« Episcopo successori; qui, non obstante prædicta collatione
« facta de tempore quo ad capitulum ex dicto jure consolidationis
« spectabat, et illam neglexit perficere, debet conferre; ut arti-
« culo mature discusso firmavit Rota (in Segobiensi, 11 aprilis
« 1704). Et ratio præmissorum in eo consistit quod statim post
« translationem Episcopi, prior ecclesia remanet viduata, et
« resoluto vinculo quo Episcopus primæ Ecclesiæ alligabatur,
« remanet alligatus secundæ, licet dictam translationem ignora-
« verit (*ibi multas auctoritates citat Scarfantonius, inter quas,*
« *Barbosam,* De potestate episc. *alleg.* 5, *n.* 92, *part.* 3); quia
« hoc operatur præconisatio facta in consistorio (decis. Rotæ 475,
« part. I recent.). Sicuti etiam si Episcopus in eodem consistorio
« depositus fuisset; cum etiam ante notitiam depositionis re-
« maneat irritum quidquid per eum gestum fuerit. Et quamvis
« ante notitiam translationis quam solent Episcopi translati
« habere per litteras secretarii sacri collegii, vel per aliam certam
« scientiam, possint iidem exercere ea quæ pertinent ad ordina-
« riam jurisdictionem, nihilominus cum beneficiorum collatio
« non sit de jurisdictionalibus (1), sed connumeretur inter fructus,
« ideo non potest pertinere ad Episcopum post translationem.

« *Secundus* effectus resultans a divisione simultaneæ colla-
« tionis per alternas vices, est quod collatio facta ab existente in
« turno, reputatur ac si ab utroque expleta fuisset.

« *Tertius* effectus est, quod ille qui est in turno, dicitur abso-
« lutus dominus et solus collator, cum in eo translatum dicatur
« totum jus conferendi.

« *Quartus*... altero deficiente, collatio pertinet ad superstitem,
« ac propterea etiamsi vacatio succedat in turno Episcopi, adhuc

(1) Pro quo citat Scarfantonius plures canonistas, inter quos Lotterum et Rebuffum.

Digitized by Google

« ob illius obitum, jus conferendi consolidatum remanet in ca-
« pitulo... Cumque jus conferendi prædictum sit individuum,
« divisio illius per turnum censetur semper facta quoad simplex
« exercitium; ita ut illa nunquam impediat consolidationem
« juris in capitulo, quoties contingit mors Episcopi, vel aliis
« casibus supra expressis (*depositionis scilicet vel translatio-*
« *nis Episcopi*). »

« *Septimus* est, quod non inducitur consumptio turni ante
« acceptationem factam ab eo cui collatus fuit canonicatus. »

« *Octavus* est, quod turnus dicitur legitime consumptus ab
« eo ad quem spectabat collatio, si tacens permisit alterum non
« existentem in turno conferre. »

« *Nonus* est, quod quando capitulum ob mortem Episcopi
« confert canonicatum, sede episcopali vacante, sed nondum ab
« Episcopo in turno existente collatum, collatio tunc expleta per
« dictum capitulum non operatur consumptionem sui turni, sed
« potest in successiva vacatione conferre. »

« *Decimus* est, quod si in concordia inita super alternativa
« provisione dictarum præbendarum, cautum fuerit, quod
« existens in turno teneatur conferre certo generi personarum,
« seu aliqua qualitate pollenti, esset etiam quoad hoc concordia
« religiose observanda; alioquin provisio esset nulla; quia, cum
« collator metiatur suam potestatem ab ipsa concordia, si non
« servet formam præscriptam, actus corruit ex defectu potestatis,
« etiamsi in ipsa concordia non adesset decretum annullati-
« vum. (Lotterus, *De re beneficiali*, l. II, quæst. 21, n. 33 et seq.) »

§ 9

DE FALSA OPINIONE EORUM QUI PUTARENT JUS CONFERENDI BENEFICIA PERTINERE AD ORDINEM EPISCOPALEM, VEL AD ESSENTIALIA JURISDICTIONIS ORDINARIÆ EPISCOPALIS.

Doctrina Rotæ : « Conferre beneficia non est ordinis, sed ju-
« risdictionis; quo fit ut etiam hi qui nullum ordinem habent,
« conferre quandoque possint. « (Rota, decisione 15, n. 1 partis III
recent. — Ubi hoc variis indicatis auctoritatibus confirmatur.)
« Collatio enim est juris concessio. » Ita Rota (decisione 343,

Digitized by Google

n. 10, part. IV rec.), citans Gonzalez (ad reg. 8, gloss. 16, n. 8).

Doctrina Leurenii. « Quis sit et dicatur collator ordinarius? « Respondeo, illum qui jure proprio beneficia confert, tametsi « jurisdictionem nullam habeat; et sive hanc potestatem confe- « rendi habeat a jure, sive ex præscriptione, consuetudine, pri- « vilegio. Et sic in specie capitulum, dum legitime justificavit « consuetudinem conferendi privative ad Episcopum, venire « sub nomine ordinarii collatoris, ait cardinalis de Luca (*De* « *beneficiis*, discursu 31, n. 15). Episcopus inter collatores « ordinarios primum locum habet, utpote cui ex jure communi « et ratione episcopatus concessa est hæc potestas conferendi be- « neficia suæ diœcesis... Omnium beneficiorum in diœcesi exis- « tentium collatio de jure communi spectat ad Episcopum, isque « de iis conferendis de jure communi fundatam intentionem « habet, sub limitatione tamen et exceptione danda inferius « circa beneficia ecclesiæ cathedralis. — Unde hoc jus confe- « rendi originetur Episcopo? Respondeo : tametsi bene dicatur « originari in Episcopo a jure communi (Lotterus, l. II, q. 2, « n. 3), non tamen originari in Episcopis immediate, sed « defluxive; nimirum defluere a Papa in eos, utpote in quo solo « hujus potestatis plenitudo residet, cui alii Episcopi subsunt « tanquam membra et vocati in partem sollicitudinis. — An « hæc potestas Episcopi circa conferenda beneficia spectet ad « ejusdem jurisdictionem? Respondeo : nullatenus, saltem « proprie, ad potestatem jurisdictionis spectat, seu competit ei « jure magistratus. Non enim omnia quæ magistratui alicui com- « petunt, competunt ei jure magistratus; sed aliqua competere « possunt a lege citra imperium et omnem jurisdictionem... Mul- « toque minus hæc potestas est potestas ordinis episcopalis, cum « (ut dicitur capite *Nosti*, de electione) conferre possit statim ac « electio ejus est confirmata, etsi nondum sit consecratus. Sed « est accidentalis cujusdam potestatis, eodem nihilominus tem- « pore impressæ quo imprimuntur jurisdictionalia, nimirum ex « speciali concessione legis. » (*Forum beneficiale*, parte II, sect. 3, c. 2, quæst. 664 et seq.)

Doctrina Rigantii. — « Sive auctoritates, sive exempla, sive ra- « tionum momenta expendantur, affirmari debet beneficiorum « collationem nihil commune habere cum jurisdictione, neque ad

Digitized by Google

« legem jurisdictionis pertinere. Hanc enim opinionem tenuere « Joannes Andreas,... Pavinus,... Rebuffus (in Praxi tit. De devo- « lutione, 89, ibi : *Conferre non est jurisdictionis episcopalis, sed « est cujusdam facultatis extrinsecæ*); Lotterus (l. 1, quæst. 21, « n. 34 — et latissime, l. 2, q. 2, n. 5 et seq.); Fermosinus (de ca- « pitulo, *Sede vacante*, quæst. 23, n. 7), Solierus (in addit. ad pas- « tor de benef. l. 3, tit. finali litt. D). — Idque melius ab exem- « plis comprobatur. Episcopus resignans ecclesiam, administrat « pertinentia ad jurisdictionem donec adveniat successor, et ta- « men beneficia minime confert. Concessa generali jurisdictione « vicario, non censetur concessum jus conferendi, utpote quia « istud non venit sub generali dispositione, nisi specifice expri- « matur. Cautum est in jure quod capitulum sede vacante succe- « dat in universali jurisdictione episcopali : et tamen *nusquam « invenitur cautum in jure quod capitulum vacante sede fun- « gatur vice Episcopi in collationibus præbendarum* (sunt « verba capitis *illa*, ne sede vacante); si autem concessa juris- « dictione veniret jus conferendi, inepta esset ratio hujus textus; « nam dum jus attribuit capitulo jurisdictionem, jam concessis- « set jus conferendi, si istud esset necessarius effectus jurisdi- « ctionis, et sub concessione jurisdictionis esset comprehensum. « Et demum videmus quod cardinalibus elargitur Summus Pon- « tifex universalem jurisdictionem in suis titulis ; et tamen illi « beneficia conferre non possunt, nisi specialiter Papa id conce- « dat. — Et præmissorum ea est ratio, quod ex nullo canone « demonstrari potest quod Episcopo jus conferendi competat « jure *magistratus;* unde impossibile est quod pertineat ad ejus « jurisdictionem. Nec omnia quæ competunt Episcopo, competunt « jure magistratus (Lotterus, l. 2, q. 2), quem omnium optime « fuisse in hac materia locutum dicit Solier... his verbis : *Collatio « beneficiorum non spectat ad jurisdictionem, cum non compe- « tat Episcopo jure magistratus, sed speciali legis conces- « sione, citra imperium aut jurisdictionem.* Hinc non obstant « Glossæ in C. *Transmissum*, de electione, aliique doctores attri- « buentes jus conferendi jurisdictioni, quia nullo solido funda- « mento moventur, nec considerarunt mox allegatas rationes; « nec adverterunt quod licet jus conferendi eodem tempore im- « primatur quo imprimuntur jurisdictionalia, attamen hæ sunt

Digitized by Google

« duæ operationes distinctæ quas facit lex, quæ eodem tempore « tribuit jurisdictionem Episcopo, et tribuit jus conferendi « quod est quid distinctum a jurisdictione, et quod proprie non « est episcopale, ut ait Joannes Andreas... et Lotterus... »

« Sed quando etiam jus conferendi beneficia liberæ collationis « comprehensum censeretur sub generali concessione jurisdi- « ctionis, adhuc applicari id non posset beneficiis cathedralis, quæ « tam de jure quam de consuetudine spectant ad promiscuam « collationem Episcopi et capituli. Jus enim simultaneæ non « provenit a jurisdictione, sed a præsumpta dotatione facta ab « Episcopo et capitulo de bonis utrique communibus ; et in hoc « radicatur jus et ratio simultaneæ... Sicuti in hac communione « conferendi nulla potest considerari jurisdictio in capitulo, « quod etiam dicitur ordinarius collator, quamvis jurisdictione « careat ; ita nec potest considerari in Episcopo, cujus respectu « non potest regulari hoc jus conferendi diverso jure ac regula- « tur in capitulo. » (Riganti, in regul. 2, Cancellariæ, § 3, n. 44 et seq.)

Ex his auctoritatibus et allatis rationibus satis patet jus conferendi beneficia, licet jurisdictioni episcopali valde congruum, ipsi tamen non esse essentialiter alligatum, sed accidentaliter tantum. Unde mirari nullus debet jus conferendi canonicatus, simultanee et quandoque etiam exclusive pertinere ad capitulum.

§ 10

AN IN HODIERNIS GALLIÆ ECCLESIIS COLLATIO CANONICATUUM PERTINEAT SIMUL AD EPISCOPUM ET CAPITULUM.

Vidimus collationem de jure communi esse simultaneam ; at juri communi derogari potuit in erectione recentiorum ecclesiarum Galliæ : et de jure speciali vel consuetudine, ut etiam vidimus, potest collatio vel ad solum Episcopum, vel ad solum capitulum pertinere. Quomodo res se habeat in Gallia nunc expendendum.

Propositio 1ª. — *Ante concordatum anni* 1801, *jus collationis simultaneæ de facto vigebat in multis Galliarum capitulis ; et jus illud esse jus commune tanquam certum habebatur.* — De

Digitized by Google

facto viguisse multis in locis collationem simultaneam testantur innumera historiæ monumenta; sed plane sufficiunt quæ nuper eamdem quæstionem tractando indicavit publicatio periodica *la Correspondance de Rome*, his verbis : « La collection des dé-« crétales contient plusieurs anciens exemples de la nomination « simultanée des chanoines par les évêques et par les chapitres « dans les diocèses de France. C'est ainsi que la décrétale *Si pro « te* de Boniface VIII prouve qu'à Bourges la collation apparte-« nait à l'archevêque et au chapitre à la fois. On peut voir égale-« ment la décrétale d'Innocent III, chap. *Postulastis* de conces-« sione præbendæ. Le canoniste d'Ostie fait foi de l'observation « de cette même règle dans l'église d'Embrun et les autres de la « province.

« Au reste, une preuve irrécusable du fait énoncé plus haut « se trouve dans l'édit concernant l'usage de la régale du mois de « janvier 1682. Voici quels étaient les différents modes de no-« mination en vigueur selon la diversité des provinces : 1° La « collation simultanée : l'édit parle des églises *où la collation « des prébendes appartient à l'évêque et au chapitre conjointe-« ment, par indivis.* 2° Le système de la nomination à tour de « rôle : *Dans celles* (les églises cathédrales et collégiales) *où les « chanoines et l'évêque les confèrent* (les canonicats) *par tour de « semaine, de mois ou autres temps; dans celles où le tour « est réglé par les vacances; dans celles où les prébendes d'un « côté du chœur sont affectées à la collation de l'évêque, et « celles de l'autre, à la collation des chanoiues,* l'édit porte *que « l'alternative, les tours et l'affectation soient gardés et entrete-« nus durant l'ouverture de la régale tout ainsi qu'ils le sont « pendant que le siége est rempli.* 3° Enfin il y avait des en-« droits où les chapitres pouvaient invoquer le bénéfice de la « chose prescrite, et conféraient à eux seuls les canonicats. On « voit dans l'édit, qu'il y avait des églises cathédrales et collé-« giales *où les chapitres étaient en possession de conférer toutes « les dignités et les prébendes.* Il n'est pas nécessaire de « rechercher d'autres preuves; l'édit de 1682 établit le fait « suffisamment. »

Quod in Gallia olim sicut in reliquo orbe catholico jus colla-« tionis simultaneæ habitum fuerit tanquam jus commune, ita

Digitized by Google

« ut *regulariter* servari deberet, nisi aliquo speciali titulo vin-
« dicaretur exclusive collatio vel Episcopo vel capitulo, testantur
« hujus regionis canonistæ. Vide Rebuffum aut alios Galliæ
« scriptores de hac materia tractantes.

Propositio 2ª. — *Postquam anno* 1802 *erecta fuere nova Galliæ capitula, prima canonicatum et dignitatuum collatio fuit penes solum Episcopum. At post expletam illam* PRIMAM *collationem, vigere cœpit jus collationis simultaneæ; ita ut vacantes canonicatus ab Episcopo simul et capitulo conferri debuerint.* — Anno 1802, ad erigendam unamquamque Galliæ diœcesim, decretum edidit Cardinalis Legatus Caprara; ita ut tot extent ejusmodi decreta quot erectæ tunc temporis diœceses. Porro in hisce decretis omnibus adhibetur communis formula, mutatis dumtaxat quæ sunt unicuique diœcesi vel archidiœcesi propria, id est denominatione, delimitatione et hujusmodi. Unde ad patefaciendum quid tunc in omnibus Galliæ diœcesibus de jure canonicatus conferendi fuerit statutum, necesse non est omnia ejusmodi erectionis decreta citare, sed satis erit si unum aut alterum adduxerimus.

In decreto erectionis archidiœcesis Parisiensis, 10 aprilis 1802, sic legere est : *Ut vero Parisiensis metropolitana ecclesia, capituli erectione peracta, tam salutaris institutionis utilitatem et ornamentum celerius valeat percipere, primo futuro itidem Archiepiscopo, de specialissima gratia eadem, auctoritate Apostolica indulgemus, ut dignitates omnes etiam principales et canonicatus, a primæva eorum erectione vacantes,* PRO PRIMA HAC VICE, *idoneis ecclesiasticis viris libere et licite conferre possit.* (Integrum decretum edidit André, *Cours alphabétique de droit canon*, verbo *Titre*, editione 3.)

In decreto erectionis diœcesis Cenomanensis, cujus exemplar authenticum, dum Romæ degerem, sub oculis habui, sic habetur : *Primo futuro Episcopo itidem Cenomanensi*, et cætera, ut in præcedenti decreto. Et scimus idem iisdem terminis dispositum reperiri in aliis ejusmodi decretis; quod cæteroquin constare potest ex singularum diœceseon tunc erectarum archiviis, ubi authenticum dicti decreti erectionis exemplar asservatur. Quibus prænotatis, thesis probationem sic adstruimus :

I. Episcopi Galliæ non habuerunt liberam canonicatuum et

Digitized by Google

dignitatum collationem nisi pro prima vice tantum, si hoc expresse Apostolica auctoritas decreverit. Atqui revera ita decrevit; nimirum his verbis : *Episcopus, pro* PRIMA HAC VICE, *dignitates et canonicatus conferre possit.* Dum dicitur *pro prima hac vice*, æquivalenter declaratur pro cæteris post primam vicibus, non esse penes Episcopum liberam canonicatuum collationem. Præterea Episcopo tribuitur potestas illa, tanquam *indultum;* ac proinde tanquam facultas qua de jure communi caruisset Episcopus : *de specialissima gratia indulgemus.* Quibus verbis æquivalenter declaratur, et quoad cæteras post primam collationes intactum relinqui jus commune; et juxta hoc jus commune penes Episcopum non esse liberam dignitatum et canonicatuum collationem; et ex mero indulto ipsi tribui liberam collationem *pro prima vice.* Ergo revera libera collatio penes Episcopum non stetit, nisi pro prima vice; ita ut, expleta prima illa collatione, quoad cæteras vigere cœperit jus commune. Aliunde autem, juxta jus commune, ad Episcopum et capitulum simultanee pertinet canonicatuum collatio, ut supra probatum est; ergo, post primam a solo Episcopo peractam collationem, cæteræ non nisi ab Episcopo, simul cum capitulo, legitime peragi potuerunt.

II. Aliud argumentum deduci potest ex eo quod nihil omnino exstet in variis Sedis Apostolicæ decretis, recentium Galliæ diœcesium et capitulorum erectionem respicientibus, ex quo vindicari possit Episcopis jus liberæ collationis quoad canonicatus. Equidem eis subdelegavit Cardinalis Caprara facultatem capitula erigendi et eorumdem statuta conficiendi; sed cum hisce clausulis : *juxta præscriptum sacrorum conciliorum, juxta formam a sacris canonibus conciliisque præscriptam, et ab Ecclesia huc usque servatam.* Totam illam documentorum seriem legi et perlegi, et ne vel minimam detexi juri communi derogationem, quoad jus conferendorum canonicatuum, præter modo expositam, quæ ad *primam vicem* restringitur. Jam vero ex hoc ipso quod juri communi nullibi quoad id derogetur, colligendum omnino est in suo vigore jus illud commune relinqui.

III. Notetur autem discrimen inter facultatem illam Episcopo indultam *pro prima hac vice* canonicatus conferendi, et potestatem conferendi parochiales ecclesias. De hac posteriore, in iisdem erectionum decretis, sic disponitur : *Iisdem ecclesiis in*

Digitized by Google

parochiales erectis, Archiepiscopus ipse rectores dabit. Ast cum vellet Sedes Apostolica parochiarum collationem tribuere, non tantum *primo futuro Episcopo*, et *pro prima tantum vice*, sed et successoribus in perpetuum, expresse sic additur : *futuris etiam et pro tempore existentibus Archiepiscopis parisiensibus ad supradictas parochiales ecclesias, dum illas in posterum vacare contigerit, idoneas pariter personas ecclesiasticas... promovendi et instituendi, de præfata Apostolica auctoritate facultatem indulgemus.* Unde parochiarum collatio Episcopo cuilibet pro tempore existenti attributa est : atvero libera collatio dignitatum et canonicatuum indulta non fuit, nisi *primo futuro Episcopo*, et dumtaxat *pro prima vice.*

IV. Perperam thesi nostræ objicerentur sequentia verba, quæ sub finem in unoquoque ejusmodi decreto habentur : « eidemque « futuro ac pro tempore existenti Archiepiscopo parisiensi, ut « præter collationem parœciarum eo modo quo in supra memo- « rata conventione ac in præsenti decreto statutus est, *quæcum- « que alia, cum cura et sine cura ecclesiastica beneficia quomo- « dolibet nuncupata, juxta formas relate ad Gallias ante regi- « minis immutationem statutas, ac salvis reservationibus et « limitationibus tunc temporis vigentibus*, personis idoneis « pleno jure conferendi et de illis providendi, de eadem speciali « Apostolica auctoritate potestatem omnem concedimus et im- « pertimur. » Posset nempe quis sic objicere : ex hoc textu, pleno jure unicuique Episcopo competit potestas conferendi *alia omnia* præter parœcias, beneficia, ac proinde etiam canonicatus. — Ad quam objectionem respondeo : Habet quidem illam potestatem Episcopus, sed dumtaxat *juxta formas*, et cum omnibus *reservationibus* et *limitationibus*, quæ in Galliis ante regiminis immutationem vigebant. Porro ante illam immutationem, vigebat jus commune de collatione simultanea quoad canonicatus. Ergo per illum textum Episcopo tribuitur illud ipsum jus collationis simultaneæ quoad canonicatus, et non aliud. Imo per illum textum salvæ remanent reservationes omnium præter parœcias beneficiorum, regulis cancellariæ aliisque juribus statutæ, et ante annum 1793 in Galliis vigentes. Et sic, vi illius textus, ad Papam pertinet primæ in quolibet capitulo dignitatis collatio ; itemque collatio canonicatuum in mensibus papalibus vacantium,

Digitized by Google

juxta cancellariæ regulas. Istæ siquidem reservationes vigebant in Galliis ante dictam regiminis immutationem, prout suo loco exponemus.

V. Etiamsi Apostolica Sedes Episcopis simpliciter tribuisset *liberam canonicatus conferendi potestatem*, non addendo clausulam, *salvis reservationibus et limitationibus*, adhuc (ex plurium canonistarum sententia) non excluderetur jus capituli, sed excluderentur dumtaxat pontificiæ reservationes. Ut autem excluderetur jus capituli, de hoc expressa mentio fieri deberet, quia læditur jus tertii, id est, capituli; quam læsionem nunquam censetur Papa facere velle, nisi exprimat.

VI. Abs re non erit hic subjungere quomodo Sedes Apostolica jus istud collationis, quoad canonicatus et dignitates Brugensis capituli in Belgio, determinaverit. Sic nempe habetur in bulla erectionis dicti capituli : « Futuris autem temporibus, archidia-« conatum, primam post pontificatum dignitatem, quovismodo « et quandocumque vacare contigerit, nobis et Apostolicæ Sedi « affectam et reservatam dicimus atque decernimus, et per Data-« riam apostolicam litteras collationis et omnimodæ provisionis « expediri jubemus : reliquas autem dignitates, canonicales præ-« bendas ac mansionarias ab Episcopis pro tempore existentibus, « ut in prima earum provisione, personis idoneis et in sacris « ordinibus constitutis, semper et in perpetuum libere conferri, « reservationibus et affectionibus cessantibus, statuimus et ordi-« namus; exceptis tamen canonicalibus theologali ac pœniten-« tiaria præbendis, quas prævio examine et concursu ad præ-« scriptum concilii Tridentini et apostolicarum constitutionum, « tum hac prima vice, tum perpetuis futuris temporibus, per « Episcopum conferri volumus atque mandamus. » (Collectio epistolarum pastoralium Brugens. episc. t. I, p. 110.)

An per hujus bullæ textum excludatur jus simultaneæ collationis Brugensis capituli (de qua exclusione non fit expressa mentio), an vero excludantur solummodo Pontificiæ reservationes, aliorum judicium sit. Nos hic agimus dumtaxat de capitulis anno 1802, per citata cardinalis Capraræ decreta, erectis. Dicimus autem in iis viguisse jus collationis simultaneæ, *statim post primam collationem* initio ab Episcopo factam. Atque id omnino evinci existimamus ex allatis rationibus.

Digitized by Google

Propositio 3ª. — *Episcopi Galliæ non habent hodie jus exclusivum canonicatus conferendi, nisi illud jus acquisiverint per legitimam præscriptionem contra capitula.* — Etenim, ex propositione secunda, post expletam *prima vice* canonicatuum vacantium collationem, jus illud non habuerunt Episcopi; sed viguit statim jus collationis simultaneæ; ita ut debuerint ex tunc vacantes canonicatus ab Episcopo simul et capitulo conferri. Quo semel admisso, non nisi duobus modis excogitari potest acquisitum denuo fuisse ab Episcopis jus exclusivum collationis; nimirum, vel aliquo actu Sedis Apostolicæ hoc eis jus concedente, vel legitima contra capitulum præscriptione. Porro nullum intervenit Pontificium decretum, quo dicto exclusivo jure Galliarum Præsules donati sint. Ergo nisi per legitimam contra capitula præscriptionem jus illud acquisiverint, eo prorsus carere censendi sunt.

Objicies 1°. — Potuit jus illud exclusivum Episcopis accedere aliter quam duobus modis assignatis; nimirum *ex necessitate.* Cum nempe Gubernium pensiones non solvat nisi iis canonicis quos instituerit Episcopus, inde aliquatenus necessarium fuit, ut Episcopi soli vacantes canonicatus conferrent. Quod autem fit necessitate, optimo jure fit. — Respondeo : quod Gubernium nolit pensionem solvere, si canonicatus ab Episcopo simul et capitulo conferatur, gratis asseritur. Sane si ab initio declaratum fuisset Gubernio, non posse canonicos aliter legitime constitui, pensionem verisimiliter non denegasset. Quod si recusasset, patebat recursus ad Sedem Apostolicam, ut ab ipsa jus exclusivum collationis Præsules expostularent. Ergo prætensa illa necessitas chimerica est. — Præterea non exigit Gubernium ut declaret Episcopus *a se solo* collatum fuisse tali personæ canonicatum. Sed satis ipsi est ut declaret, talem personam canonice de vacanti canonicatu fuisse provisam; quod eodem modo declarare potest Episcopus, etiam servato simultaneæ collationis jure. Ergo non valet objectio, ex necessitate deducta.

Objicies 2°. — Potuere capitula hoc suo jure collationis simultaneæ sponte cedere, et in suos respective Episcopos transferre. — Respondeo : esto cedere potuerint; certum autem est nullam intervenisse hujusmodi cessionem expressam. Quod si dicatur ipsorum silentium tacitæ cessioni æquivalere, præterquam quod

Digitized by Google

istud negari potest, allegari dumtaxat posset dictum silentium ad probandam non interruptam fuisse præscriptionem ex parte Episcoporum. Et sic ad viam legitimæ præscriptionis redimus. Unde vera remanet disjunctiva posita : aut per legitimam præscriptionem jus exclusivum collationis habent hodie Episcopi, aut nullo modo habent.

Propositio 4ª. — *Episcopi Galliæ, non tantum prima vice, sed etiam postea constanter ad hodierna usque tempora, canonicatus vacantes, absque ullo capituli interventu contulerunt.* — Est factum notorietatis publicæ, quod nulla probatione indiget. Cur vero, non obstante clausula, qua libera conferendi facultas ipsis *pro prima vice* indulgebatur, in subsequentibus etiam vacationibus idem jus Galliæ Præsules sibi assumpserint, me prorsus latet. Ex parte autem capitulorum, aut ex parte Sedis Apostolicæ, nullam hucusque exortam reclamationem suppono. Ego saltem nullam novi. Notatu autem dignum est, citata erectionum decreta, in quibus habetur illa tanti momenti clausula *pro prima hac vice*, occulta in Episcopatuum archiviis remansisse, et non nisi paucis abhinc annis edita et in scriptis publicis citata fuisse. Ad me quod attinet, nonnisi anno 1852 eorum notitiam habui.

Propositio 5ª. — *Capitula Galliæ non videntur jus suum simultaneæ collationis amisisse, per præfatam Episcoporum possessionem, seu per legitimam præscriptionem.* — Ut thesis hujus, quæ totius quæstionis cardo est, facilius veritas pateat, disseremus hoc ordine : Primo conditiones recensebimus ad legitimam præscriptionem necessarias : tum ostendemus plures ex iis conditionibus non defuisse : postea unam saltem defuisse probabimus : demum conclusionem deducemus.

I. *Recensentur conditiones quatuor ad legitimam præscriptionem necessariæ.* — « Ut præscriptio, sive usucapio sit legi« tima..., plures requiruntur conditiones, videlicet sequentes : « 1° ut res sit apta præscribi ; 2° bona fides; 3° justus titulus ; « 4° possessio, et quidem legitimo tempore continuata. » (Reiffenstuel, ad tit. XXVI, lib. II decretalium, n. 24.) Ita doctores communiter. Ad titulum tamen quod attinet, adnotant illum non requiri *semper* et *absolute*, sed solummodo relative ad duos casus; nimirum ut sufficiat *brevior* præscriptio, et quando jus

Digitized by Google

commune vel vehemens malæ fidei præsumptio præscribenti resistit. Extra duos illos casus sufficere bonam fidem absque titulo tenent doctores communiter. Expendamus nunc an, dicta Episcoporum Galliæ possessio hisce conditionibus vestita sit.

II. *Episcopis Galliæ ad dictam legitimam præscriptionem non deest conditio materiæ præscriptibilis.* — Etenim præscribi posse, non tantum res materiales, sed etiam jura, in confesso est apud omnes. Et in particulari, jus conferendi beneficia posse ab una persona ecclesiastica contra aliam præscribi (dummodo adsint requisitæ aliæ conditiones) est pariter extra controversiam omnem, et certum hic supponimus. « Res sacræ, inquit Fer-« raris, jura spiritualia, jus conferendi beneficia ecclesiastica, et « hujusmodi, nullo tempore a laicis præscribi possunt, cum « nec talia a laicis possideri valeant. Dicitur autem notanter *a* « *laicis;* quia ecclesiæ quoad proprietatem, ab uno prælato eccle-« siastico contra alium, et jura spiritualia possunt sine dubio « præscribi a clericis aliisque personis ecclesiasticis : *communis*, « per textum in capitibus 1, 4, 6, 15, 18, *De præscriptionibus*, « cum similibus. »

III. *Nec etiam deest conditio possessionis per necessarium tempus continuatæ.* — De tempore ad præscribendum requisito sic communem ac receptam sententiam exponit Reiffenstuel : « Quantum temporis requiratur ad præscriptionem rerum, tum « mobilium, tum immobilium, *contra privatos?* Respondeo : « de facto res mobiles privatorum, cum titulo et bona fide, usu-« capiuntur triennio : res immobiles autem per *longi* temporis « possessionem, id est, decennio inter præsentes, et viginti annis « inter absentes. Ita nunc communis... Ad præscribenda bona « tam mobilia quam immobilia privatorum sine titulo (supposita « tamen bona fide ex parte præscribentis) requiritur et sufficit « tempus triginta annorum. Ita communis... Quantum temporis « requiratur ad præscribendas res immobiles *contra ecclesias?*... « Respondeo : ad præscribenda bona immobilia contra ecclesiam, « aliaque pia loca et causas, requiruntur anni quadraginta : ex-« cepta tamen Romana Ecclesia, contra quam et ejus jura currit « sola centenaria præscriptio. » (Ad titulum XXVI, libri II decretalium, n. 148, 155, 162 et 163). Hæc firmat citatus auctor textibus etiam Justinianei juris; et merito : hoc enim jus Ecclesia

Digitized by Google

suum fecit, in iis in quibus ipsa nihil contrarium disposuit. Stante autem illa communi et tenenda doctorum sententia, dicendum est Episcopis Galliæ non deesse tempus sufficiens ad legitimam præscriptionem. Agitur enim de præscriptione *contra privatos*, id est, contra capitula; non autem de præscriptione *contra ecclesiam* aliquam. Porro ad præscribendum *contra privatos* (etiam quoad res immobiles, ac proinde quoad jus beneficia conferendi) sufficiunt decem anni inter præsentes, et viginti inter absentes, si adsit simul titulus : sufficiunt autem triginta absque titulo. Jam vero dicta possessio Episcoporum Galliæ canonicatus conferendi sine ullo capitulorum interventu, jam a sexaginta annis perdurat, quoad diœceses anno 1802 erectas; et etiam quoad eas quæ anno 1822 erectæ sunt, jam fere quadragenaria est. Ergo duravit possessio hæc plus quam satis est ad legitimam præscriptionem. Aliunde autem nunquam interrupta fuit neque suspensa, prout notorietatis est publicæ. Ergo revera Episcopis Galliæ non deest conditio possessionis per legitimum tempus continuatæ.

IV. *Deest Episcopis Galliæ titulus; sed forsan dici potest eum ipsis in hac materia necessarium non esse ad legitimam præscriptionem.* — Quando agitur de titulo ad præscriptionem necessario, non intelligitur titulus *validus*, id est, qui revera jus transferat; alioquin enim non requireretur ulla præscriptio, sed titulus iste sufficeret. Sed intelligitur titulus, *invalidus* quidem ex aliqua causa ipsi extrinseca et eum irritante, at qui, seclusa illa causa, *de se aptus foret* ad conferendum jus. Et talis titulus nuncupari solet *coloratus*, eo quod colorem seu speciem præ se ferat validi tituli. Si emam, verbi gratia, prædium ab aliquo juvene minore, ignorans eum adhuc sub tutore constitui, contractus ille invalidus est, cum venditor de bonis suis disponere non potuerit. Ea tamen venditio est titulus coloratus.

Prænotandum insuper est, non semper requiri ad legitimam præscriptionem ejusmodi coloratum titulum; sed dumtaxat in duobus casibus; quod sic inter alios exponit et probat Ferraris (verbo *Usucapio*, § 3, n. 9) :

« Titulus specialis (verbi gratia emptionis, donationis, transac-
« tionis, legati et hujusmodi) requiritur solummodo in duobus
« casibus : *Primo* scilicet, ut præscriptio compleatur breviori seu
« ordinario tempore. Cum aliquo enim ex dictis titulis bona im-

Digitized by Google

« mobilia privatorum præscribuntur solo spatio decem annorum « inter præsentes, et viginti inter absentes (textu expresso in § 1 « *Institutorum, de usucapionibus*). Sine ullo autem ex dictis « titulis talia bona non præscribuntur nisi spatio triginta anno- « rum (Lege *Sicut in rem*, Cod., *De præscriptionibus*). *Secundo*, « requiritur titulus, quando jus commune resistit præscribenti, « vel alias habetur præsumptio contra ipsum; textu expresso in « capite 1, *De præscriptionibus*, in *sexto*, ibi : *Licet ei qui rem « præscribit ecclesiasticam, si sibi non est contrarium jus com- « mune, vel contra eum præsumptio non habeatur, sufficiat « bona fides; ubi tamen est ei jus commune contrarium, vel « habetur præsumptio contra ipsum, bona fides non sufficit, « sed est necessarius titulus, qui possessori causam tribuat « præscribendi; nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus « contrarii memoria non existat*. Ubi, ut vides, extra hos duos « casus sufficit ad præscriptionem bona fides, etiam sine speciali « titulo. Et concordat textus in capitibus 4, 9 et 20, *De præscrip- « tionibus*, ubi nulla prorsus fit mentio de titulo, et tamen, in- « terveniente bona fide, et possessione legitimo tempore conti- « nuata, admittitur præscriptio. »

Tandem commemoranda etiam est nonnullorum doctorum sententia, de sensu citatorum verborum (capitis 1, *De præscriptionibus*, in 6) : *ubi tamen est ei jus commune contrarium*. De quo sic notat Reiffenstuel (ad titulum XXVI, libri II decretalium, n. 147) : « Cæterum, subdit idem auctor (Covarruvias), textus « in capite 1, *De præscriptionibus*, in *sexto*, procedit quando « jus commune *fortiter resistit* præscribenti, attribuendo vide- « licet alteri talem rem; prout decimæ, de quibus ibidem sermo « est, attribuuntur parocho. »

His circa titulum prænotatis, dicimus :

1° Episcopi Galliæ titulum non habent ad tuendam suam possessionem conferendi vacantes canonicatus absque capituli interventu. Nam de jure communi facultatem non habent beneficia illa conferendi nisi simul cum capitulo, prout supra probavimus. Proinde sine indulto Pontificio, aut cessione ex parte capitulorum, jus exclusivum collationis acquirere non potuerunt. Porro ejusmodi Sedis Apostolicæ indultum ipsis quidem concessum est anno 1802, sed *pro prima vice* tantum. Post expletam autem

Digitized by Google

primam illam collationem, nullum quoad alias subsequentes vacationes indultum obtinuerunt : nullum proferunt. Nullum etiam intervenit pactum, quo capitula jure suo cesserint in favorem Episcoporum. Unde revera nullum habent Galliarum Episcopi dictæ suæ possessionis coloratum titulum. Proinde si necessarius ipsis foret titulus ad legitime præscribendum contra capitula, ex hoc tituli defectu censendi forent nondum legitime præscripsisse. At,

2° Merito forsan controverti potest an ipsis in præsenti materia necessarius sit titulus. Equidem, ut vidimus, necessarius est titulus *quando jus commune præscribenti resistit;* et aliunde in præsenti casu jus commune Episcopis Galliæ *aliquo vero sensu* resistit; siquidem jus commune capitulo simul et Episcopo, non autem soli Episcopo, canonicatus conferendi facultatem regulariter tribuit. Sed juxta supra citatam aliquorum sententiam, ad inducendam tituli necessitatem, non sufficit ut jus commune qualicumque modo præscribenti contrarium sit, ast requiritur ut ei *fortiter resistat;* id est (prout intelligendum videtur), rem circa quam versatur præscriptio, *expresse* ac clara lege tribuat alteri. Porro jus simultaneæ collationis, etsi pro *jure communi* habendum sit, non tamen *expresse* aliqua speciali lege decernitur; sed tantum per discursum colligitur ex variis juris textibus, necnon ex Romanarum Congregationum ita interpretantium auctoritate, ac communi doctorum sententia. Unde forsan quis dicere posset : Resistit quidem dictæ Episcoporum Galliæ possessioni jus commune, sed non *fortiter* seu eo modo qui necessarium faciat titulum. Quapropter, difficultatem hanc aliis enucleandam remittens, intactam relinquo quæstionem illam, an Episcopis Galliæ, ad præfatam contra capitula præscriptionem, necessarius sit necne titulus.

V. *Defuit Episcopis Galliæ illa species bonæ fidei, quæ ad legitimam præscriptionem requiritur.* — Non dicimus ipsis defuisse *bonam fidem.* Pro indubitato e contra habemus dictos præsules, post peractam prima vice vacantium canonicatuum collationem, non ex malitia, sed bona fide subsequentes etiam collationes sibi exclusive usurpasse. Ipsos proinde nullius peccati reos facimus. Ast omnino certum est ex duplici causa oriri posse bonam fidem in eo qui sibi aliquid usurpat quod suum non est.

Digitized by Google

Oritur quippe bona fides, vel ex errore circa jus, vel ex errore circa factum. Et aliunde non minus certum est, solam bonam fidem ex *ignorantia facti* provenientem sufficere ad legitime præscribendum; aliam vero bonam fidem quæ provenit *ex errore circa jus*, nequaquam sufficere. In dictis autem Galliæ Præsulibus non alia supponi potest bona fides quam ex errore circa jus. Caruerunt proinde illa specie bonæ fidei quæ sufficit ad legitime præscribendum. Quæ omnia sic per partes probari possunt :

1° *Quid sit generatim bona et mala fides?* « Bona fides, in « proposito, est sincera rei alienæ ignorantia; seu illa dicitur « bona fides, qua quis probabiliter et prudenter existimat rem « quam possidet ad se pertinere, vel saltem alienam esse non « cognoscit... Mala autem fide possidere dicitur, qui scit, vel « credit, rem quam possidet alienam esse, vel non esse suam. Sic « in re communis. » (Ferraris, verbo *Usucapio*, § 2, n. 1 et 2.)

« La bonne foi est la croyance ferme et intacte qu'on est pro« priétaire. Elle n'a lieu qu'avec la conviction que nul autre n'a « droit à la chose, qu'on en est le maître exclusif, qu'on a sur « elle une puissance absolue... Écoutons ce qu'en ont dit les « jurisconsultes... *Bona fides*, dit Pothier, *nihil aliud est quam « justa opinio quæsiti dominii.* Voët exprime la même pensée : « *Bona fides est illæsa conscientia putantis rem suam esse.* » (Troplong, *Commentaire sur la prescription*, n. 915.)

2° *Bona fides proveniens ex ignorantia facti valet ad legitime præscribendum.* Id tenent unanimiter doctores. « Igno« rantia facti (inquit Ferraris, verbo *Usucapio*, § 2, n. 21), si sit « invincibilis, non impedit bonam fidem requisitam ad legitime « præscribendum; communis; textu expresso in lege 4, ff, *De « juris et facti ignorantia*, ibi : *Juris ignorantia in usuca« pione negatur prodesse; facti vero ignorantiam prodesse « constat.* »

« L'erreur de fait est toujours excusable... J'achète de François, qui se dit majeur quoiqu'il soit mineur. Au fond l'acte que je passe avec lui est nul; et si j'avais connaissance de son incapacité, je ne pourrais pas exciper de ma bonne foi; parce que connaissant son état de minorité, je devrais aussi nécessairement connaître les lois qui restreignent la capacité des mineurs. Mais l'âge d'un individu consiste en fait, et les hommes les plus pru—

Digitized by Google

dents peuvent être trompés par les apparences. Mon erreur sera donc excusable et ma bonne foi me servira. C'est la décision de tous les auteurs anciens et modernes ;... il s'ensuit qu'ayant tout à la fois un titre translatif de propriété et la bonne foi, je pourrai prescrire par dix et vingt ans. » (Troplong, *Commentaire sur la prescription*, n. 924 et 925.)

3° *Bona fides proveniens ex ignorantia juris certi, licet excuset a peccato, non prodest seu non sufficit ad legitime præscribendum.* « Quæritur (ait Reiffenstuel, ad titulum XXVI, *De præscriptionibus*, n. 67) an error juris impediat bonam fidem, ac proinde cum eo non procedat præscriptio?... Respondeo : ignorantia juris clari atque indubitati non sufficit ad præscriptionem, quinimo eam impedit in utroque foro, licet sit invincibilis et prorsus inculpata... Ratio conclusionis est, quia præscriptio, per quam dominium rei ab uno transfertur in alium, totam vim suam atque originem habet ex jure humano positivo. Ergo non habet locum in casu, ubi jura expresse eam reprobant. Atqui jura expresse dicunt, errorem juris non prodesse ad usucapionem. Sic quippe in lege *Nunquam*, ff, *De usucapionibus*, dicitur : *Nunquam in usucapionibus juris error possessoribus prodest.* Idem in lege 2, § *Si a pupillo*, ff, *pro emptore*, sic habetur : *Si a pupillo emeris, et scias pupillum esse, putes tamen pupillis licere res suas sine tutoris auctoritate administrare, non capies usu; quia juris error nulli prodest.* Similiter lege 4, ff, *De juris et facti ignorantia*, generaliter dicitur : *Juris ignorantia in usucapione negatur prodesse : facti vero ignorantiam prodesse constat.* Neque reperiuntur hæ leges ullibi correctæ, aut per sacros canones aliud quid dispositum. »

Idem tradendo addit Ferraris : « Sic fere communis doctorum sententia » (verbo *Usucapio*, § 2, n. 17). Subjungit autem citatus Reiffenstuel (ibidem, n. 70) : « Nec obstat quod ignorantia inculpata juris excuset a peccato ; sicque videatur possidentem constituere in bona fide, quæ sufficit ad præscriptionem. Respondeo enim, hic quidem induci bonam fidem theologice seu moraliter, quæ excludit peccatum; non autem bonam fidem civiliter seu juridice; eo quod expresse a jure reprobetur in ordine ad effectum præscriptionis. Unde ad inducendam præscriptionem requiritur quidem necessario bona fides theologice; sola tamen non

Digitized by Google

sufficit, nisi concurrat simul bona fides civiliter seu juridice, propter rationem allegatam. »

4° *Bona fides ex ignorantia juris non certi, id est, inter doctores controversi, sufficit juxta multos canonistas ad legitime præscribendum.* — Id vide testatum apud Reiffenstuel (loco citato, n. 77), et apud Ferraris (loco citato, n. 20). Id tamen rejicit dominus Troplong, et dicit a tribunalibus sæcularibus non fuisse admissum (loco citato, n. 926).

5° *In Episcopis Galliæ qui sibi exclusive, contra jus certum collationis simultaneæ, canonicatuum collationem usurparunt, bona fides, non ex ignorantia facti, sed ex errore circa jus provenisse censenda est.* Nullum enim allegatur factum ex quo potuerit error ille exoriri. Quod si existimaverint, sive ex jure communi, sive ex textu decreti erectionis cujuslibet diœcesis, sive ex temporis difficultatibus, dictum exclusivum jus sibi competere, id fuit error juris, non facti.

Ergo revera caruerunt dicti Præsules ea specie bonæ fidei quæ ad legitime præscribendum necessaria est.

Objicies. — Injuriosum est præfatis Galliæ Præsulibus supponere illos ex ignorantia juris errasse. — Respondeo : perperam nonnulli invidiam in me, hujusce quæstionis occasione, concitarunt, quasi dictos Præsules et Galliæ clerum tanquam *ignaros* traduxerim. Aliud quippe est virum aliquem ignarum, seu scientia destitutum pronuntiare, et aliud dicere illum errasse in aliqua particulari juris canonici quæstione. Noto notius est insignis ac præstantissimæ doctrinæ viros in nonnullis quæstionibus, præsertim quibus parum studuerint, errare posse. Cæterum qui adeo acriter rejiciunt dictam hypothesim *bonæ fidei ex errore circa jus*, faveant ipsi aliam pandere quæstionis solutionem. Enimvero certum est imprimis jus collationis simultaneæ revera esse jus commune. Aliunde neque negare possunt, quod propositione secunda probavimus, videlicet Episcopis Galliæ, anno 1802, indultum fuisse jus exclusivum collationis *pro prima vice* dumtaxat; ac proinde, post primam illam collationem, eosdem Præsules hoc exclusivo jure caruisse. Cum tamen hoc exclusivum jus sibi usurpaverint, nisi dicatis id eos *errando bona fide* peregisse, oro amabo, quid aliud dicere potestis, nisi eos *scienter* ac proinde malitiose jus alienum vio-

Digitized by Google

lasse? Quod profecto injuria erit, et quidem omnino gratuita.

VI. *Ergo admittenda præsens nostra propositio quinta, videlicet capitula Galliæ jus suum collationis simultaneæ non amisisse per legitimam ex parte Episcoporum præscriptionem.* — Etenim contra jus illud capitulorum non legitime præscripserunt Episcopi, si eis defuit saltem una e conditionibus requisitis ad legitimam præscriptionem; atqui una saltem defuit, ut probatum est; ergo. Dicimus *saltem una;* quia, si necessarius etiam censendus esset titulus coloratus, non una, sed duæ conditiones defuissent.

Conclusio totius præsentis paragraphi. — Ex præmissis quinque propositionibus colligendum venit, adhuc hodie in Galliis potiri capitula cathedralia jure conferendi, simul cum Episcopo, vacantes dignitates et canonicatus, Sedi Apostolicæ non reservatos. Huic tamen conclusioni non aliter adhæreo, quam si fuerit Romani Pontificis judicio consona.

In prima autem præsentis tractatus editione, paulo aliter disceptationem hanc institueram. Episcoporum Galliæ praxim, vacantes canonicatus absque capitulorum interventu conferentium, expenderam dumtaxat tanquam *consuetudinem contra legem* seu jus commune inductam; et advertere debuissem, non esse tantum consuetudinem contra legem, sed *juris alieni invasionem;* applicanda esse proinde jura, quæ decernunt de necessariis, non ad legitimandam tantum consuetudinem contra legem, sed ad legitimandam *præscriptionem* seu possessionem juris alieni, contra verum juris illius seu rei usurpatæ dominum. Nonnulla insuper ibidem mihi exciderunt minus considerate dicta; verbi gratia, ubi dixi contra canonicos non cucurrisse præscriptionem ex eo quod jus suum ignoraverint. Juris si quidem ignorantia in eo contra quem præscribitur, non est attendenda, nec impedit quin currat contra ipsum præscriptio. Quapropter si quæ fiant novæ post obitum meum hujusce tractatus vulgationes, editores rogo ut ad hanc sese referant, et quæ aliter in prima editione dixi, prætermittant et pro correctis ac rejectis habeant.

Digitized by Google

§ 11

QUOMODO EX REGULIS CANCELLARIÆ COLLATIONES MULTÆ AD ROMANUM PONTIFICEM PERTINEANT

Quæ hucusque de jure conferendi canonicales præbendas disseruimus, intelleximus de jure *ordinariorum* collatorum, abstrahendo a jure Romani Pontificis hujusmodi collationes sibi reservandi. Si enim Sedes Apostolica sibi alicujus beneficii reservaverit collationem, a nullo alio poterit hæc collatio fieri. Hanc reservationum potestatem Romano Pontifici vindicavimus in tractatu *De principiis juris canonici* (ubi disseruimus de *cancellariæ regulis* tanquam juris canonici fonte). De facto autem per dictas regulas Summus Pontifex sibi reservat, tum omnia beneficia vacantia in curia, tum primam dignitatem omnium cathedralium, tum beneficia vacantia octo determinatis anni mensibus, vel saltem mensibus sex, si ab Episcopo acceptetur alternativa.

Vigere porro cancellariæ regulas ubi per concordata aliove modo eis non est derogatum, in præcitato tractatu ostendimus. In Gallia autem quoad beneficia parochialia videmus a concordato anni 1801 factam derogationem, non autem quoad præbendas canonicales.

Et licet praxi jam quadragenaria Episcopi Galliæ omnes canonicatus et dignitates conferant quasi regulæ cancellariæ nullo modo in ea regione jam vigerent, graves exposuimus rationes dubitandi an id recte ageretur.

Difficile præsertim nobis persuademus consentire Apostolicam Sedem, ut primæ saltem dignitatis in cathedralibus collatio ipsi libera non relinquatur. Nondum quidem reclamavit Summus Pontifex; sed œconomicum videri illud silentium, ita ut nullum tacitum consensum involvat, sed opportuniora tempora ad reclamandum exspectari tantum probet, in tractatu de *principiis juris canonici*, adnotavimus.

Digitized by Google

CAPUT V

DE PAROCHO SEU VICARIO PERPETUO CATHEDRALIS, AN AB EPISCOPO, AN VERO A CAPITULO ELIGENDUS ET DEPUTANDUS SIT?

Gravis est hæc quæstio relative ad præsentem ecclesiarum Galliæ statum. In aliis vero regionibus difficultatem non movet. Eam hoc ordine expendemus: 1° Præmittentur quædam notiones de vicariis illis perpetuis curam animarum gerentibus. 2° Probabitur illorum electionem seu nominationem ad capitulum pertinere, quando capitulo annexa est animarum cura. 3° Expendetur quid juris hodie quoad Galliarum cathedrales.

§ 1

PRÆMITTUNTUR NOTIONES QUÆDAM DE VICARIIS PERPETUIS IN CATHEDRALIBUS

Quando agitur de parocho proprie dicto, modus quo debet promoveri ad parochiam vacantem, a sacro concilio Tridentino determinatus fuit. Vacante scilicet aliqua parochia debet Episcopus concursum instituere, et peracto examine, inter eos qui ab examinatoribus synodalibus reperti sunt idonei, digniorem eligere et ei titulum parochialem conferre.

At dispositio illa non habet locum quoad capitulum, quando curam animarum gerit (in cathedralibus autem cura plerumque reperitur sic unita capitulo). Nam capitulum non moritur, nec proinde vacat parochia cujus est parochus, nec proinde datur unquam locus concursui pro vacante tali parochia.

Olim capitulo liberum erat curam animarum exercere eo quo volebat modo: id est, vel deputando ad id aliquem vel aliquos determinatos, vel decernendo, ut quisque canonicus per turnum curam exerceret.

Hanc facultatem capitulis abstulit Tridentina synodus dum (sess. 7, c. 7) voluit ut Episcopi exerceri facerent curam animarum *per idoneos vicarios, etiam perpetuos*. Hoc decretum cum exequi teneantur Episcopi, sequitur nullibi posse jam capitulum per seipsum curam exercere, sed tantum per aliquem vicarium ab Episcopo approbandum. Ita ut capitulum sit qui-

Digitized by Google

dem parochus in *habitu*, non vero actu seu exercitio. Quæ sic exponuntur in *Thesauro resolutionum* Sacræ Congregationis concilii :

« Concilium Tridentinum (sessione 7, c. 7) decrevit quod « Episcopi in parochialibus unitis cathedralibus, collegiatis, « monasteriis aut aliis locis piis exercere facerent curam ani- « marum *per idoneos vicarios*, *etiam perpetuos*. A quorum « verborum tenore inferunt doctores pendere ab arbitrio Epi- « scopi, a circumstantiis regulando, deputationem vicariorum « sive *perpetuorum*, sive *temporalium*. » (*Thesaurus resolu-* « *tionum* S. Congr. conc., t. III, p. 104.) « Sanctus Pius in « bulla 139 bullarii tom. II, in qua loquitur de vicariis consti- « tuendis in parochialibus quæ sunt unitæ capitulis Urbis, « vult vicarios esse perpetuos ; et Fagnanus (in c. *Ex parte*, « n. 9, De officio vicarii) ait expedire ut Sedes Apostolica de- « cernat quod capitula cathedralium et collegiatarum eccle- « siarum curam animarum habentium cogantur ad depu- « tandos vicarios perpetuos qui curæ incumbant. » (Thesaurus, tom. III, pag. 255.)

« Concilium Tridentinum ad providendum curæ animarum « statuit (sess. 7, c. 7) ut *beneficia*, *curata*, etc... Hanc concilii « dispositionem nedum probavit S. Pius V in constitutione quæ « incipit *Ad exequendum*, edita die 1 Novembris 1567 ; verum « etiam illius executionem omnibus Episcopis commendavit, « addiditque ut nominatio vicarii perpetui ad illum spectaret, « cui parochia erat unita. Huic dispositioni adhærens Sacra « Congregatio, etc. » (*Thesaurus resol.* S. Congr. conc., t. LIII, p. 36.)

« Exploratum pariter in jure est, dum erigitur vicaria per- « petua, habitualem curam residere quidem penes capitulum ; « at actualem sive illius exercitium transferri *omnimode* in vi- « carium perpetuum. Hinc nullo modo potest principalis, « spreto vicario, se ingerere curæ animarum. » (*Thesaurus resol.* S. Cong. conc., tom. LXXX, pag. 161 et 262.)

His præmissis, solvenda occurrit quæstio : ad quem pertineat eligere seu nominare hujusmodi vicarium ? An ad capitulum, an ad Episcopum ?

Digitized by Google

§ 2

IN CATHEDRALIBUS ELECTIO ET NOMINATIO VICARII PERPETUI CURATI PERTINET AD CAPITULUM, APPROBATIO AD EPISCOPUM

In tota hac paragrapho supponitur cura annexa capitulo, ut ordinarie contingit in cathedralibus. Quid juris exurgat in casu contrario, adnotatur sub finem paragraphi.

Probationem thesis e quintuplici fonte hauriemus, nempe : 1° E textibus juris. 2° E constitutione sancti Pii V. 3° Ex auctoritate S. Congregationis concilii. 4° Ex auctoritate S. Rotæ. 5° Ex auctoritate doctorum.

I. Probatur variis juris textibus — Alexander III, Vigoriensi Archiepiscopo anno 1170 : *De monachis qui vicarios parœcialium ecclesiarum gravant, eam providentiam habeas, quod ad præsentationem monachorum nullum recipias, nisi tantum si de proventibus ecclesiæ coram te fuerit assignatum, unde jura episcopalia possit persolvere et congruam sustentationem habere* (c. *De monachis*, de præbendis). Ibi agitur generaliter de monasteriis, *quæ gravant vicarios parœcialium ecclesiarum*. Monasteria autem olim in quibusdam parochialibus ecclesiis habebant curam animarum, in aliis exercebant jus patronatus ; porro generaliter supponitur in citato textu ad monasteria illa pertinere *præsentationem* hujusmodi vicariorum per quos exercenda erat cura, ad Episcopum vero approbationem. Idem autem jus intelligendum et intellectum fuisse quoad capitula, sic inter alios animadvertit Cardinalis de Luca : « Ubi agitur de ipsamet principali ecclesia regulari seu mona- « steriali, cui annexa sit animarum cura per unum vicarium « quamvis sæcularem ac perpetuum exerceri solita, tunc casus « videtur indubitatus, ut non intret dispositio conciliaris (sess. 24, « c. 18) (1), sed potius locum habeat dicta constitutio Pii V (2) ; « ut hujusmodi vicarii provideri debeant ad nominationem seu « præsentationem eorum quorum ecclesiis annexa est cura... Ex « quibus liquet id procedere sive ageretur de ecclesiis sæcularibus

(1) Nempe dispositio concilii Tridentini decernentis parochiales vacantes provideri per concursum.

(2) Constitutionem illam modo citabimus.

Digitized by Google

« sive regularibus. » (*De parochis*, discursu XI.) Idem sic clarius reperitur in capite unico, *de capellis monachorum*, in *Sexto: Presbyteri, qui ad curam populi per monachos in eorum eçclesiis præsentantur Episcopis et instituuntur ab ipsis* (*cum debeant esse perpetui, consuetudine vel statuto quovis contrario non obstante*), *ab iisdem nequeunt ecclesiis nisi per Episcopos et ex causa rationabili amoveri*. Et tandem Clementina *Ut constitutio, de jure patronatus*, cujus Clementinæ scopus fuit magis determinare primum textum supra citatum, expresse illum intelligit de ecclesiis *tam regularium quam sæcularium*.

Illa autem juris documenta concilio Tridentino anteriora memoramus, non quod necessaria sint ad probationem thesis, quæ aliunde, ut modo videbitur, firmatur plenissime, sed ut intelligatur jus illud capitulorum eligendi et nominandi vicarios, quos sibi substituebant quando nolebant per seipsa curam exercere, in tota retro antiquitate viguisse. Quod jus minime mutavit Tridentinum; sed tantum decrevit curam animarum in posterum exercendam fore, non per totum simul capitulum, aut per canonicos vice quisque sua in parochialibus sibi succedentes, sed per fixum et determinatum aliquem vicarium.

II. Probatur constitutione sancti Pii V. — In bulla nempe *Ad exequendum*, 1 novembris 1567, sic decernitur : *Volumus insuper et ita mandamus, quod dicti vicarii perpetui non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum in quorum ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum Ordinariorum seu eorum vicariorum prævio examine et approbatione, deputentur* (1). Quæ lex adeo clara est, ut rem omnino definiat, quod et consensu unanimi fatentur doctores. Expresse scilicet decernit ibi S. Pius V, 1° electionem et nominationem dictorum vicariorum non pertinere ad Episcopum; 2° pertinere vero ad eos, quorum ecclesiis annexa est cura animarum, ac proinde ad capitulum, quando capitulo annexa est cura. 3° Unde sequitur decretum Tridentini de habendo concursu minime attingere hujusmodi vicarias perpetuas; nam si tales vicarii sunt ad nominationem capituli, non sunt per formam concursus eligendi, ut patet.

(1) *Bullarium Romanum*, tom. IV, part. II, pag. 402.

Digitized by Google

Ex sola ergo bulla Piana inconcusse probatur thesis. Addemus nihilominus S. Congregationis concilii, et Rotæ, doctorumque auctoritatem.

III. Probatur auctoritate S. Congregationis concilii. — Declarationes quasdam hujus Congregationis sic collegit Garcia (*De beneficiis*, parte IX, c. 2, n. 294) : « Et ita censuit S. Congregatio, ut in « sequentibus declarationibus super cap. 7, sessionis 7 concilii « Tridentini : — *Sacra Congregatio censuit nominationem vi-* « *cariorum ad beneficiatos pertinere, hoc est, ad eos, ad quos* « *beneficia spectant. Sic etiam Pius V dicta bulla, addens : Or-* « *dinarii vel ejus vicarii prævio examine approbationem neces-* « *sariam esse.* — *Ex dicta bulla Pii V nominatio vicariorum* « *perpetuorum spectat ad ecclesias seu loca quibus dictæ paro-* « *chiales sunt unitæ ; et ad dictam nominationem poterit Epi-* « *scopus præficere terminum decem dierum.* — *Nominationem* « *vicarii perpetui sanctissimus Dominus Noster Gregorius de-* « *cimus tertius, audita relatione Congregationis respondit :* « *Spectare, non ad Ordinarium, sed ad eum, cujus est benefi-* « *cium in quo erigitur vicaria.* — Et fuit responsum Episcopo « Abulensi de anno 1593 ut in declaratione sequenti : *Illustris-* « *simi et reverendissimi Domini, pro parte reverendissimi Epi-* « *scopi Abulensis supplicatur declarari sequentia, circa quæ* « *dubitari contingit : Primum dubium : An in assignanda por-* « *tione vicariis attendenda sit dispositio S. concilii Tridentini* « *sessione* 7, *c.* 7, *an vero bulla Pii V ; et an illa sit revalidata* (1), « *et nominatio vicarii spectet ad eum, cujus dignitati vel bene-* « *ficio parochialis est unita, ut in dicta bulla : Secundum du-* « *bium, etc... Perillustris et reverende Domine uti frater, qua-* « *tuor dubitationibus, quæ amplitudinis tuæ nomine per libel-* « *lum his litteris adjunctum propositæ fuerunt illustrissimis* « *cardinalibus, ita sigillatim responsum fuit : Nempe ad pri-* « *mam : utique servandam esse S. memoriæ Pii V constitutio-* « *nem, et nominationem vicariorum sæcularium ad tempus in* « *beneficiis curatis unitis spectare ad amplitudinem tuam ; per-* « *petuorum vero in vim ejusdem constitutionis spectare ad no-* « *minationem illorum, in quorum ecclesiis unitis ponentur. Ipsi*

(1) Contendebant quidam illam bullam fuisse revocatam per quoddam subsequens Sanctæ Sedis decretum.

Digitized by Google

« *tamen prævio examine et approbatione erunt ab amplitudine* « *tua deputandi. Ad secundum, etc...* »

Postquam hæc documenta retulit Garcia subjungit : « Præ- « dicta resolutio et declarationes sacræ Congregationis appro- « bantur et confirmantur per breve Sixti V positum per Man. « Rodriguez in collectione privilegiorum regularium, bulla 22, « Sixti V, pag. 1173. » Inutile duximus plures congerere illius Congregationis declarationes.

4° Probatur auctoritate S. Rotæ Romanæ. — Unicam citabimus hujus tribunalis decisionem, sed in qua indicantur aliæ quam plurimæ.

« Vacante vicaria perpetua, unita ecclesiæ cathedrali civitatis « Reatinæ, reverendissimus Episcopus indixit concursum ; a qua « indictione (habita notitia) per capitulum et canonicos dictæ « cathedralis ecclesiæ fuit interposita appellatio. Sed, ea minime « attenta, concursum complevit; iterumque appellatione inter- « posita nec pariter attenta, Petrum Scossam in vicarium elegit. « Qui cum ulterius, in spretum inhibitionis Rotalis sibi et vi- « cario D. Episcopi personaliter præsentatæ possessionem illius « fuerit assecutus, dubitavi (1), *An constet de attentatis quæ* « *veniant revocanda, et sit apponendum sequestrum.* — Et do- « mini affirmative responderunt. »

« Constat siquidem de attentatis tam respectu reverendissimi « D. Episcopi, quam Scossæ ab eodem electi : respectu enim Epi- « scopi, dum prædicta vicaria unita fuit dictæ cathedrali ecclesiæ, « jus nominandi seu deputandi vicarium spectat ad capitulum et « canonicos, quorum ecclesiæ reperitur facta unio, juxta consti- « tutionem sanctæ memoriæ Pii V, pluries canonizatam tam a « Sacra Congregatione concilii, ut referunt Gonzales (ad reg. 8 « Cancell. gloss. 9, § 3, n. 53), Garcia..., quam a Rota (*ibi ci-* « *tantur plures Rotæ decisiones*). Nec est locus concursui, sed « institutio fieri debet ad electionem et nominationem illorum, « cum approbatione Ordinarii (*ibi iterum citantur plurimæ de-* « *cisiones*). Indicto itaque concursu licuit dictis capitulo et cano- « nicis appellare; et consequenter tam complementum illius « concursus, quam ipsa electio, omniaque gesta post interpositam

(1) Ista vox *dubitavi* in stylo Rotæ significat *proposui Rotæ hoc dubium decidendum*.

Digitized by Google

« appellationem sunt omnino attentata. » (Rota, decis. 48, part. x, recent.)

In decisione 103, parte x, eadem causa iterum tractata fuit, et sententia confirmata contra Episcopum et vicarium ab ipso electum. « Quoad D. Episcopum, dum vicaria de qua agitur unita « fuit cathedrali ecclesiæ Reatinæ, non erat locus concursui, sed « institutio fieri debebat ad electionem et nominationem capituli « et canonicorum, cum approbatione Ordinarii. Ideoque, indicto « concursu, licuit illis appellare (ut responsum fuit in Gerun- « dinensi 3 junii 1645), et consequenter tam ipsa electio quam « omnia gesta post interpositam appellationem sunt omnino at- « tentata. »

5° Probatur auctoritate doctorum. — Jam supra vidimus eam doctrinam ut certissimam habitam fuisse a Cardinali de Luca. Idem etiam exprimit (discursu 10, *De parochis*, n. 2), his verbis : « Posita unione, firmatur etiam conclusio, ut in hujusmodi pa- « rochialibus alteri ecclesiæ vel beneficio unitis (cum non agatur « de principali rectore, sed potius de vicario deputando ad nudum « exercitium curæ, quæ habitu residere dicitur penes eum cui « annexa est), non intret dispositio conciliaris (1), sed potius « constitutio 47 Pii V) (2); non obstante quacumque contraria « observantia, quæ abusui potius et corruptelæ referenda est, ut « in dicta decisione (3) (330, parte IX, recent.), ubi ad satietatem « concordantes. » Vide insuper ejusdem auctoris discursum 12, *De parochis*.

Concordat Garcias (*De beneficiis*, parte IX, c. 2, n. 285) : « An « in vicariis perpetuis parochialium unitarum debeat fieri con- « cursus, sicut in parochialibus saltem juris patronatus ecclesias- « tici ? — Dicendum est in hujusmodi vicariis non debere fieri « concursum, sed solum ad nominationem seu præsentationem « illorum quorum dignitati vel ecclesiæ parochialis est unita « et annexa, deputandos et instituendos esse. » Ibi adducit citatus auctor varios juris textus, variosque auctores, et tandem de-

(1) Nempe decretum concilii Tridentini de instituendo concursu pro parochiis vacantibus.

(2) Bulla scilicet *Ad exequendum*, quam supra citavimus.

(3) Nempe S. Rotæ. — Has apponimus notulas in gratiam tyronum, qui hirsuto Cardinalis de Luca stylo nondum sunt assuefacti.

Digitized by Google

cisionem Rotæ in Tirasonensi 27 maii 1588, quæ sic habet : « Do-
« mini concorditer tenuerunt jus præsentandi competens capi-
« tulo Tirasonensi ad vicarias de quibus agitur non esse sublatum
« per concilium Tridentinum (sess. 25, c. 9)... Quia capitulum
« Tirasonense non habet hoc jus præsentandi ex privilegio, sed
« ex dispositione juris communis. Cum enim capitulum et cano-
« nici sint rectores, ad ipsos ex dispositione juris communis per-
« tinet jus præsentandi vicarios qui exerceant curam animarum,
« et ut sustineant vices suas et deserviant in locum suum; et
« jus instituendi spectat ad Episcopum. » Adductis variis aliis auctoritatibus, et præsertim Piana bulla, sic concludit Garcias n. 293 : « Unde in hujusmodi vicariis non solum non requiritur
« concursus, sed nec examen nominati cum examinatoribus sy-
« nodalibus; sed sufficiet examen et approbatio Ordinarii. »

Eamdem reperimus doctrinam apud Leurenium (*Forum beneficiale*, parte I, c. 3, quæst. 116) : « A quo constituendi vicarii
« perpetui? Respondeo primo in genere : vicarium perpetuum
« non constitui nisi vel per Papam, vel per Episcopum, vel per
« ipsum curatum seu principalem rectorem. Hæ enim sunt tres
« illæ personæ, a quibus omnino necesse est pendere, et qui-
« dem immediate cujuscumque ecclesiæ curam. Respondeo se-
« cundo in particulari : vicarios perpetuos in parochialibus unitis,
« non ad liberam Ordinariorum deputationem, sed ad nomina-
« tionem illorum ad quos spectant ecclesiæ unitæ vel beneficia in
« quibus erigitur vicaria, spectare. Sic expresse statuit Pius V. »
Supervacaneum esset, plura canonistarum congerere testimonia, cum in hac materia communis sit eorum sententia.

Contrarium quidem est decretum 24 actionis 2 concilii Toletani anni 1565; sed respondent doctores in hoc a recto tramite declinasse provincialem illam synodum : « Dictum decretum concilii
« Toletani (ait Garcias loco cit. n. 296) videtur contra jus, et egere
« confirmatione Papæ, et alias non valere. »

In tota præsenti paragrapho supposuimus curam animarum annexam cathedrali seu capitulo, ita ut capitulum censeatur parochus in habitu, licet actu curam non exerceat. Et hoc modo unio curæ existit in plerisque cathedralibus. Videtur autem absolute fieri posse ut in cathedrali erigatur parochia capitulo non unita. Tunc vero vicarius perpetuus ibi constitutus, habendus est tan-

Digitized by Google

quam parochus proprie dictus; et improprie vocatur vicarius curatus, quando nullus extat rector principalis curam habens saltem in habitu. Unde tali curato applicanda veniunt eadem jura quæ cæteris parochis. Id est, ipsius nominatio non pertinet ad capitulum, sed institui debet facto concursu et examine per synodales examinatores. (Vide Garciam, *De benef.*, parte XI, c. 2, n. 229 et seq.)

Hucusque facili gressu juris communis tramitem prosecuti sumus, præeunte scilicet auctoritatum face. At nunc dum ad præsentem ecclesiarum Galliæ statum devenimus, reliquum viæ pro quæstionis novitate soli cogimur decurrere atque aperire. In quo si quid ad dexteram vel sinistram deflexerim, post me venturis cursoribus corrigendum libenter submitto.

§ 3

QUID JURIS QUOAD CATHEDRALES HODIERNAS GALLIÆ ET ALIARUM REGIONUM QUÆ CONCORDATO ANNI 1801 REGUNTUR?

1. Certum est in plerisque istis cathedralibus curam capitulis fuisse unitam, ita decernentibus, tum primis post prædictum concordatum Episcopis, a Cardinali Caprara legato Pontificio quoad hujusmodi dispositiones perficiendas subdelegatis, tum etiam in diœcesibus nonnullis a successoribus Præsulibus. Uni scilicet e canonicis cura in perpetuum committi solet.

2. Peracta hac unione, certum est de jure communi supra exposito, in dictis cathedralibus electionem et nominationem vicarii curati ad capitulum pertinuisse et pertinere; approbationem vero ad Episcopum.

3. At non minus certum est prædictam electionem et nominationem de facto a solis Episcopis a tempore concordati ad hunc usque diem fuisse peractam. Quod quidem si ex indulto Apostolico alicubi gestum sit, nullam difficultatem habet, cum Sanctæ Sedi non desit potestas juri communi derogandi.

4. At vero casum expendimus abstrahendo ab hujusmodi concessione Episcopis a Summo Pontifice facta. Et sic posita quæstione hæc videntur concludenda : *Primo*, initio potuisset capitulum nominare atque Episcopo approbandum suum electum præsentare, et nominationis ab Episcopo factæ via juridica exe-

Digitized by Google

cutionem impedire. *Secundo*, non reclamantibus capitulis consuetudo inducta est in favorem Episcopi. *Tertio*, consuetudo illa versatur in materia præscriptibili : nam neque ex natura sua est irrationabilis, neque ut talis ab ullo juris textu reprobatur ; unde videtur omnino admittendum Episcopos contra jus illud capitulorum præscribere potuisse ; ita ut tota quæstio reducatur ad hos terminos : utrum inducta jam Episcoporum possessio habeat conditiones ordinarias a jure communi requisitas ad præscribendum. *Quarto*, quod dictum est supra de collatione canonicatuum (deesse nempe Episcopis unam e necessariis conditionibus ad præscribendum legitime contra capitula jus exclusivum collationis), id ipsum hic, et ex iisdem rationibus applicandum venit. Remittimus ergo ad paragraphum 10 præcedentis capitis. Et sicut ibi conclusum fuit, adhuc hodie in Gallia capitulis competere jus collationis simultaneæ non obstante contraria Episcoporum possessione, ita et iisdem capitulis competere vicarii perpetui cathedralis nominationem, non obstante simili contraria praxi, concludendum videtur.

§ 4

AN VICARIUS CURATUS CATHEDRALIS DEBEAT NECESSARIO ESSE PERPETUUS

Propositio 1ª — *Potest Episcopus, si ita opportunum judicaverit, permittere capitulo ut curam exerceat per vicarium amovibilem.* — Sic decrevit Tridentina synodus : *Beneficia ecclesiastica curata quæ cathedralibus annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum singulis annis visitentur : qui sollicite providere procurent, ut per idoneos vicarios* (*etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis aliter expedire videbitur*), *cura laudabiliter exerceatur* (sess. 7, c. 7 *De ref.*). Cum dicat sancta synodus *etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis aliter expedire videbitur*, profecto sequitur posse capitulum nominare vicarium ab eodem capitulo revocabilem, quando id permittit, et attentis circumstantiis utile reputat Episcopus.

Objici quidem potest decretum ejusdem concilii (sess. 24, c. 13), in quo sic statuitur : *in iis quoque locis, ubi parochiales ecclesiæ certos non habent fines, nec earum rectores proprium*

Digitized by Google

populum, mandat sancta synodus Episcopis... ut distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent. At respondetur id verificari et servari, quando ipsum capitulum est parochus habens certos limites et populum assignatum, ut docent Corradus (*Praxis benef.*, l. 2, c. 2, n. 51), Gratianus (*Disceptationes forenses*, c. 865, n. 35), Gonzales (*Comment. ad regulas cancellariæ*, glossa 7, n. 71), Barbosa (*De officio parochi*, part. 1, c. 1, n. 44), Rota (coram Puteo, decis. 290). Confirmatur ex praxi multis in locis post concilium Tridentinum servata, ubi annuentibus Episcopis, et sacra Congregatione concilii, ac ipsis etiam Romanis Pontificibus, capitula perrexerunt curam exercere per vicarium amovibilem, et quotannis, verbi gratia, a capitularibus eligendum.

Propositio 2ª. *Potest Episcopus statuere ut capitulum curam non exerceat nisi per vicarium perpetuum, seclusa immemorabili in contrarium capituli possessione, aut speciali privilegio.* — Sequitur ex citatis Tridentini decreti verbis : *procurent ut per vicarios, etiam perpetuos, cura exerceatur.* Et ita tenent unanimiter doctores ; qui varias insuper citant sacræ Congregationis concilii in hunc sensum declarationes. Semel autem erecta vicaria perpetua, Episcopo jam liberum non est illam supprimere, ut iterum cura committatur vicario per capitulum revocabili.

Propositio 3ª. — *Etiamsi capitulum ab immemorabili esset in possessione nominandi vicarium amovibilem, videtur posse Episcopus illum mutare in perpetuum, seu erigere vicariam perpetuam.* — Decretum enim Tridentinum potestatem facit Episcopo exigendi ut per vicarium perpetuum cura exerceatur, *privilegiis et exemptionibus minime suffragantibus.* Præterea Corradus (*Praxis benef.* l. 3, n. 6) refert declaratum fuisse a sacra Congregatione concilii hoc modo : *Per hoc decretum tollitur consuetudo immemorabilis, ut in illis beneficiis unitis deserviatur per capellanos amovibiles, nisi aliter Episcopo videbitur.* Aliæ prodierunt ejusdem Congregationis declarationes, quibus consuetudo vicariorum amovibilium variis in locis sublata est. Atque inter alias, die 5 septembris 1846, id effectum est in diœcesi Narniensi ; et die 5 junii 1847, similis prodiit decisio pro diœcesi Novariensi (vide in *Thesauro resolutionum* causam

Digitized by Google

Narniensem, 9 septembris 1848). Ob illas auctoritates, non videtur capitulum, opponendo suam praxim immemorabilem curam exercendi per vicarium a se revocabilem, posse impedire ne Episcopus erigat vicariam perpetuam et dictam praxim auferat, quantumvis immemorabilem.

Quoad *privilegia* quibus Apostolica Sedes capitulis concessit ut exercere valeant curam per vicarios revocabiles, vel sunt anteriora Tridentinæ synodo, et his derogavit illa synodus, ac proinde non valent; vel sunt posteriora, et si de illis vere constet, non poterit Episcopus erigere vicariam perpetuam.

Propositio 4ª. — *Generaliter loquendo, expedit ut in cathedralibus cura animarum per perpetuum, et non per revocabilem ad nutum capituli vicarium exerceatur.* — Ita tenent unanimiter doctores, eadem fere urgentes rationum momenta, quæ in memorata causa Narniensi hoc modo exhibebat contra suum capitulum Episcopus: « Cura ecclesiæ hujus cathedralis « est maximi momenti, tum ob animarum copiam, tum etiam « ob primatus honorem. Porro parochi confirmatio quotannis « periclitatur; atque contingere potest (hisce præcipue tempo- « ribus), ut qui electus est, post annum rejiciatur etiam absque « causa. Tunc contingeret ut pastor amoveretur cum inciperet « oves cognoscere: quid abnormius? Multa insuper parochus « odiosa agere debet: at quis odiosa suscipiat, si periculum re- « motionis ab officio immineat? Et remotionis periculum nonne « eo magis augetur, quo odiosa suscipiantur? — Atqui, arguit « contradictor, nullam anteactis temporibus remotionem evenisse « quoad parochos, qui si officium suum expleant, eam pavere « nequeunt. — Nullam vel fere nullam remotionem anteactis « temporibus contigisse concedo. An autem odiosa prout juris « erat, parochi obierint, ne perscrutemur. Res hæc (vere odiosa) « sub judice sit. Ipsis fortasse agendi animus non defuit; sed ne « in odium inciderent, fortasse etiam juris remedia non adhibue- « runt. Hæc saltem suspicio in re tanti momenti ad parochum « perpetuandum urgere debet. » (In *Thesauro resolutionum*, tomo anni 1848, pag. 399.)

Digitized by Google

CAPUT VI

AD QUEM DE JURE COMMUNI PERTINEAT COLLATIO CANONICATUUM ET PRÆBENDARUM ECCLESIÆ COLLEGIATÆ

Vidimus collationem canonicatuum cathedralis regulariter pertinere simul ad Episcopum et capitulum. « Diversa tamen « est regula quoad provisionem illorum in ecclesiis collegiatis; « nam illorum provisio *regulariter* facienda est ad electionem « ipsius collegii (text. in cap. *Transmissa*, De renunc. — et cap. « *Significatur*, de præbenda, — Garzia, *De beneficiis*, parte v, « c. 4, n. 58 et seq., — cardinalis de Luca, *De beneficiis*, dis- « cursu 17, n. 5, — Rota, decisio 157, n. 22, part. vi, — deci- « sio 133, n. 3, parte vii). Tamen hoc est solummodo verum, « quoties præsumptio stet quod canonicatus dotati fuerint de « bonis ac juribus ipsius collegiatæ, prout semper militat dicta « præsumptio ad ejus favorem (Rota, decisione 157, n. 25, part. « vi). Secus vero quoties constaret, quod illorum erectio secuta « fuisset mediante unione seu suppressione beneficiorum liberæ « collationis Episcopi. » (Scarfantonius, t. I, pag. 14, n. 76, editio Lucæ, 1723.)

Item cardinalis de Luca dicit, esse *dispositionem juris communis, ut in ecclesiis collegiatis, canonicatuum vel beneficiorum provisio pertineat ad ipsum collegium seu capitulum.* (*De beneficiis*, discursu, 17, n. 5.)

Idem reperimus decisum a S. Rota his verbis : « De jure com- « muni jus eligendi canonicos in collegiatis spectat ad capitulum « et canonicos; jus vero instituendi spectat ad Episcopum » (ibi citantur multi doctores); « et quamvis dispositio juris com- « munis recipiat limitationem quando Episcopus in limine fun- « dationis dedit dotem de bonis suis, videlicet mensæ episcopa- « lis, attamen in præsenti casu non potest Episcopus allegare « talem donationem... Alleganti hoc tale fecisse ex bonis propriis, « incumbit onus probandi plene et concludenter...; eo quia be- « neficia præsumuntur dotata de bonis propriis ejusdem eccle- « siæ. » (Decisio 226, n. 1 et seq., partis vii, rec.)

Digitized by Google

PARS TERTIA

AD QUID TENEATUR CAPITULUM, SEU DE CANONICORUM OBLIGATIONIBUS

In prima hujus tractatus Parte vidimus *quid sit capitulum;* introspeximus scilicet venerandæ et perantiquæ hujus institutionis naturam essentialiaque attributa et intimam ordinationem. In secunda Parte inquisivimus *a quo sit capitulum*, id est, a quanam potestate creari seu constitui possint tum capitula, tum capitulorum membra. Nunc dicendum *ad quid teneatur*. Corpus enim illud clericorum varia habet exercenda officia; variis, tum ex fine suo essentiali, tum ex jure positivo, subjacet obligationibus; quibus exponendis præcipue intentus esse debet quisquis voluerit utiliter de capitulis tractationem instituere.

CAPUT I

OBLIGATIONES ERGA EPISCOPUM, SEU DE JURIBUS EPISCOPI ERGA CAPITULUM

Correlativum est Episcopum habere jus aliquod in capitulum, et capitulum erga Episcopum obligari. Summopere autem præstat apprime discernere ad quænam sese extendant jura Episcopi in capitulum; tum ne indebita exigat Episcopus, tum ne debita Episcopo recusent canonici, et sic lites et conflictus præcaveantur.

§ 1

QUÆNAM HONORIFICA TENEATUR CAPITULUM EXHIBERE EPISCOPO

Punctum I. — *Honorifica Episcopo exhibenda quoad locum.* — 1° Debetur Episcopo tum in choro, tum in capitulo, tum in processionibus et aliis actibus publicis, prima sedes et locus et præcipua agendorum auctoritas. Sequitur ex natura ipsa dignitatis episcopalis : sed idem insuper decrevit Tridentina synodus

Digitized by Google

(sess. 25 *De ref.* c. 6) : *Episcopis ubique is honor tribuatur qui eorum dignitati par est, eisque in choro et in capitulo, in processionibus et aliis actibus publicis sit prima sedes et locus quem ipsi elegerint, et præcipua omnium rerum agendarum auctoritas.* Primus autem locus ille existimandus est, quem Episcopus elegerit. Vide patrem Andreucci (*De tuenda concordia,* parte 1, cap. 2).

2° Debetur baldachinus unus, aut etiam plures, si Episcopus elegerit plures locos fixos ad varias functiones. « Hic autem « locus, si sit in ecclesia vel alibi statutus ac fixus ad func- « tiones publicas, cooperiri debet umbella seu baldachino, et « quidem etiamsi plures in eadem ecclesia ad plures functiones « statuti sint loci; unde potest Episcopus in una eademque « ecclesia plures habere fixas sedes cum baldachino ad varias « functiones. » (Andreucci, loco citato.)

Ad dubium, « an Episcopo pontificalia exercenti competat « retentio baldachini seu umbraculi etiam pretiosi et aurati su- « pra sedem positam a latere altaris majoris, — S. Rituum « Congregatio rescribendum censuit : *Competere, dummodo « non sit pretiosum nec auratum.* 20 augusti 1729. » (Apud Gardellini, n° 3837, ad 5.)

Punctum II. — *Honorifica Episcopo debita quoad assistentiam.* — Tanquam certum atque extra omnem controversiam positum tenendum est principium illud generale, *Episcopo solemniter celebranti aut alia pontificalia exercenti deberi assistentiam a dignitatibus et capitulo.* Id ipsa exigit episcopalis præeminentia et dignitas : id tanquam legem sanctissime tota retro antiquitas servavit : id expresse sancivit Tridentina synodus, de dignitatibus et canonicis ita præcipiens : *Compellantur... Episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere et inservire.* (Sess. 24, c. 12, *De ref.*)

At vero, prout in materiis frequentem præsertim praxim respicientibus accidere solet, multa circa modum generali huic obligationi variis in casibus satisfaciendi orta sunt dubia; quæ ab Apostolica Sede mediantibus Romanis Cardinalium congregationibus fuerunt diversis temporibus decisa. E quibus præcipua saltem et scitu utiliora hic commemoranda sunt.

Digitized by Google

1° Assistentia præstari debet juxta formam quam regulæ Pontificalis Romani præscribunt. — A Sacra Congregatione Rituum sequens dubium inter alia declarari supplicaverat Cardinalis de Castro, Hispalensis Archiepiscopus : « An quando ipse Cardinalis « Archiepiscopus solemniter celebrat vel alia pontificalia mu- « nera exercet, compellere possit dignitates et canonicos, univer- « sumque capitulum ecclesiæ suæ metropolitanæ ut sibi assis- « tant et inserviant? Et posito quod eos cogere possit, prout sibi « jure licere existimat, quonam ritu et a quibus inserviendum « et assistendum sit? — Congregatio respondit : *Posse Archie-* « *piscopum ex decreto concilii Tridentini* (*sess.* 24, *c.* 12) *eos* « *compellere ut sibi assistant et inserviant. Modus autem* « *assistendi et inserviendi is esse debet, quem regulæ Pontifi-* « *calis Romani præscribunt.* Die 23 martii 1592. » Quod decretum confirmatum fuit litteris in forma brevis a Clemente VIII, die 13 junii 1592. (Apud Gardellini in tomi 7 appendice, sub n° 21, pagina vero 19.) Idem probari posset multis aliis decisionibus; sed eas omittimus, cum nulla circa hoc extet controversia.

2° Debetur etiam assistentia Episcopo, quando pontificalia exercet alibi quam in cathedrali ecclesia, modo tamen non extra civitatem aut suburbia. — Inter varia proposita dubia a cardinali de Castro Hispalensi Archiepiscopo ita legebatur sub numero 2 : « Præterea, si quando contingeret ut missa per « eumdem Archiepiscopum solemniter celebranda vel aliæ func- « tiones pontificales essent exercendæ extra metropolitanam « ecclesiam, in aliqua tamen ejusdem civitatis vel suburbiorum, « an similiter possit compellere capitulares ut sibi inserviant « et assistant, et si prædicta ecclesia esset collegiata, in eaque « aliæ dignitates et canonici adessent? » S. Congregatio rituum respondit : *Licere etiam ipsi Archiepiscopo eosdem compellere, quoties ad alias ejusdem civitatis et suburbiorum ecclesias accedit ad aliquod pontificale munus exercendum. Verum cum honoris et servitii sui causa voluerit ab ecclesia metropolitana dignitates et canonicos aliosque capitulares extrahere, qui sibi solemniter celebranti vel pontificalia exercenti assistant et inserviant, curet* (*ut par est*) *ne ipsa ecclesia metropolitana ministris omnibus destituatur, debitoque cultu et officio de-*

Digitized by Google

fraudetur. Accedens vero ad ecclesias, in quibus aliæ adsint dignitates et canonici... sciat dignitates et canonicos ecclesiæ metropolitanæ debere omnino præcedere dignitates et canonicos ecclesiæ collegiatæ. (Apud Gardellini in citata appendice, tomi VII, n. 21.) Quod decretum a Clemente VIII confirmatum est per litteras in forma brevis, die 13 junii 1592.

Eadem S. Congregatio die 20 novembris 1628, Fesulano Episcopo ita censuit rescribendum: *S. Congregatio mandavit servari decretum in Salamantina factum die* 10 *januarii* 1604, *in quo fuit dictum canonicos cathedralis non solum teneri, sed etiam cogi posse, ut Episcopo inserviant, quando accedit ad alias ecclesias extra cathedralem ad episcopales functiones exercendas.* (Apud Gardellini, t. I, n. 627.) Idem reperies decisum sub numero 1414 ejusdem collectionis.

Concordant etiam canonistæ, inter quos vide Scarfantonium (tom. II, pag. 52, edit. Lucæ, 1723), Pignatellum (tom. V, consult. 83), Benedictum XIV (*Institutiones eccles.*, inst. 107). Certum ergo omnino est deberi assistentiam Episcopo, etiam extra cathedralem pontificalia exercenti.

3° In prædicto casu, Episcopi nempe extra cathedralem pontificalia exercentis, non tenetur totum capitulum assistere : et quot numero tunc assistere debeant? — Quod totum capitulum non teneatur in hoc casu assistentiam præstare, jam vidimus a S. Congregatione rituum declaratum his verbis : *Curet* (nempe Archiepiscopus) *ne ipsa ecclesia metropolitana ministris omnibus destituatur debitoque cultu et officio fraudetur.* Sed idem per plura decreta apostolica provisum fuisse testatur Cardinalis de Luca (Miscell. discursu, 33); atque id extra omnem controversiam est. At vero inquirendum remanet quot canonicos Episcopus ad sibi extra cathedralem inserviendum abducere possit. Barbosa (*De canonicis,* 34) existimat duos saltem canonicos ad talem assistentiam esse deputandos. Scarfantonius putat quinque esse necessarios, nempe duos qui diaconum et subdiaconum agant, et insuper primam dignitatem cum duabus aliis dignitatibus vel duobus canonicis (t. II, pag. 53, edit. Lucæ, 1723). Regula autem potius e responsionibus sacræ rituum Congregationis est desumenda. Ad dubium, « an cano-
« nici cathedralis teneantur assistentiam præstare Archiepi-

Digitized by Google

« scopo (1) pontificalia exercenti extra cathedralem? — Sacra « Congregatio respondit : *Tres canonicos cathedralis in civi-* « *tate teneri assistere archiepiscopo pontificalia exercenti : at* « *extra civitatem non esse cogendos.* Die 13 julii 1658. » (Apud Gardellini, n. 1763.)

In causa autem Aquilana 19 decembris 1665, sacra eadem Congregatio declaravit, *capitulum et canonicos cathedralis civitatis Aquilæ teneri assistere Episcopo pontificaliter celebranti, etiam extra cathedralem, dummodo numerus sufficiens canonicorum remaneat in cathedrali pro servitio dictæ ecclesiæ.* (Apud Gardellini, n. 2202.) Perpensis autem iis declarationibus, non videtur aliquem certum numerum canonicorum posse assignari, quos liceat Episcopo in sui assistentiam abducere, ita ut ille numerus tanquam regula servari ubique debeat. Tres quidem canonicos ad assistentiam teneri declaravit dicta congregatio; at dici potest eam assignationem ecclesiam Ragusinam tantum respicere, et ita ob hujus ecclesiæ circumstantias particulares fuisse responsum; cum in altera citata responsione id tantum præcaveatur, ut in cathedrali *sufficiens* canonicorum numerus remaneat. Unde concludendum videtur non restringi Episcopum ad talem vel talem numerum, sed rem ex circumstantiis pendere, et id tantum certum esse, non posse Episcopum tot canonicos ad sibi assistendum extra cathedralem assumere, ut non remaneat sufficiens in cathedrali pro convenienti servitio numerus.

4° An et quomodo teneantur canonici Episcopo ordinationes extra cathedralem peragenti assistere? — Licet ille casus sub præcedentis generalitate comprehendatur, dubia tamen de illo in particulari sunt orta. En autem aliquas decisiones quæ illum respiciunt. « Sacra rituum Congregatio inhærendo decretis alias « in similibus casibus factis respondit : *Canonicos teneri minis-* « *trare, assistere et inservire Archiepiscopo ordinationes tam* « *intra quam extra ecclesiam cathedralem celebranti, dum-* « *modo in cathedrali tot canonici et ministri remaneant, qui* « *satis sint ad divina officia celebranda,* 7 julii 1612. » (Apud Gardellini, n. 312.) Idem reperitur decisum in citata collec-

(1) Nempe Ragusino qui casus decisionem postulabat.

Digitized by Google

tione, numero 1392. Certa ergo est assistentiæ obligatio etiam quando Episcopus extra cathedralem ordinationes celebrat.

Sed occurrit dubium, utrum id intelligendum sit non solum de ordinationibus solemnibus, sed etiam de privatis. Ad cujus difficultatis solutionem faciunt duæ sequentes decisiones:

« Canonici cathedralis ecclesiæ Ducalis a S. rituum Congre-
« gatione declarari enixe postularunt: an ipsi teneantur capitu-
« lariter assistentiam præstare Episcopo ordinationes peragenti?
« — S. Congregatio respondendum esse censuit: *Canonicos*
« *prædictos teneri ad præfatam assistentiam, quando solemni-*
« *ter in cantu inter divina officia fiunt ordinationes; si vero*
« *fiant privatim, tres tantum ex ipsis debere Episcopo inser-*
« *vire.* Die 7 decembris 1658. » (Apud Gardellini, sub numero 1797.)

« An canonici cathedralis teneantur assistentiam præstare
« Episcopo extra cathedralem ipsam sacras ordinationes fa-
« cienti? — Eminentissimi ac reverendissimi patres sacris tuen-
« dis ritibus præpositi... perpendentes alias ab hac sacra Con-
« gregatione decretum fuisse, canonicos cathedralis teneri ad
« assistentiam Episcopo præstandam tam intra quam extra
« cathedralem, atque etiam privatim ordinationes peragenti,
« rescribendum censuerunt: — *Serventur decreta in una Ve-*
« *literrana diei* 6 *septembris* 1698, *in Grossetana diei* 16 *sep-*
« *tembris* 1655, *ac civitatis Ducalis diei* 7 *septembris* 1698,
« *necnon cæremoniale Episcoporum.* 23 maii 1835. » (Apud Gardellini, tom. VIII, n. 4591.)

Ex illis porro decretis videtur concludendum, Episcopo *privatim* ordinationes peragenti deberi quidem assistentiam, sed trium canonicorum tantum.

5° Etiam quando Episcopus pontificalia exercet extra tempus divinorum officiorum, et etiam, quando solemnes ad populum conciones habet, debetur ei capitularis assistentia. Etenim, ad dubium 2 (in *Calaritana*, 3 decembris 1701) sic propositum:
« An archiepiscopus possit cogere etiam per censuras dignitates
« et canonicos ad sibi capitulariter assistendum, quando pro
« suo arbitrio et extra tempus divinorum officiorum vult exer-
« cere pontificalia, vel solemnes ad populum conciones habere?
« — S. rituum Congregatio censuit respondendum — *Ad* 2.

Digitized by Google

« *Teneri, et posse cogi canonicos assistere Archiepiscopo con-* « *cionanti pontificaliter, cum pluviali, mitra et baculo.* » (Apud Gardellini, n. 3456.)

6° « An duo primi canonici post primam dignitatem sedentes, « debeant assistere Episcopo celebranti, in habitu diaconali; « vel potius unus servire debeat in officio diaconi evangelii, et « alter in officio subdiaconi? — Eminentissimi et R. Patres « tuendis ritibus præpositi... rescribendum censuerunt: *Affir-* « *mative ad primam partem, negative ad secundam.* » (Apud Gardellini, t. VIII, n. 4679.)

7° Quando Episcopus ad cathedralem pontificaliter accedit, aspersorium ei a prima dignitate capituli cathedralis esse porrigendum multoties decisum est. At vero quando ad aliam ecclesiam assistente cathedrali capitulo accedit, aspersorium non a digniore de cathedrali capitulo, sed a superiore ecclesiæ, ad quam acceditur, est porrigendum. Quod a S. rituum Congregatione vide decisum apud Gardellini, tomo VIII, n. 4738.

8° « An Episcopo alicui sacræ functioni in cathedrali aut in « ecclesiis civitatis assistenti, debeatur assistentia duorum cano- « nicorum? — S. Congregatio (Rituum)... censuit: *affirma-* « *tive, sed extra cathedralem cum moderatione, ne fraudetur* « *chori servitium.* Die 7 decembris 1844. » (Apud Gardellini, t. VIII, n. 4858.)

9° An canonici Episcopo assistentes possint uti pileolo? — Vel actu ministrant Episcopo, vel non. Si prius, uti nequeunt. Si posterius, verbi gratia, dum sedent sedente Episcopo, possunt uti. Concluditur ex duabus sequentibus decisionibus:

« An pileolo uti possint canonici assistentes Episcopo in « functionibus ecclesiasticis, tam in altari quam in cathedra « episcopali? » S. rituum Congregatio die 20 aprilis 1822, respondit: *Negative ad primam partem, et quoad secundam, affirmative, dummodo non ministrent.* (Apud Gardellini, n. 4435, ubi vide notam editoris de hac re.)

Propositis inter alia sequentibus dubiis: « 4° An pileolum « retinere possint canonici in choro et solio assistentes, dum « descendunt ad circulum ad *Gloria*, *Credo*, *Sanctus* et *Agnus* « *Dei?* — 5° An canonici utcumque Episcopo ministrantes in « sacris functionibus, debeant semper id præstare capite de-

Digitized by Google

« tecto et absque pileolo? — 6° An iidem canonici Episcopo « ministrantes dum sacrum peragit, saltem possint retinere pi- « leolum usque ad consecrationem, illudque resumere sump- « tione peracta? » — Sacra Congregatio respondendum censuit: *Ad* 4, *negative in omnibus expressis circumstantiis. Ad* 5, *semper sine pileolo. Ad* 6, *in sacris functionibus nunquam pileolo uti posse.* Die 14 junii 1845. (In collectione Gardelliana, n° 4873.)

10° An canonici compelli possint ad assistendum et inserviendum Episcopo dum privatim missam celebrat? Eos cogi non posse vide decisum a sacra rituum Congregatione apud Gardellini (n. 2418 et 1727); et præsertim si celebret extra cathedralem (n. 3169 et 3184). Imo ultro volentes prohiberi possunt a detrectantibus (n. 4059).

Fossanensi tamen Episcopo die 15 januarii 1661 a S. rituum Congregatione rescriptum est, posse per censuras cogi canonicos ad ei in cathedrali *privatim* celebranti assistendum (Gardellini n. 1944). Sed jus illud videtur ex consuetudine particulari fuisse inductum in Fossanensi ecclesia, et propter illam particularem consuetudinem ita fuisse decisum. Quod autem titulo consuetudinis possit tale jus Episcopo competere, innuit eadem sacra Congregatio in supra citata decisione numeri 1727, ubi sic declarat: « Et non posse cogi canonicos ad inserviendum Archiepiscopo in missis privatis, *præter consuetudinem.* »

11° Certum est præterea, ut infra stabiliemus, posse Episcopum apud se detinere duos de capitulo, qui sibi in administratione ecclesiastica auxilientur et perpetuo inserviant.

12° Episcopo pontificaliter celebranti missam canonici debent ministrare septem candelas, etiamsi aliter statuta ecclesiæ disponant (Gardellini, n. 630). Assistentes Episcopo sedere debent in scabellis nudis (Gardellini, n. 727). In porrigendo aspersorio et benedictione incensi, osculari debent manum Episcopi (n. 1455).

13° Canonici in confectione sacrorum oleorum implere debent numerum duodecim presbyterorum, quatenus sine ipsis numerus sufficiens non reperiatur (Gardellini, n. 161).

14° Canonici accedentes in habitu ordinario ad aliquam ecclesiam, ad quam Episcopus in habitu pariter ordinario accedit,

Digitized by Google

non tenentur genuflectere, dum ipse populo solemniter benedicit, neque eum abeuntem usque ad rhedam associare (apud Gardellini, n. 1486 — 1499 — 1546).

15° Prima dignitas capituli fungitur officio presbyteri assistentis Episcopo celebranti seu assistenti. Idem præstare debet in benedictione candelarum, cinerum et palmarum: ita decisum a S. Congregatione rituum vide apud Gardellini, t. VIII, n. 4484.

16° Canonici assistere Episcopo renuentes plectendi sunt aliis pœnis ultra amissionem distributionum (n. 1447 collectionis Gardellianæ).

Punctum III. — *Debita Episcopo quoad associationem.* — Sicut debetur pontificalia exercenti Episcopo assistentia, ita et iisdem de causis certum est ei deberi associationem. Quæ Episcopi associandi lex sic in Cæremoniali Episcoporum exprimitur (l. I, c. 15): *Cum Episcopus rei divinæ peragendæ causa ad ecclesiam venturus erit, sive ipsemet celebraturus sit, sive alter, debent canonici omnes, in eorum ecclesiastico et canonicali habitu, appropinquante hora, ad illum accedere, eumque cappa indutum... ad ecclesiam progredientem, comitari et deducere. Præibunt familiares Episcopi, et (si aderit) magistratus, aut alii nobiles et illustres viri immediate ante Episcopum: tunc ipse Episcopus, et post eum sequentur Canonici bini, juxta antiquam et canonicam disciplinam. Quod si fuerit Archiepiscopus aut alius utens cruce, ipsa crux immediate ante Archiepiscopum per aliquem capellanum deferetur, imagine crucifixi ad Archiepiscopum conversa, inter quam et Archiepiscopum nullus omnino incedat; est enim insigne ipsius. Eo ordine procedent usque ad portam primariam ecclesiæ. Ibi dignior ex capitulo porriget Episcopo aspersorium cum osculo aspersorii et manus... In redeundo idem ordo servatur.* — In libri autem I capite 2, sic præscribitur quoad reditum: *procedet ad locum suæ habitationis; quem dignior ille de capitulo, dimisso pluviali, et alii canonici in habitu canonicali comitentur, si habitatio erit contigua vel vicina ecclesiæ; si vero distantior, usque ad portam ipsius ecclesiæ.*

Certa quidem in hoc textu expressa fuit associandi Episcopi obligatio. At vero quomodo sit multis in casibus intelligenda,

Digitized by Google

dubitatum fuit; unde et plurimæ prodierunt hac de re S. Congregationis rituum declarationes. Quasdam tantum scitu utiliores recensebimus.

Cardinalis de Castro, Hispalensis Archiepiscopus, inter alia hæc declarari postulaverat: « 3° An dignitates, canonici et ca-« pitulum teneantur Archiepiscopum euntem ad ecclesiam « diebus festis cappa indutum comitari, et ex quo loco? Item, « an etiam in reditu debeant eum deducere, et usque ad quem « locum? Et an, si privatim ad ecclesiam venerit, sit ei obviam « prodeundum, rediensque sit deducendus, et quomodo? — « 4° An decens sit Archiepiscopum cum cappa incedentem, unam « aut duas dignitates ad latus suum admittere? — 5° An Archie-« piscopo ecclesiam intranti, prima et cæteris præstantior di-« gnitas debeat offerre aspersorium? » Ad quæsita ista sic respondit S. Congregatio rituum : « Ad 3 : *Dignitates, canonicos « et capitulum debere ad cubiculum accedere, ubi Archiepi-« scopus induitur cappa, ut eum ad ecclesiam venientem debito « cum honore comitentur : in reditu etiam debere, saltem usque « ad ostium domus, ipsum Archiepiscopum associare. Ei vero « privatim venienti nonnullos ex dignitatibus et canonicis ad « ostium ecclesiæ occurrere, et in reditu similiter usque ad « ostium ecclesiæ ipsum comitari debere.* — Ad 4 : *Archiepi-« scopo cum pontificali cappa incedente, neminem arrogare « sibi debere, ut se non vocatum ad ejus latus adjungat; « ipsum vero Archiepiscopum pro sua dignitate magis decere « ut solus incedat, quam ut ullas dignitates vel canonicos, qui « sua membra et subditi sunt, ad latus suum habeat.* — Ad 5 : « *Debere primam dignitatem aspersorium Archiepiscopo of-« ferre; eaque legitime impedita, illud ipsum munus subire « debere aliam dignitatem aut personam, quæ dignior ex capi-« tulo aderit. At in alia collegiata ecclesia, aspersorium esse « porrigendum a præposito ejusdem ecclesiæ, vel (quocumque « nomine nominetur) ab eo qui in illa digniorem personam ge-« rit, ut tam ecclesiæ quam personæ porrigenti ea ratione honor « tribuatur.* » Huic decisioni additæ postea sunt declarationes « quædam, hoc modo : « Primo declarat (S. Congregatio) *Archie-« piscopum ad ecclesiam cum cappa pontificali accessurum ut « solemniter celebret vel ut assistat divinis officiis, concioni, aut*

Digitized by Google

« *processioni, vel ut aliud quidquam ex pontificalibus exerceat,*
« *curare debere ut capitulo congruo tempore intimetur hora ejus*
« *accessus ad ecclesiam... Insuper declarat quod, quando Archi-*
« *episcopus finita missa vel aliqua hora canonica est ab ecclesia*
« *discessurus, tantisper cessandum est a reliquis horis decantan-*
« *dis, quousque capitulares abeuntem Archiepiscopum reducere*
« *possint... Declarat præterea, quod si interdum contingat*
« *Archiepiscopum vel processione, vel aliqua hora canonica*
« *nondum finita abire compelli..., satis erit, si quatuor de ca-*
« *pitulo eum domum reducant.* — Secundo declarat, *quod*
« *Archiepiscopo accedente ad chorum cum cappa pontificali,*
« *capitulares eum associantes eumdem habitum gestare de-*
« *beant quem in ipso choro deferre solent.* — Tertio declarat,
« *omnes dignitates, omnesque capitulares qui ad chorum va-*
« *dunt, teneri omnino Archiepiscopum associare. Qui autem*
« *sint legitimo impedimento detenti, dispositioni juris com-*
« *munis relinquuntur.* — Quarto declarat, *tunc dici Archiepi-*
« *scopum privatim ad ecclesiam accedere, cum sine cappa pon-*
« *tificali accedit.* » Ita S. Congregatio rituum die 23 martii 1592, cujus decretum a Clemente VIII litteris in forma brevis die 13 junii anni ejusdem confirmatum est. Habetur integrum illud decretum in appendice tomi VII collectionis Gardellianæ sub n. 21.

Aliarum decisionum textum vitandæ prolixitatis causa omittere cogimur : eas tantum commemorabimus indicato numero, sub quo jacent in authentica Gardellini collectione.

1° Tenentur canonici Episcopum exspectare in aula episcopali; convenit autem ut Episcopus non sit nimis morosus (apud Gardellini, n. 1797).

2° Tenentur cum eo pergredi per viam ab ipso electam, etsi altera sit multo brevior (1277).

3° Eo solo casu non tenentur eum ab episcopali palatio excipere, si hoc nimis distet (n. 693-697). In casu numeri 693, episcopium 228 passibus ab ecclesia cathedrali distabat; et responsum est non teneri canonicos ad illud se transferre ad associandum Episcopum.

4° Tenentur tamen Episcopum ab ipsius aula excipere, quamvis episcopium bis centum passibus distet (n. 2056).

Digitized by Google

5° Quamvis in casu supra citato, in quo nempe passibus 228 distabat episcopium, declarasset Sacra Congregatio, non teneri capitulum ad aulam Episcopi se transferre, nihilominus die 26 aprilis 1704 (apud Gardellini, n. 3538), ad dubium, *an capitulum et canonici Turritani teneantur processionaliter accedere ad palatium D. Archiepiscopi, non obstante distantia bis centum et ultra passuum*, respondit, *affirmative*. Sed hoc forte ob peculiarem jam ibi vigentem consuetudinem. Nam ob alias decisiones et sat communem canonistarum sententiam, videtur assignanda passuum 200 distantia, citra quam teneatur capitulum ad aulam episcopalem accedere, ultra quam non teneatur; salvo tamen contrariæ consuetudinis locali jure.

6° Ad dubium, an, quot, et quales canonici et dignitates teneantur ad ostium ecclesiæ excipere et associare Episcopum, quando rochetto et mozetta indutus accedit ut intersit benedictioni Sanctissimi Sacramenti aliisque functionibus ecclesiasticis, sacra Congregatio rituum (in *Pranensi* 26 augusti 1702) respondit *teneri duos canonicos... saltem duos*. (Apud Gardellini, n° 3483.) Videtur autem sacra Congregatio liberum reliquisse capitulo, ut quos vellet ad id deputaret, cum non dixerit quales duo essent deputandi.

7° Cum canonici cathedralis Compostellanæ renuerent associare reverendissimum Archiepiscopum ab aula ad ecclesiam, a sacra Congregatione rituum, die 23 maii 1835, rescriptum est: — *Servetur dispositio Cæremonialis* (*l. I, c.* 20) *et detur decretum in Turritana diei* 26 *aprilis* 1704. (Apud Gardellini, t. VIII, n. 4592.)

8° Canonici accedentes ad excipiendum Episcopum debent exspectare in aula ejus adventum. Episcopus vero debet esse discretus. (Gardellini, 2879.)

9° Non excusantur ab associatione prætextu modicæ pluviæ. (Gardellini, n. 2127.)

10° Non tenentur, si Episcopus accedat in sede portatili. (N. 2737.)

11° Episcopum venientem cum cappa magna tenentur associare etiam diebus dominicis et minus solemnibus (n. 3954). Tamen sacra Congregatio monet Episcopum ut raro sic veniat cum cappa in diebus minus solemnibus (n^{is} 3996 et 4014).

Digitized by Google

12° Canonici associantes Episcopum deben accedere induti insignibus canonicalibus, et contraria consuetudo est evellenda (n° 1826).

13° Ad associandum compelli possunt etiam sub censuris (n° 1944 et 2423).

14° Non tenentur eum associare, dum mozetta indutus supra rochettum accedit ad ecclesiam ut divinis assistat (n° 486-1228-1392.)

15° In associatione non debent diaconi hinc inde incedere a latere Episcopi, nisi is sit paratus cum mitra (n° 11).

16° Tenentur exspectare Episcopum ad ecclesiam accedere volentem, ut horis canonicis intersit, nec licet divina inchoare officia ante ejus adventum ; sed Episcopus diu morari non debet ultra statutam horam (n° 128-541). At si inchoatis horis adveniat, sat est ut quatuor vel quinque eum ad januam excipiant (n° 541).

Alias decisiones, quoad associationem, vide apud Gardellini sub numeris : 9-14-24-32-59-60-81-138-186-389-415-447-452-551-568-599-600-645-798-849-861-881-1157-1380-1418-1450-1451-1514-1522-1527-1607-1995-2102-2264-2499-2553-2564-2587-2655-2968-3086-3117-3173-3178-3954-4168.

Quamvis autem plurimum juvent hujusmodi S. Congregationis rituum decisiones ad jus determinandum, advertendum tamen est, sæpe ex deciso casu quoad aliquam ecclesiam particularem, non posse concludi ad omnes casus similes; quia scilicet eminentissimi Patres intuitu consuetudinum et circumstantiarum particularium alicujus loci quandoque moventur ad decidendam rem uno modo, quam alio modo, attento tantum jure communi, definivissent. Ubi vero dubium propositum versatur tantummodo circa sensum alicujus decreti Summorum Pontificum vel concilii Tridentini, vel Pontificalis, etc., decisio facit legem quoad omnes.

Hinc in præsenti materia adeundi etiam sunt canonistæ, atque eis multum deferendum, ubi præsertim pariformiter sentiunt. Unicum citabimus Andreucci, ne nimis de re minoris momenti excrescat nostra tractatio.

« Quando Episcopus venit ad ecclesiam ad celebrandum pon-
« tificaliter, tenentur dignitates, canonici et portionarii, non ex

Digitized by Google

« urbanitate, sed ex debito, illum associare ad ecclesiam cathe-
« dralem, ita ut ad talem effectum teneantur illi obviam ire, et
« quidem usque ad ejus palatium, aut aulam ad id destinatam,
« quamvis palatium non sit contiguum ecclesiæ, dummodo non
« sit distans ultra centum sexaginta passus; tunc enim deberet
« Episcopus associari ex aliquo loco ad id destinato prope eccle-
« siam, vel in ecclesiæ ipsius atrio aut scalis. Post peractam vero
« rem sacram, debet capitulum associare Episcopum recedentem,
« saltem usque ad portam ecclesiæ. Idem intelligas, quando
« Episcopus ad ecclesiam venit ut solemniter rei divinæ assistat...
« Alicubi ex laudabili consuetudine debet capitulum associare
« Episcopum recedentem usque ad ejus palatium et aulam des-
« tinatam. Hinc Sacra Congregatio die 24 maii 1619 in *Tele-*
« *sina* censuit, quod quotiescumque Episcopus indutus cappa se
« confert ad ecclesiam, ut in eadem divinis officiis intersit, aut
« solemniter celebret, vel alias functiones pontificales exerceat,
« canonici, habitu canonicali induti, Episcopum ab ejusdem
« Episcopi domo ad ecclesiam, et ab ecclesia ad eamdem domum
« associare teneantur.

« Præscindendo autem a consuetudine vel particulari aliqua
« lege, hæc tam stricta obligatio associandi Episcopum non in-
« cumbit capitulo toties quoties Episcopus ad ecclesiam venit,
« sed dumtaxat in festis solemnioribus : solemniora autem festa,
« ut eruitur ex Cæremoniali, et ex aliis litteris Apostolicis, ac
« declarationibus Cardinalium, sunt : festum Paschatis, Pente-
« costes, Nativitatis Christi, Epiphaniæ, feriæ V in Cœna Domini,
« Annuntiationis, et Assumptionis B. Virginis, sanctorum Apo-
« stolorum Petri et Pauli, omnium Sanctorum, et patroni
« principalis. Excipe nisi aliter consuetudo præscripserit : nam
« si consuetudo invaluerit ut capitulum etiam in aliis festis
« Episcopo venienti ad celebrandum vel assistendum, tali
« forma occurrat, hæc consuetudo ex præscripto Sacræ Congre-
« gationis (apud Barbosam, loco citato) servanda erit. Aliis vero
« diebus quibus Episcopus voluerit pontificaliter celebrare vel
« assistere (potest enim Episcopus in sua diœcesi pontificaliter
« celebrare quovis die festo, vel quoties ratio congrua id exegerit,
« uti constat ex capite 31 Cæremonialis, et præsertim quia a
« nullo canone tale jus pontificalium Episcopis restringitur. Imo

Digitized by Google

« olim ex privilegio idem poterant abbates monachorum; et « deinde anno 1628 fuit his tale privilegium limitatum per de- « cretum Sacræ rituum Congregationis. Quare accepimus in « historiis, quod sanctus Carolus Borromæus sæpissime missam « pontificaliter celebrabat... Ac de servo Dei D. Petro Georgio « Odescalcho Alexandrino Episcopo, ac deinde Viglebanensi, le- « gimus in ejus vita quod *indefessus erat in cunctis functio- « nibus pontificalibus, et tam frequens,* ut passim diceretur « Viglebani, D. Odescalchum plura paramenta attrivisse quam « septem prædecessores ejus Episcopos), aliis, inquam, diebus « non tenentur canonici nisi ex urbanitate illi obviam prodire « usque ad palatium inclusive : quanquam etiam talibus diebus « teneantur aliqui ex canonicis ad portam ecclesiæ illi occur- « rere : sicuti pariformiter servandum est, quando Episcopus « ob aliam quamcumque causam ad ecclesiam venerit privatim.

« Ne vero turbentur divina officia propter solemnem illam « præstitam a toto capitulo associationem, debet Episcopus « certam horam sui adventus significare, quæ sit tempore con- « gruo. Quod si, statuta de consensu Episcopi hora officii, fuerit « datum ultimum campanæ signum, non tenentur canonici am- « plius exspectare, sed possunt inchoare officium; ac deinde, « quando inchoato officio Episcopus venerit, satis erit quod aliqui « ex canonicis e choro discedant, et obviam illi eant ad portam, « porrigentes aspersorium.

« Dubitabis, an capitulum debeat interesse concioni tempore « adventus et quadragesimæ, quando eidem interest Episcopus? « Respondeo affirmative : et ita asseritur decisum a Sacra Con- « gregatione per Cardinalem de Luca (discursu 33, *Miscell.*); « quia, inquit ipse, talis interventus est capitularis; siquidem « tunc repræsentari debet corpus mysticum Ecclesiæ, ex Epi- « scopo tanquam capite, et capitulo tanquam membris constitu- « tum. Post absolutam vero concionem, vel Episcopus expectat « usque ad finem missæ solemnis, vel non. Si expectat, canonici « omnes eum comitari debent usque ad portam ecclesiæ, ac « deinde redire ad chorum : si vero non expectat, aliqui saltem ex « canonicis illum recedentem usque ad portam ecclesiæ comiten- « tur, ac deinde ad chorum redeant. » (Andreucci, *De tuenda pace inter Episcopum et capitulum,* parte I, cap. 2, n. 46 et seq.)

Digitized by Google

§ 2

AN ET QUATENUS CANONICI DEBEANT E SACRISTIA CATHEDRALIS EPISCOPO PARAMENTA PRÆSTARE

« Cum Episcopus vult exercere pontificalia, tam in ecclesia « cathedrali quam in aliis, subministranda erunt a canonicis e « sacristia cathedralis paramenta sacra; nec tenetur sibi de illis « providere, ut censuit Sacra Congregatio particularis (*illius « decretum refert in extensum Scarfantonius, l. 2, tit. II*). Et « hanc sententiam communiter tenent... Quatenus vero sacristia « cathedralis non haberet reditus sufficientes pro comparandis « prædictis paramentis, et pro restauratione ecclesiæ, tenetur Epi- « scopus pro quarta parte fructuum suæ mensæ, et quoad reli- « quum tenentur contribuere canonici... De cætero quando « adsunt reditus destinati pro dicta comparatione supellectilium, « et reparatione ecclesiæ, ex eis facienda est reparatio et com- « paranda sunt eadem supellectilia juxta consuetudinem, quæ « unice attendenda est. » (Scarfantonius, tom. II, pag. 52, n. 12, editio Lucensis, 1723.)

Vicissim autem capitulo ecclesiæ cathedralis debentur post mortem Episcopi plura utensilia ab eodem Episcopo decedente relicta, quod nuper confirmavit Pius IX litteris apostolicis *Cum illud plurimi*, 1 junii 1847, in hunc modum : *Sacra utensilia, quæ vigore constitutionis S. Pii V incipientis*, Romani Pontificis, *ecclesiis cathedralibus debentur, hæc esse edicimus : mitras scilicet, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, lineos amictus, et his similia; item missalia, gradualia, libros cantus firmi et musicæ, libros pontificales, alterum, cui titulus canon missæ ; item calices, patenas, pyxides, ostensoria, thuribula : vas aquæ benedictæ cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum, et urceolos una cum pelvibus et tintinnabulo, palmatorios, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastoralem; faldistorium, aliasque res sacras, sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si quæ sunt etiam ex eorum natura usui profano congrua, dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui sacrisque functionibus*

Digitized by Google

« olim ex privilegio idem poterant abbates monachorum; et « deinde anno 1628 fuit his tale privilegium limitatum per de- « cretum Sacræ rituum Congregationis. Quare accepimus in « historiis, quod sanctus Carolus Borromæus sæpissime missam « pontificaliter celebrabat... Ac de servo Dei D. Petro Georgio « Odescalcho Alexandrino Episcopo, ac deinde Viglebanensi, le- « gimus in ejus vita quod *indefessus erat in cunctis functio- « nibus pontificalibus, et tam frequens,* ut passim diceretur « Viglebani, D. Odescalchum plura paramenta attrivisse quam « septem prædecessores ejus Episcopos), aliis, inquam, diebus « non tenentur canonici nisi ex urbanitate illi obviam prodire « usque ad palatium inclusive : quanquam etiam talibus diebus « teneantur aliqui ex canonicis ad portam ecclesiæ illi occur- « rere : sicuti pariformiter servandum est, quando Episcopus « ob aliam quamcumque causam ad ecclesiam venerit privatim.

« Ne vero turbentur divina officia propter solemnem illam « præstitam a toto capitulo associationem, debet Episcopus « certam horam sui adventus significare, quæ sit tempore con- « gruo. Quod si, statuta de consensu Episcopi hora officii, fuerit « datum ultimum campanæ signum, non tenentur canonici am- « plius exspectare, sed possunt inchoare officium; ac deinde, « quando inchoato officio Episcopus venerit, satis erit quod aliqui « ex canonicis e choro discedant, et obviam illi eant ad portam, « porrigentes aspersorium.

« Dubitabis, an capitulum debeat interesse concioni tempore « adventus et quadragesimæ, quando eidem interest Episcopus? « Respondeo affirmative : et ita asseritur decisum a Sacra Con- « gregatione per Cardinalem de Luca (discursu 33, *Miscell.*); « quia, inquit ipse, talis interventus est capitularis; siquidem « tunc repræsentari debet corpus mysticum Ecclesiæ, ex Epi- « scopo tanquam capite, et capitulo tanquam membris constitu- « tum. Post absolutam vero concionem, vel Episcopus expectat « usque ad finem missæ solemnis, vel non. Si expectat, canonici « omnes eum comitari debent usque ad portam ecclesiæ, ac « deinde redire ad chorum : si vero non expectat, aliqui saltem ex « canonicis illum recedentem usque ad portam ecclesiæ comiten- « tur, ac deinde ad chorum redeant. » (Andreucci, *De tuenda pace inter Episcopum et capitulum,* parte I, cap. 2, n. 46 et seq.)

Digitized by Google

§ 2

AN ET QUATENUS CANONICI DEBEANT E SACRISTIA CATHEDRALIS EPISCOPO PARAMENTA PRÆSTARE

« Cum Episcopus vult exercere pontificalia, tam in ecclesia « cathedrali quam in aliis, subministranda erunt a canonicis e « sacristia cathedralis paramenta sacra; nec tenetur sibi de illis « providere, ut censuit Sacra Congregatio particularis (*illius « decretum refert in extensum Scarfantonius, l. 2, tit. II*). Et « hanc sententiam communiter tenent... Quatenus vero sacristia « cathedralis non haberet reditus sufficientes pro comparandis « prædictis paramentis, et pro restauratione ecclesiæ, tenetur Epi- « scopus pro quarta parte fructuum suæ mensæ, et quoad reli- « quum tenentur contribuere canonici... De cætero quando « adsunt reditus destinati pro dicta comparatione supellectilium, « et reparatione ecclesiæ, ex eis facienda est reparatio et com- « paranda sunt eadem supellectilia juxta consuetudinem, quæ « unice attendenda est. » (Scarfantonius, tom. II, pag. 52, n. 12, editio Lucensis, 1723.)

Vicissim autem capitulo ecclesiæ cathedralis debentur post mortem Episcopi plura utensilia ab eodem Episcopo decedente relicta, quod nuper confirmavit Pius IX litteris apostolicis *Cum illud plurimi*, 1 junii 1847, in hunc modum : *Sacra utensilia, quæ vigore constitutionis S. Pii V incipientis*, Romani Pontificis, *ecclesiis cathedralibus debentur, hæc esse edicimus : mitras scilicet, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, lineos amictus, et his similia; item missalia, gradualia, libros cantus firmi et musicæ, libros pontificales, alterum, cui titulus canon missæ; item calices, patenas, pyxides, ostensoria, thuribula : vas aquæ benedictæ cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum, et urceolos una cum pelvibus et tintinnabulo, palmatorios, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastoralem; faldistorium, aliasque res sacras, sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si quæ sunt etiam ex eorum natura usui profano congrua, dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui sacrisque functionibus*

Digitized by Google

fuerint destinata : exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, et iis omnibus utensilibus cusjusvis generis, quæ legitime probentur ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad ecclesiam non pertinentibus, neque constet ecclesiæ fuisse donata. Volumus propterea teneri, ac debere Episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimant quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quæ ex Ecclesiæ reditibus et proventibus sibi compararunt, ne alias præsumi debeat ea omnia reditibus Ecclesiæ comparata fuisse.

Quoad statum præsentem ecclesiarum Galliæ notandum est pensionem Episcopis a Gubernio attributam rationem induere reditus ecclesiastici. Unde utensilibus ex hujusmodi pensione comparatis, applicanda venit citata constitutio Pii IX. Cum autem lex civilis, si Episcopus ab intestato moriatur, plures hujusmodi res hæredibus attribuat, videtur concludendum Episcopis Galliæ obligationem incumbere, per testamentum aliudve medium idoneum præcavere, ne ecclesia cathedralis suo jure fraudetur et prædicta constitutio violetur. Consequenter vero hæredes, in casu quo Episcopus nulla adhibita cautione decederet, hujusmodi res tuta conscientia retinere nequeunt, quamvis ex lege civili id eis concedatur.

§ 3

AN ET QUOMODO AD EPISCOPUM ET EJUS VICARIUM GENERALEM PERTINEAT JUS CONVOCANDI CAPITULUM ET IN EO INTERVENIENDI

Sic habet concilium Tridentinum sess. 25, c. 6 : *Quod si aliquid canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad suum vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi capitulum convocent, et vota exquirant, et juxta ea concludant.*

1° Certum est ad Episcopum quoque pertinere jus convocandi capitulum : sequitur ex citato Tridentini concilii decreto. Et ita unanimiter canonistæ.

2° Non potest convocare capitulum pro negotiis respicientibus administrationem bonorum suorum, id est, respicientibus suum vel suorum interesse, bene vero pro cæteris omnibus et etiam

Digitized by Google

pro respicientibus dignitatem episcopalem. Eruitur ex textu Tridentini, et est sententia communis canonistarum. (Vide Scarfantonium, t. II, p. 109.)

3° An Episcopo liceat propria auctoritate capitulum convocare, absque alia requisitione illius ad quem spectare prætenditur convocatio ? Sacra Congregatio concilii (in *Pharensi*, 13 novembris 1649) respondit : *affirmative, dummodo non agatur de suo vel suorum commodo*. Refertur hæc decisio a Scarfontanio, loco citato, n. 30.

4° An Episcopus negotia in capitulo proposita, et non resoluta ob varietatem votorum, possit decidere et terminare ? Eadem Congregatio in eadem causa respondit : *Episcopum non posse*. (Scarfantonius, ibid.) Ideo autem in prædicto casu non potest Episcopus decidere, quia in capitulo nullum habet votum. (Rota decis. 37, n. 1, — et decis. 156, n. 18, parte 12, recent.)

5° Episcopus jus habet interessendi capitulis ab ipso convocatis ; in aliis autem quæ canonici convocant pro negotiis capitularibus non tenentur Episcopum admittere. (Vide hoc probatum infra, parte 4, cap. 7, ubi disserimus de jure capitulis proprio sese congregandi absque Episcopi licentia.)

6° « Quod tamen limitatur, quando ex consuetudine, vel ex « jure speciali, Episcopus jus haberet interveniendi in omnibus « capitulis ; quia esset servanda ; excepto casu quo agendum es- « set de suo vel suorum privato interesse ; quia in hoc casu facta « convocatione deberet exire de capitulo. » (Scarfantonius, loco citato, n. 32.)

7° Licet ex consuetudine vel ex aliquo privilegio Episcopus jus haberet interessendi in omnibus capitulis, non tamen haberet jus voti. Ita decisum a Sacra Congregatione concilii refert Cardinalis Petra, et Scarfantonius (loco citato, n. 33).

8° « Dum vero Episcopus intervenit in capitulo, in sequelam « facultatis convocandi debetur eidem præsidentia, tam in ses- « sione quam in cæteris, veluti tenere campanulam, moderari « horologium, vota recipere, ac negotia proponere, cum Epis- « copo ubique primus honor debeatur. » (Scarfantonius, loco citato, n. 36, citans Barbosam, Cardinalem Petra et Rotam.)

9° Vicarius generalis Episcopi regulariter non habet facultatem convocandi, nec interveniendi : *Absente vero Episcopo, omnino*

Digitized by Google

hoc ab iis de capitulo ad quos hoc de jure vel consuetudine spectat perficiatur, nec ad id vicarius Episcopi admittatur. (Conc. Trid. sess. 25, c. 6, *De ref.*) Sacra Congregatio concilii (in *Amerina*, 24 januarii 1632, decretorum folio 558) respondit : *canonicos non teneri, si nolint, admittere vicarium Episcopi* (relata a Scarfantonio, t. II, pag. 109, n. 37, edit. Lucæ, 1723). Et ita communiter canonistæ. Si tamen vicarius Episcopi esset simul canonicus, posset intervenire, eo loco et gradu tantum quem obtinet quatenus canonicus.

10° Quoad negotia in quibus de jure requiritur consilium vel consensus capituli, potest vicarius generalis Episcopi convocare capitulum non exemptum, ut cum Cardinali Petra docet Scarfantonius. (Loco citato, pag. 110, n. 39.)

11° Item potest vicarius Episcopi intervenire capitulo ad sedandos tumultuantes canonicos, ne oriantur scandala ; sed etiam tunc nullum potest ferre suffragium. (Scarfantonius, ibid., n. 40.)

12° Quando ex consuetudine aut privilegio, Episcopus jus habet interessendi omnibus capitulis, debet certior fieri de qualibet convocatione facienda, ut possit uti jure suo ; exceptis tamen convocationibus, quæ certis et fixis temporibus regulariter fierent, quia de illis sufficienter præmonetur ex ipsa earum regulari celebratione. Tenentur autem canonici Episcopum præmonere tantum de futura convocatione, non vero de rebus in ea tractandis. Hæc probat ex duabus decisionibus Congregationis concilii Scarfantonius. (Loco citato, n° 41.)

13° Quando Episcopus ad suum tribunal citare vult capitulum, « citatio seu monitio exequi debet dum canonici sunt capitulari- « ter congregati : et ad hunc effectum Ordinarius mandabit ei « qui habet jus convocandi capitulum ut ipsum convocet ; qui si « noluerit illud congregare, habebitur pro citato per affixionem « citationis in loco ubi capitulum solet congregari ; vel si dum « canonici sunt congregati, claudatur porta nuntio ut ingredi « nequeat, citatio affigi poterit in valvis ejusdem loci ; vel pote- « rit capitulum citari in persona syndici, vel œconomi, vel pro- « curatoris. »

« Requisitio autem facienda pro convocatione capituli, ei qui « habet jus convocandi sic erit concipienda : *Citatur et requi-*

Digitized by Google

« *ritur N, ad congregandum et congregari faciendum pro* « *die... capitulum cathedralis, ut moris est, in loco solito, in* « *quo citari possit juridice pro justitia administranda; alias* « *habebitur pro citato per affixionem in loco seu valvis loci* « *capituli, instante*, etc. » (Monacelli, parte III, tit. 3, ad form. 19, adnot. 5.)

14° Quoad prædicta, videtur hodie in Gallia vigere et servandum esse jus commune. Recentes enim Galliarum ecclesiæ sub jure communi ortæ et constitutæ sunt, ut alibi probavimus. Nec attendendum est jus particulare olim ecclesiis gallicanis forte acquisitum; extinctæ enim sunt illæ ecclesiæ; extincta proin simul ipsis inhærentia privilegia. Unde nisi a tempore concordati a Sancta Sede juri communi in aliquibus derogatum sit quoad recentes Galliæ ecclesias, jus commune in eis vigere censendum : porro quoad materiam præsentis paragraphi, nulla reperitur facta hujusmodi derogatio.

15° Quoad hodierna Hispaniæ capitula, attendendum est recens concordatum Pii IX cum Gubernio Hispanico, mensis septembris 1851; in quo sic habetur articulo 14 : « Quotiescumque « capitulo præsint (Archiepiscopi et Episcopi), vocem et votum in « iis omnibus negotiis habebunt, quæ eorum personam directe non « afficiant; ac præterea, ubi capitularium suffragia sint paria, « Episcopi votum rem definiet. In qualibet personarum electione « seu nominatione ad capitulum spectante, prout capitulares « fuerint sexdecim, viginti aut supra, tria, quatuor, vel quinque « vota habebit Episcopus. Quod si hic capitulo minime adsit, « aliqui de suo gremio deputati illum ad vota recipienda con- « venient. » Ubi videtur concedi vocem Episcopo in omnibus negotiis quæ ipsius personam non respiciunt. Imo in electionibus seu nominationibus ad capitulum pertinentibus, Episcopus plura vota habet; et valent illa vota Episcopi etiam data extracapitulariter, id est, etiamsi capitulo non assistat. Dum autem ibi agitur de nominationibus ad capitulum pertinentibus, non intelligi debent nominationes ad canonicatus vacantes; sed tantum ad alia officia aut munia. De collatione autem dignitatum et canonicatuum, dispositum est articulo 18 ejusdem concordati; in quo, postquam Summo Pontifici reservata est collatio canonicatus cantoriæ in omnibus metropolitanis ecclesiis et in

Digitized by Google

22 cathedralibus, et præterea unius canonicatus ex iis qui dicuntur *de gratia* in reliquis omnibus capitulis, sic pro cæteris præbendis statuitur : « Ad dignitatem decani in cunctis eccle-
« siis, et quovis tempore ac modo vacet, regia Majestas perpetuo
« nominabit. Canonicatuum *de officio* (1) provisio ad prælatos
« et capitula prævio concursu pertinebit. Cæteris dignitatibus ac
« canonicatibus Majestas sua et Archiepiscopi et Episcopi stricte
« alternando providebunt. »

§ 4

AN ET QUÆ EPISCOPUS CAPITULO PRÆCIPERE POSSIT

1° Potest Episcopus capitulo præcipere et ad obediendum obligare; modo tamen ea tantum præcipiat, ad quæ præstanda ex jure canonico tenentur canonici.

« Probatur prima pars ex capite *Conquerente, de officio Or-*
« *dinarii*, ubi assignantur et enumerantur jura Ordinarii supra
« ecclesias sibi subjectas. Item ex ratione; quia Episcopus habet
« in sua diœcesi potestatem jurisdictionis non solum in singulos
« clericos, sed in ipsum capitulum cathedralis, cujus si qua
« olim fuerit exemptio, sublata est per decretum Tridentini (sess. 6, c. 4 *De ref.*)

« Probatur secunda pars (2) ex eodem capite *Conquerente,*
« ubi Pontifex ait : Tu his juribus contentus, non amplius ab
« eis exigas. Et canone *Quia cognovimus* (6, causæ 10, q. 3), ubi
« concilium Toletanum præcipit ne Episcopi plus exigant ultra
« præscriptum a sacris canonibus. Accedit auctoritas Fagnani
« (in cap. *Conquerente*) asserentis Episcopos non posse exigere
« a clericis suæ diœcesis aliqua servitia quæ in jure non sunt
« expressa. Ratio est, quia jurisdictio Episcoporum dependet a
« Summo Pontifice in assignatione materiæ et subditorum :
« Summus autem Pontifex (in citato capite *Conquerente*) assi-
« gnavit materiam in quam Episcopi suam debent exercere

(1) Præbendæ in Hispania triplicem in classem distingui solent : 1° Dignitatum; 2° canonicorum *de officio*, qui sunt quatuor, magistralis, doctoralis, lectoralis et pœnitentiarius; et hi quatuor etiam ex recenti concordato nominari debent per concursum. 3° Canonicatus reliqui dicuntur *de gratia*.

(2) Nempe potestatem præcipiendi quam habet Episcopus, non extendi ad ea in quibus ex jure canonico non tenetur obedire capitulum.

Digitized by Google

« jurisdictionem. Unde notat Fagnanus (in dictum caput *Con-*
« *querente*) decisum olim fuisse a sacra Cardinalium congrega-
« tione, quod quidam Episcopus potuerit quidem invitare, sed
« non compellere clericos suæ civitatis ut interessent litaniis
« Beatæ Virginis, quas in sabbato decantari jusserat in sua ca-
« thedrali ecclesia. In dubio tamen, an aliquid possit mandari
« ab Episcopo, præsumptio semper pro mandato Episcopi fa-
« cienda est, ex communi theologorum et canonistarum (sen-
« tentia). » (Andreucci, *De tuenda pace inter Episcopum et capitulum*, parte I, c. 2, § 2, n. 52).

II° Elenchum autem aliquem eorum quæ ex jure canonico possunt ab Episcopo mandari, concinnavit modo laudatus Andreucci, sic inferens :

« *Ratione status clericalis,* posse Episcopum mandare capi-
« tularibus, ut vestitu decenti tam intra ecclesiam quam extra
« utantur; ut evitent fœminarum cohabitationem; ut capillos
« non nutriant; ut sacras rubricas calleant; ut ab illicitis ve-
« nationibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibusque absti-
« neant; ut morum integritatem præ se ferant, etc.

« *Ratione officii,* ut choro intersint, cantum Gregorianum di-
« scant; ut omnes choro inserviant omnibus diebus dominicis ac
« festis de præcepto, totoque Adventus, Quadragesimæ et octavæ
« Corporis Christi tempore, ita ut nullus non legitime impeditus
« per id tempus vacet; ut omnibus aliis diebus saltem dimidia pars
« capitularium choro adsit; ut omnes septem horæ canonicæ in
« choro persolvantur; ut canonici divina officia per se, et non per
« substitutos, obeant; ut servetur ordo et tempus ab ecclesia
« præscriptum in recitatione publica horarum; ut in ecclesia
« et non in sacristia horæ persolvantur, et alia hujusmodi. »

« *Ratione beneficii,* ut capitulum indicatur quando Episcopus
« vult canonicis aliquid proponere; ut capitula non celebrentur
« tempore divini officii; ut capitulum celebretur singulis heb-
« domadis et statutis diebus; ut petatur facultas ab Episcopo
« vel ejus vicario generali cogendi capitulum in aliis diebus
« extraordinariis (1). Præterea ex justa causa potest Episcopus

(1) Non videtur requiri talis licentia, nec eam sat considerate necessariam existimavit Andreucci. Vide parte III, § III, ubi validis auctoritatibus probatur jus capituli sese congregandi absque Episcopi licentia.

Digitized by Google

« inhibere ne convocetur capitulum : item potest pœnis et cen-
« suris cogere canonicos ad præstandam sibi copiam actuum
« capitularium : item potest canonicis mandare ut intersint con-
« cioni tempore Adventus et Quadragesimæ, sub pœna priva-
« tionis distributionum illius diei; ut intersint processionibus
« ab Episcopo de consilio capituli, licet non de ejusdem con-
« sensu, indictis pro publico honore, bono, vel commodo. Præ-
« terea potest Episcopus mandare ne plures simul sine sua li-
« centia trimestralem a choro vacationem capiant, ne scilicet
« cultus divinus detrimentum patiatur : item ut tempore de-
« bito resideant, præbendæ fructus ultra triennium non locent,
« nec omittant celebrare tot ac tales missas, quot et quales te-
« nentur. Item ut solvant cathedraticum, id est, annuam juxta
« sacros canones pensionem, quæ ob honorem cathedræ seu
« dignitatis episcopalis datur... Item potest compellere canoni-
« cos ad interveniendum collationi casuum... Item capitulum
« tenetur ad eas processiones accedere, quibus intervenit Epi-
« scopus pontificaliter cum baculo et mitra. » Hanc ultimam canonicorum obligationem, utpote aliquando in dubium revocatam, fuse probat Andreucci. (*De tuenda pace...* Part. I, c. 2, n. 56 et seq.)

§ 5

DE JURE EPISCOPI COGENDI CAPITULUM UT SIBI EXHIBEAT LIBROS RESOLUTIONUM CAPITULARIUM

1. « Episcopus potest cogere capitulum ad sibi exhibendos
« libros, in quibus adnotantur resolutiones capitulares. Et ra-
« tio est, quia Episcopi cura esse debet ne fiant resolutiones juri
« contrariæ. » Id probat Scarfantonius ex variis auctoritatibus (t. II, p. 110, n. 42, editio Lucæ, 1723).

2. Quod jus cogendi capitulum ad hujusmodi exhibitionem extenditur ad vicarium generalem Episcopi; et comprehendit etiam resolutiones spectantes negotia particularia capituli, licet in eorum tractatione intervenire nequeat Episcopus nec ejus vicarius generalis. (Ita docet Card. Petra, in const. 1. S. Leonis Magni, sect. 2, n. 55, tom. I. — Et Scarfantonius, loco citato.)

Digitized by Google

§ 6

POTESTAS JUDICIARIA EPISCOPI IN CAPITULUM

1° Certum est capitulum et quemlibet capitularem posse ab Episcopo judicari. « Forum competens capituli est tribunal « Episcopi : unde si juridice capitulum vel capitulares citentur « ab eo tribunali, tenentur comparere ; alioquin contra illud vel « illos respective procedi potest tanquam in reos contumaciæ « (caput *Ex litteris*, *de foro competenti*). Excipe nisi per le- « gitimam appellationem, vel legitimam recusationem, capitu- « lares vel capitulum Episcopi judicium declinare valeant. » (Andreucci, *De tuenda pace*, pars 1, c. 2, n. 60.)

2° Quoad modum instituendi judicium, quæritur utrum Episcopus possit contra capitulares procedere non adhibitis judicibus ab ipso capitulo adjunctis. Sic habetur dispositum in capite 6, sessionis 25 concilii Tridentini : *Ita tamen ut cum extra visitationem processerit* (nempe Episcopus), *infrascripta omnia locum habeant : videlicet ut capitulum initio cujuslibet anni eligat ex capitulo duos, de quorum consilio et assensu Episcopus vel ejus vicarius, tam in informando processum quam in cæteris omnibus actibus usque ad finem causæ inclusive, coram notario tamen ipsius Episcopi, et in ejus domo, aut consueto tribunali procedere teneatur. Unum autem tantum sit utriusque votum, possitque alter Episcopo accedere. Quod si ambo ab Episcopo discordes in aliquo actu seu interlocutoria vel definitiva sententia fuerint, tunc intra sex dierum spatium cum Episcopo tertium eligant : et si in electione tertii etiam discordent, ad viciniorem Episcopum electio devolvatur ; et juxta eam partem cum qua tertius conveniet, articulus in quo erat discordia terminetur : alias processus et inde secuta nulla sint, nullosque producant juris effectus.*

Ex illo textu posset quis generatim concludere non posse Episcopum procedere contra aliquem canonicum, nisi de *assensu* judicum ab ipso capitulo adjunctorum. Et hoc quidem verum esset, si in hoc capite ageret Tridentina synodus de omnibus generatim capitulis.

At certum est, ex communi canonistarum sententia, ibi non

Digitized by Google

agi nisi de capitulis exemptis et Sanctæ Sedi immediate subjectis, unde quoad hæc tantum valet Tridentina illa dispositio. « Verius « enim est, ait Cardinalis de Luca, ac hodie extra omnem con- « troversiam receptum, ut ista conciliaris dispositio procedat so- « lum in illis capitulis, quæ ex Apostolicis indultis exempta « erant a jurisdictione Episcopi, atque immediate subjecta Sedi « Apostolicæ. » (*Annotationes ad concilium Tridentinum*, discursus 44, n. 33.)

§ 7

QUASNAM PŒNAS EPISCOPUS CANONICIS INFLIGERE POSSIT.

« Quoad pœnas in judicio contra capitulum decernendas, « sciendum est capitulum non posse ab Episcopo excommuni- « cari, quia communitas seu universitas, qua talis, excommuni- « cari non potest, ut expresse decernitur in capite *Romana, de* « *sententia excommunicationis*, in 6. Dixi *ab Episcopo;* nam a « Pontifice Maximo, cum hic non subjaceat ulli prohibitioni « juris positivi, potest, saltem de plenitudine potestatis, totum « capitulum excommunicari; qua stante excommunicatione, « omnes capitulares, etiam innoxii, essent excommunicationis « vinculo obstricti quoad Ecclesiam, seu quatenus in facie Eccle- « siæ deberent se gerere quasi excommunicatos, secus vero « quoad Deum.

« Potest tamen ab Episcopo capitulum qua tale suspendi vel « interdici : et ratio differentiæ est, quia in talium censurarum « pœna non est illud animarum periculum, propter quod pro- « hibitum est ne excommunicatio in communitatem feratur. « Quando autem capitulum qua tale suspenditur, tunc, nisi « aliud in jure aut sententia expresse declaretur, intelligitur « suspensio lata in capitulum præcise, ut communitas seu col- « legium est; ita et taliter ut corpus ipsum capituli, non autem « singuli capitulares, a suis propriis et personalibus officiis ac « beneficiis suspendantur.

« Porro ex vi talis suspensionis, si sit *a beneficio*, capitulum « privatur fructibus ejus vel eorum beneficiorum quæ forte ha- « beat, ut capitulum est, sibi unita. Si sit ab *officio*, privatur usu « jurisdictionis, et consequenter impeditur ne actus ejus rati ac « validi sint. Si sit *a divinis* simpliciter, prohibetur capitulo

Digitized by Google

« exercere ea officia divina solita exerceri a communitate capi-
« tulari qua tali ; ex quo sequitur quod particulares ac singulares
« canonici, licet ut tales non sint ligati a tali suspensione, tamen
« non possint nec fructus beneficii capitularis percipere, nec ac-
« tus jurisdictionis capitularis exercere, nec functiones capitu-
« lares administrare respective. Nam cum suspensum sit totum,
« consequenter fit ut partes non possint operationes totius pro
« tunc efficere. Nec obstat quod aliqui canonici sint immunes a
« delicto totius capituli : nam adhuc, ut pars illius, nequeunt
« ejus operationes exercere : neque hoc esset puniri propter pec-
« catum alienum, sed esset aliquo modo participare pœnam totius
« quod peccavit, in quo nullum est inconveniens. Ita Suarez, *De*
« *censuris*, disput. 28, sect. 4.

« Quando capitulum qua tale interdicitur, tunc tale interdic-
« tum non est particulare, sed generale. Ex vi autem talis inter-
« dicti, manent interdicti singuli capitulares, ut partes capituli
« sunt. In praxi, notat Cardinalis de Luca (in *annot. ad conc.*),
« quod si delicti gravitas vel in toto capitulo, ut corpus morale
« est, vel in magna parte personarum ejus, vel in ejus proximo
« et immediato capite id exposcat, fertur suspensio vel interdic-
« tum in totum capitulum, excommunicatio vero contra particu-
« lares aliquos capitulares delinquentes, excipiendo innocentes.
« Quia vero censuris parce uti debent Ordinarii, ex Tridentino
« (sess. 25, c. 3, *De ref.*), hinc optime notat idem Cardinalis de
« Luca (discursu 43 *annotationum ad conc.*) non esse censuras
« ferendas, quando et ubi per mulctas aliasque pœnas temporales
« provideri potest...

« Notetur tamen capitulum non posse censurari ob debitum
« pecuniarium, quia in extravagante *Provide* prohibetur ne cen-
« suræ generales ferantur pro debito pecuniario, nisi *de Aposto-*
« *licæ Sedis speciali licentia et expressa, per ipsius Sedis pa-*
« *tentes litteras apparente.*

« Notandum etiam quod si aliquando citari debeat capitulum,
« id faciendum est capitulariter ; non enim sufficit citatio facta
« singulis capitularibus. Quod si capitulum nequeat reperiri
« congregatum, tunc monendi sunt ii ad quos spectat, ut statuta
« die et hora capitulum congregent. Ex de Luca. » (Andreucci,
De tuenda pace, part. 1, c. 2, § 2.)

Digitized by Google

§ 8

QUOMODO POSSIT EPISCOPUS PUNIRE CANONICUM QUI OFFICIO SUO NON RECTE FUNGITUR

Decretum concilii Lateranensis (cap. *Dolentes*, De celebr. miss.) prohibuit quosdam defectus in persolvendo divino officio. Potest Episcopus observantiam hujus decreti et etiam aliarum a seipso vel a prædecessoribus emanatarum ordinationum circa debitam officii canonicalis solutionem præscribere, non solum sub pœna punctaturarum, sed etiam suspensionis a divinis; idque per edictum episcopale. « Nam, ait Monacelli (parte 3, « tit. II, form. 7, adn. 2), post hujus edicti evulgationem, choro « inservientes si fiant transgressores, possunt puniri absque alia « monitione, cujus loco successit edictum, quod loco patenti in « sacrario affixum stare debet... Transgressor et violator decreti « concilii Lateranensis dicitur qui, post evulgationem edicti « Episcopi super illius observantia, pluries punctatus non se « emendat, et monitus non abstinet a colloquiis vanis, risibus, « nugis, sumptione tabachi, legendis litteris et fabellis : item si « monitus ut deponat comam fictitiam, si non psallit, vel psallit « oscitanter et syncopando ; si sedet quando standum est, vel non « genuflectit, et cæremonias a rubrica præscriptas spernit vel « indevote complet. Hæc et similia cadunt sub censuram de- « creti.

« Cæterum si Episcopus in edicto, præter ea quæ tempus, « ordinem, devotionem, corporis compositionem, psalmodiæ « integritatem et pausam juxta rubricas et morem Ecclesiæ re- « spiciunt, aliquid aliud præciperet, vel onus adderet ad quod « nec de jure, nec ex laudabili consuetudine aut statuto canonici « vel clerici tenentur, si illud non observarent, non dicerentur « transgressores edicti, nec idcirco suspendi aut alio modo pu- « niri possent; quia Ordinarius nova onera addere seu augere « non potest. »

Canonici ergo qui indevote et inordinate officia divina persolvunt, postquam moniti sunt, per prædictum episcopale edictum, possunt pœna suspensionis ab Episcopo plecti. « Hocque facien- « dum erit (ait ibid. Monacelli) etiam sine processu, et ex sola

Digitized by Google

« informata conscientia, juxta modum in præcedenti formula « insinuatum. » (Illam formulam vide in Appendice sub numero XVIII.)

Si autem Episcopus vellet devenire ad privationem canonicatus, ob contumaciam canonici in non residendo, tenetur sequi formam a concilio Tridentino præscriptam (sess. 24, c. 12), quam vide expositam infra (parte 3, cap. 4, § 2).

§ 9

POTESTAS LEGISLATIVA EPISCOPI QUOAD CAPITULUM (REMISSIVE)

« Non potest Episcopus sine consensu majoris partis capituli « veteres consuetudines in usum revocare, ac longius quam no- « vem mensium chori servitium statuere. Ratio est, quia nequit « Episcopus sine consensu majoris partis capituli ea disponere « quæ sint contra præscriptam consuetudinem capituli, ut colli- « gitur ex capite *Novit*, ex capite *Quanto, de his quæ fiunt* « *a prælato sine consensu capituli*; et magis ex capite *Vestra,* « *de locat.;* et videtur hæc communis sententia, apud Felinum « in caput *Cum omnes, de const.* et Suarez, *De legibus* l. IV, « c. 5. » (Andreucci part. I, c. 3, n. 78.)

Quoad potestatem condendi statuta capituli, vide parte III, capite 4.

§ 10

AN ET QUATENUS POSSIT EPISCOPUS DUOS CANONICOS IN SUO SERVITIO RETINERE

1. « Episcopus non potest in suo servitio adhibere ultra duos « canonicos, ut probatur capite *Ad audientiam* (tituli 4 libri 3 « decretalium)... idque ecclesiarum usus approbavit. » (Fagnanus in 1 part. libri 3 decret. cap. *De cætero*, n. 8, et communiter canonistæ.) Intelligitur, ita ut per tale servitium liber fiat a servitio chori.

2. « Hoc est privilegium Episcopi speciale, ut possit pro ser- « vitio suo uti opera duorum canonicorum, etiam sine capituli « consensu, et non probata utilitate ecclesiæ. » (Fagnanus, ibid., n. 5.) Prælatis inferioribus, licet jurisdictionem quasi episcopa-

Digitized by Google

lem habentibus, idem non liceret, nisi vel cum capituli consensu, vel probata necessitate aut utilitate.

3. Certum est et communiter admissum prædictos duos canonicos in servitio Episcopi detentos percipere fructus præbendarum suarum, licet choro non intersint. (Fagnanus, loco cit., n. 12.) — Eodem modo certum est eos non lucrari distributiones quotidianas, nisi forte præbenda ipsa consisteret in quotidianis distributionibus : tunc enim tertia tantum pars censenda esset reservata pro distributionibus proprie dictis et interessentibus choro distribueretur ; duas autem alias partes lucrarentur prædicti canonici. (Vide Fagnanum, loco citato.) Canonici tamen Romam ab Episcopo missi vel ipsum comitantes lucrantur etiam distributiones : non vero canonici lustrantes diœcesim cum Episcopo. Ita decisum vide apud Benedictum XIV (Institut. 107, § 9).

4. « Qui sane duo canonici vel beneficiati non solum ultro « debent suo Episcopo inservire in his quæ respiciunt ipsius et « ecclesiæ utilitatem, ut ex proxime relatis patet, verum etiam « ad id inviti ab eodem possunt cogi... Episcopus potest com- « pellere beneficiatos, ut ad ipsius servitium accedant. » (Fagnanus, loco cit. n. 15 et n. 24). Ubi supponit laudatus auctor ad id etiam per censuras posse Prælatum procedere.

Unde concludendum, posse ad Episcopo duos ex capitulo cathedrali quos maluerit ad sibi præstandam operam eligi, et istos ad obsequendum Prælato teneri.

5. An autem possit non solum duos canonicos ex cathedrali, sed etiam ex collegiata ab suum servitium detinere ? « Non solum « ex cathedrali, sed etiam ex collegiatis, ait Benedictus XIV « (Institut. ecclesiast. 107, § 9), uti sacra Congregatio respondit « die 1 septembris anno 1663. »

6. An possit Episcopus ad id munus eligere beneficiatos aut mansionarios cathedralis aut collegiatæ ? — Sacra Congregatio censuit, *Episcopis licere pro suo servitio adhibere etiam beneficiatos, tam ecclesiæ cathedralis, quam ecclesiæ collegiatæ suæ diœcesis ; ideoque declarationes hujus Sacræ Congregationis extendi etiam ad hujusmodi beneficiatos ; ita tamen, ut ultra duos non adhibeant.* (In causa *Avenionensi*, 7 januarii 1640 libro XVI decretorum, pag. 317 — apud Benedictum XIV,

Digitized by Google

loco citato.) Unde Episcopus potest quidem sive ex capitulo cathedrali, sive ex collegiata, et sive ex ordine canonicorum, sive ex ordine beneficiatorum sibi assumere illos duos ipsi a jure concessos; sed ultra duos in suo servitio retinere nequit, ut ex præcedentibus concludendum videtur.

7. Potest autem Episcopus sibi eligere duos quoslibet ex Dignitatibus et canonicis, exceptis iis, qui curam animarum gerunt, uti decisum a Sacra Congregatione concilii testatur Benedictus XIV (Institut. 107, § 9).

8. Excepto etiam Pœnitentiario, nôn vero canonico theologali, ut diximus supra.

9. Et exceptis pariter coadjutoribus. Nam ad dubium sic expositum : *Ex privilegio in corpore juris clauso, licet Episcopis uti opera duorum canonicorum, qui servitio hujusmodi durante reputantur præsentes ad effectum lucrandi fructus suarum præbendarum. Hoc posito, quærit Episcopus Calaguritanus an, vigore dicti privilegii, possit uti opera canonici coadjutoris, qui itidem servitio durante reputetur præsens ad effectum prædictum.* — Sacra Congregatio *censuit negative respondendum* (apud Benedictum XIV, loco citato).

§ 11

DE JURE EPISCOPI RELATIVE AD ELEEMOSYNAS MISSARUM IN CATHEDRALIBUS

« In ecclesiis, in quibus multæ colliguntur eleemosynæ pro « missis celebrandis, non licet eas in adeo ingenti numero acci- « pere, si congruo tempore omnibus satisfieri non possit; vel « saltem apponenda esset in publico tabella, in qua notum fieret « offerentibus eleemosynas, quod celebratio missarum propter « ingentem numerum differri oportet, cum dilatio notabilis « adimplementi oneris missarum, secluso consensu offerentium « eleemosynas, sit peccatum mortale, ut firmant quamplu- « rimi.

« Debent pariter Episcopi curare ad prædictum effectum, ne « ecclesiarum rectores vel administratores ex eleemosynis missa- « rum sibi retineant aliquam vel minimam portionem, etiam fa- « vore ecclesiarum, nisi adeo essent pauperes, ut subire non pos-

Digitized by Google

« sent propriis reditibus expensas necessarias pro earumdem ce-
« lebratione. Quo casu permittere possunt eisdem rectoribus
« sive administratoribus, ut tantummodo sibi retineant por-
« tionem quæ non excedat valorem dictarum expensarum;
« ut decrevit Sacra Congregatio concilii (in *Mexicana* 11 ja-
« nuarii 1698).

« Similiter providere debent, ne capitula vel alia loca pia
« plura onera missarum perpetua suscipiant, quam per sacer-
« dotes eisdem ecclesiis inservientes adimpleri possint, ne detur
« occasio in longius eorum satisfactionem protrahendi, vel
« non implendi (eadem Sacra Congregatio, in *Pistoriensi*,
« 30 maii 1643).

« Debent item Episcopi injungere canonicis qui in cathedra-
« libus sive collegiatis animarum curam quæ illis adnexa est
« exercent, ut missam parochialem diebus festis celebrent; et
« hebdomadarii, missam conventualem quotidie celebrantes,
« non sumant eleemosynam manualem, vel aliis obligationibus
« etiam ipsius cathedralis vel collegiatæ satisfaciant, non obstante
« quacumque contraria consuetudine; cum canonicus hebdoma-
« darius missam conventualem pro benefactoribus, et canonicus
« curatus pro populo applicare teneantur, ut sæpius resolvit
« Sacra Congregatio concilii. »

« Et tandem curare debent Episcopi, ut in ecclesiis, præser-
« tim ubi plures missæ celebrantur, tam vigore onerum perpe-
« tuorum, quam oblationum manualium, retineantur duo libri,
« in quibus diligenter adnotentur eleemosynæ quæ dietim reci-
« piuntur, cum adimplemento missarum ex utraque obligatione;
« ac retineatur capsa particularis pro reponendis eleemosynis
« manualibus; ut de dicto implemento rationem exigere queant
« ab iis quos spectat, prout rigorose tenentur virtute decreti In-
nocentii XII *De celebratione missarum*, de die 21 decem-
bris 1697. Contra contumaces vero in non implendis missis,
procedere debent.

« Illud tamen observandum est, quod Episcopus non potest
« in ecclesia cathedrali, sive collegiata, prætendere administra-
« tionem eleemosynarum quæ colliguntur pro celebratione mis-
« sarum manualium, sive illud alteri ad ejus voluntatem de-
« mandare, cum hoc spectet ad capitulum et ab eo deputatum,

Digitized by Google

« ut censuit Sacra Congregatio concilii (in *Sarnensi* 27 ju-
« nii 1705). » (Scarfantonius, tom. II, p. 6 et 7, editio Lucensis, 1723.)

§ 12

DE JURE EPISCOPI VISITANDI CATHEDRALEM, COLLEGIATAS ET CAPITULA

Certum et inconcussum est jus illud Episcopi : *capitula cathedralium et aliarum majorum ecclesiarum, illorumque personæ, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis et concordiis (quæ tantum suos obligent auctores, non etiam successores), tueri se possint, quominus a suis Episcopis et aliis majoribus prælatis, per seipsos solos, vel illis quibus sibi videbitur adjunctis, juxta canonicas sanctiones toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi et emendari, etiam auctoritate apostolica, possint et valeant.* (Trid. sess. 6, c. 4, *De ref.*) Quæ deerant huic decreto supplevit eadem Synodus, in sua sessione 25, c. 6, hoc modo : *Statuit sancta Synodus ut in omnibus ecclesiis cathedralibus et collegiatis, decretum... quod incipit,* Capitula cathedralium, *observetur non solum quando Episcopus visitaverit, sed et quoties ex officio vel ad petitionem alicujus, contra aliquem ex contentis in dicto decreto procedat : ita tamen ut, cum extra visitationem processerit, infra scripta omnia locum habeant : videlicet ut capitulum initio cujuslibet anni eligat ex capitulo duos, de quorum consilio et assensu Episcopus vel ejus vicarius, tam in formando processum, quam in cæteris omnibus actibus, usque ad finem causæ inclusive (coram notario tamen ipsius Episcopi et in ejus domo aut consueto tribunali) procedere teneatur. Unum autem tantum sit utriusque votum, possitque alter Episcopo accedere. Quod si ambo ab Episcopo discordes... fuerint, tunc intra sex dierum spatium cum Episcopo tertium eligant. Et si in electione tertii etiam discordent, ad viciniorem Episcopum electio devolvatur. Et juxta eam partem cum qua tertius conveniet, articulus in quo erat discordia terminetur. Alias processus et inde secuta nulla sint... Hæc autem omnia in iis ecclesiis locum non habent in quibus Episcopi... ex constitutionibus... aut consuetudinibus... seu quocumque alio jure,*

Digitized by Google

majorem habent potestatem... quam præsenti decreto sit comprehensum.

1. Intra tempus visitationis, sive capitula sint exempta sive non, potest Episcopus quoscumque de capitulo visitare, et pœnis corrigere, etiam non adhibitis duobus adjunctis de capitulo, cum decretum Tridentinum non præscribat duos adjunctos, nisi quando Episcopus vult procedere *extra visitationem.*

2. Non potest tamen *intra tempus visitationis* imponere pœnas ordinarias per formam judicialem, sed extraordinarias tantum, quæ nempe correctionem magis quam punitionem respiciant, et non per viam judicialem. Sacra Congregatio concilii (in *Conchensi*, 23 novembris 1647, libro 18 decretorum, fol. 445) ad dubium : *An Episcopus, sive ejus vicarius teneatur dum visitat ecclesiam cathedralem et personas capitulares adhibere adjunctos conjudices a capitulo quotannis eligendos, vel potius soli possint per seipsos procedere, informationes sumere, corrigere, ac punire, nulla tamen servata forma judicii, seu processu compilato* — Respondit : *Posse in visitatione, absque adjunctis conjudicibus, ecclesiam cathedralem et capitulares visitare, eisque pœnas imponere extraordinarias, quæ magis morum correptionem quam punitionem respiciant; non autem extra visitationem, quando contra capitulares ad pœnas extraordinarias procederet.* (Apud Scarfantonium, t. II, p. 131, edit. Lucæ, 1723.)

3. An Episcopus *extra visitationem* procedens teneatur adhibere duos adjunctos conjudices a capitulo electos? — Certum est illum ad id teneri, quando capitulum est exemptum. De casu vero quo capitulum non esset exemptum, olim disputatum est ; sed jam a multo tempore, teste Cardinali de Luca et recentioribus canonistis, ut certum admittitur, præscriptionem Tridentini de adhibendis adjunctis non ligare Episcopos nisi quoad capitula exempta, ut alibi docuimus.

4. Prædictum jus Episcopi in capitula et cathedrales extenditur ad capellas sive ecclesias eidem cathedrali annexas, quæ sequuntur naturam principalis. (Vide Scarfantonium, loco citato.)

5. Item comprehendit administrationem redituum, non tantum canonicorum, sed et beneficiatorum et fabricæ ecclesiæ. Sacra Congregatio (in *Segobricensi*, anno 1590, l. 6 decreto-

Digitized by Google

rum, fol. 89) ad dubia : *X, An Episcopus possit in visitatione exigere rationes suarum administrationum a capitulo, saltem earum, quarum commodum non ad canonicos tantum, sed et ad beneficiatos et ministros ecclesiæ spectat: item an hujusmodi rationum exactio possit fieri per ipsum Episcopum tantum, et non una cum duobus canonicis adjunctis. — XI, an etiam possit Episcopus solus visitare fabricam ecclesiæ cathedralis, et rationes ejus exigere* — Respondit : *Ad X, Episcopum solum, vel his quibus sibi videbitur adjunctis, posse capitulares, et bona, rerumque et bonorum administrationem visitare. — Ad XI, itidem posse.*

6. « Illud etiam observandum est, quod Episcopus potest occa-
« sione dictæ visitationis sibi facere deferri libros capitulares, in
« quibus apparent administrationes , tam redituum capituli,
« quam aliorum piorum operum, ad proprium palatium ; abs-
« que eo quod teneatur ipse accedere ad aulam capitularem ad
« revisendos libros, ut plene decrevit Rota (in *Hispalensi,* 30
« aprilis 1700, et 25 novembris 1701, coram Molines). Ita ut si
« canonici renuerent obtemperare mandatis Episcopi deman-
« dantis transportationem librorum ad suum episcopale pala-
« tium, posset contra eos etiam per censuras procedere... Sicuti
« pariter non tenentur Episcopi per se ipsos incumbere dictæ
« revisioni computorum , sed etiam possunt id explere per
« personas sibi bene visas, et etiam in hoc casu demandare
« eamdem asportationem librorum ad suum episcopale palatium.

« Non tamen potest Episcopus petere exhibitionem indefini-
« tam librorum capituli, sed eorum tantum qui respiciunt ad-
« ministrationem quam visitandam suscipit, adeo ut petere ne-
« queat transportationem aliorum, nisi inceptam absolverit.
« Rota in dicta *Hispalensi*, anni 1701. » (Scarfantonius, t. II, p. 132, edit. Lucæ, 1723.) Vide etiam, in *Thesauro resolutionum,* causam Pisciensem, tomo XXII, p. 21 et 56.)

7. Episcopus cogere potest etiam cum censuris capitulares ad sese subjiciendum visitationi personali. Sacra Congregatio concilii (in *Aprutina*, 18 julii 1705) ad dubium, an sit cogendum capitulum ad se subjiciendum visitationi personali ab Episcopo indictæ, et sub quibus pœnis, rescripsit : *affirmative* et sub pœnis etiam censurarum.

Digitized by Google

8. Quoad tempus quo liceat Episcopo retinere visitationem apertam, duo certa sunt ex variis decisionibus Sacræ Congregationis concilii : *Primo* non posse Episcopum visitationis suæ tempus protrahere per annum integrum. *Secundo*, durationem, modo infra annum, relinqui arbitrio Episcopi. Sacra Congregatio (in *Turritana*, 15 novembris 1704) ad dubia : *V, an Archiepiscopo liceat integro anno retinere apertam visitationem tam in ipsa cathedrali, quam in tota diœcesi. — VI, an, et infra quod tempus debeat visitationem explere* — Respondit : *Ad V, negative, et servetur forma concilii. — Ad VI, arbitrio et conscientia Ordinarii, ad formam concilii.* (Apud Scarfantonium, loco citato.)

9. « Sede vacante jus visitandi transit in ipsum capitulum, et « visitationem potest prosequi in illa parte diœcesis quæ non « fuit ab Episcopo visitata ; et elapso anno a die ultimæ visitatio- « nis per Episcopum factæ, novam visitationem potest inchoare. » Ita Scarfantonius, qui citat responsum Congregationis concilii, hoc declarantis.

Visitator tamen a capitulo deputatus non potest exigere a locis visitandis contributionem pro Episcopo taxatam, sed ad summum dimidiam ; nec potest secum ducere duos canonicos, sed tantum notarium et unum famulum. Et ita declaravit Sacra Congregatio concilii, 17 augusti 1697, ut legere est in libro 47 decretorum, folio 404.

CAPUT II

OBLIGATIONES QUOAD DIVINUM OFFICIUM ET SERVITIUM CHORI

Cum in institutionibus juris canonici non tantum principia generalia tradenda sint, sed descendendum etiam sit ad particulares applicationes, et quantum fieri potest ad resolutionem casuum qui in praxi difficultatem creare possent, id præcipue servandum duximus in valde practica præsentis capitis materia. Dum vero exponendæ erant obligationes canonicorum circa divini officii persolutionem, simul visum est ita rem tractare, ut alii clerici, qui ad idem officium tenentur, quid sibi incumberet colligere possent.

Digitized by Google

§ 1

QUID SIT DIVINUM OFFICIUM, ET UNDE ORTUM ET QUO BREVIARIO UTENDUM SIT, SUB PŒNA NON SATISFACIENDI. REMISSIVE.

1. Officium generaliter sumptum est illud quod quisque pro suæ personæ conditione efficere debet.

Officium divinum dictum est quædam externa ratio laudandi precandique Deum certis personis injuncta.

Divinum officium a tempore Apostolorum fuit institutum et postea a variis summis pontificibus in septem horas canonicas, id est, a canone seu regula præscriptas, distributum ; ita ut officium divinum et horæ canonicæ idem sonent.

Nascentis Ecclesiæ initio, tam clerus quam populus, publice in locis sacris divinum officium simul decantabant. Adulta autem Ecclesia, et satis aucto laicorum numero, quia hi in statu corporis decorem decentem ex parte non servabant atque ob cantus imperitiam voces absonas et incongruas emittebant, visum fuit summis Pontificibus hujusmodi morem mutare, et ad elegantiam et decorem divinarum precum fuerunt selecti aptissimi clerici, qui publice horas canonicas in ecclesiis cathedralibus et collegiatis quotidie canerent (ita Spondanus, in compendio annalium Baronii, anno 60, n. 13).

Si quis ex dictis clericis non conveniret ad publicam psalmodiam, remanebat obnoxius ad hujusmodi pensum private recitandum, prout ad præsens tenentur omnes et singuli beneficiati aut sacris ordinibus initiati.

Modus autem alternatim cantandi psalmorum versiculos, in Oriente primum a Diodoro ac Flaviano laicis, deinde Episcopis, institutus est; quam consuetudinem S. Joannes Chrysostomus in ecclesiam Constantinopolitanam primus invexit. Eam imitatus est Mediolani sanctus Ambrosius, unde et in toto orbe postea invaluit (Benedictus XIV, *Institutiones canonicæ*, inst. 107, § 5). De quo ritu sic sanctus Augustinus (*Confess.*, l. IX, c. 7) : *Non longe cœperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consolationis et exhortationis celebrare magno studio fratrum concinentium vocibus et cordibus. Nimirum annus erat, aut non*

Digitized by Google

multo amplius, cum Justina Valentiniani regis pueri mater hominem tuum Ambrosium persequeretur, hæresis suæ causa... Excubabat pia plebs in ecclesia, mori parata cum Episcopo suo, servo tuo... Tunc hymni et psalmi ut canerentur secundum morem orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est; et ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac pene omnibus gregibus tuis, ac per cæteras orbis partes imitantibus... Quantum flevi in hymnis et canticis tuis suavesonantis ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter!

Hanc brevissimam de divino officio notionem hic cursim tradimus, cum ad scopum hujus tractatus illa materia non pertineat. Sed vide illam fuse et doctissime expositam a R. P. Guéranger, abbate Solesmensi, in suo notissimo opere cui titulus *Institutions liturgiques.*

II. Quibusnam autem breviariis, missalibus aliisque libris liturgicis utendum sit, est quæstio gravissima, quam expendi speciali tractatu meo *de jure liturgico*, cujus secunda jam editio prodiit, et ad quem lectorem remitto.

§ 2

OBLIGATIO QUOAD INTEGRITATEM OFFICII TUM SUB CULPA, TUM SUB PŒNA RESTITUTIONIS

Qui habent beneficium, non tantum peccant, si officium divinum non persolvant integre, sed insuper tenentur ad restitutionem pro rata omissionis, ad normam sequentium decretorum:

Concilium Lateranense sub Leone X: *Statuimus quoque, ut quilibet habens beneficium, si post sex menses ab obtento beneficio, officium divinum non dixerit, legitimo impedimento cessante, fructus non faciat suos pro rata omissionis recitationis officii et temporis.*

S. Pius V in sua constitutione *Ex proximo* anni 1571: *Statuimus ut qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii fructus, qui illi vel illis diebus responderent; qui vero matutinum, tantum dimidiam; qui cæteras alias horas, aliam dimidiam; qui horam singulam, sextam partem fructuum illius diei amittat.* De eo qui adesset choro,

Digitized by Google

sed non recitaret, et tamen prætenderet ex consuetudine vel alio titulo se facere fructus suos, sic pergit S. Pius V : *Is etiam præter fructuum et distributionum amissionem, grave peccatum intelligat se admisisse. Item ille qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse.*

Prædicta autem restitutio certe debetur ante judicis sententiam, siquidem ab Alexandro VII damnata est propositio contraria quæ sic habebat : *Restitutio a Pio V imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.*

Discutiendæ veniunt circa materiam hanc plures difficultates.

1° An omittens officium sine culpa teneatur ad restitutionem? — Duplex sententia : probabilior negans. (Vide S. Liguorium, l. III, tract. 5, n. 665.)

2° An omittens partem aliquam, non tamen notabilem, alicujus horæ teneatur ad restituendos fructus pro rata? — Controvertitur (Liguorius, loco citato, n. 668). Si autem omitteretur pars notabilis alicujus horæ, videtur certa obligatio restituendi : item si partes leves omissæ in qualibet hora efficerent simul materiam gravem.

4° Beneficiarius qui præter onus recitandi officii habet etiam alia sustinenda onera beneficio annexa, si legitime non impeditus omittat, v. g. totum officium unius diei, non tenetur reddere omnes fructus hujus diei, sed eam partem retinere potest quæ correspondet aliis oneribus quibus satisfecit. Ita interpretandam bullam S. Pii V tenent communiter auctores (Liguorius, ibid., n. 673).

5° Si omittatur sine legitimo impedimento pars notabilis officii, est peccatum grave ; si omittatur pars exigua, est peccatum veniale.

6° Quænam autem omissio sit notabilis vel non, sic æstimari potest cum S. Liguorio (l. IV, c. 2, n. 147) : Probabilius materia levis est omittere minus quam integram parvam horam. Si autem prætermittatur integra parva hora, omissio est certo gravis, nec ullo modo probabilis est sententia opposita.

Tenendum etiam est peccare mortaliter qui omittit unum nocturnum integre. Utrum autem omissio trium lectionum cum

Digitized by Google

[illegible], controvertitur. Bene pro generali [illegible] materiam esse parvam, quæ non [illegible] unius integræ horæ. Hinc certum est [illegible]um, non esse grave peccatum omittere [illegible] unam lectionem, et similia.

[illegible] an aliquid ex officio omiserit, an teneatur id [illegible] negative quoad scrupulosos. Quoad alios, si dubium [illegible] id est, si habeant aliquam rationem judicandi eam [illegible] recitatam esse, non tenentur repetere: si dubium sit ne[illegible] debet recitari pars de qua dubitatur. Ita ex variis auctoribus S. Liguorius (loco citato, n. 150). Quæ tamen distinctio inter dubium positivum et negativum, non tantum valde subtilis et in praxi parum utilis, sed nec in re fundata nobis videtur: non enim dubitatur nisi ex aliqua ratione dubitandi, ac proinde omne dubium est semper positivum. Hoc ipso enim quod quis non recordetur an aliquid recitaverit, nec certo concludere possit se non recitasse, remanet probabile ipsum recitasse, et hæc visa probabilitas est ratio positiva dubitandi.

8. An sive in choro sive extra chorum ex obligatione recitari debeant officium Beatæ Virginis, officium defunctorum, psalmi pœnitentiales, et graduales? Ista quidem recitanda indicat certis diebus rubrica Breviarii Romani. Sed sciendum est intervenisse declarationem a sancto Pio V (in sua constitutione 64) ex qua omne dubium facile diluitur: *Quod vero*, ait ille Pontifex, *in rubricis nostri hujus officii præscribitur, quibus diebus officium Beatæ Mariæ semper Virginis, item defunctorum, item septem psalmos pœnitentiales et graduales dici et psalli oporteat: nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione removendum duximus... Hoc autem concedimus sine præjudicio sanctæ consuetudinis illarum ecclesiarum in quibus officium parvum Beatæ Mariæ semper Virginis in choro dici consueverat, ita ut in prædictis ecclesiis servetur ipsa sancta et laudabilis consuetudo celebrandi more solito prædictum officium.* Porro ex illa constitutione hæc concludenda videntur.

Primo. « Sanctus Pius V... sanxit onus ejusmodi non immutari « pro illis qui breviario recenter ipsius jussu in novam formam « redacto nequaquam uterentur. » (Benedictus XIV, *Inst. eccle-*

Digitized by Google

siasticæ, inst. 107, § 1.) Unde quælibet ecclesia quæ hodie non sequitur liturgiam Romanam, tenetur ad preces et officia supradicta, prout tenebatur ante S. Pium V; nisi tamen consuetudo contraria legitime præscripserit.

Secundo. Certum est eos omnes qui utuntur liturgia Romana a S. Pio V præscripta, omnino liberos esse, et privatim et in choro, ab obligatione recitandi officium defunctorum, psalmosque pœnitentiales et graduales.

Tertio. Perseverat tamen obligatio quoad officium parvum Beatæ et Immaculatæ Virginis in choro recitandum in iis ecclesiis, in quibus vigebat tempore sancti Pii V. In ecclesiis autem in quibus vel tunc non extabat illa obligatio, vel postea per consuetudinem legitime præscriptam sublata est, sine ulla culpa in choro omittitur et illud Beatæ Virginis officium. Extra chorum autem nulla est ullibi ad dictum officium obligatio.

Quarto. Quidquid dicat sanctus Liguorius (l. IV, c. 2, n. 160), nullo modo probabilis est nunc obligatio recitandi officii defunctorum (extra diem Animarum), ubi viget liturgia Romana; sed dicendum, ob prædictam S. Pii V constitutionem, neque extra chorum, neque in choro illam obligationem existere. Quæ omnia clarius cæteris exposuisse videtur Benedictus XIV in suis *Institutionibus ecclesiasticis* (Inst. 107, § 1).

Quinto. Pro regula tenendam esse prædictam S. Pii V constitutionem quoad officium defunctorum, psalmos graduales et pœnitentiales declaravit Sacra Congregatio Rituum (apud Gardellini, n. 141): itemque quoad officium parvum B. M. Virginis (ibid., n. 254); ita ut nequeant canonici ad dicta officia adstringi extra casum jam vigentis in eorum ecclesia consuetudinis (ibidem, n. 666.)

9. Litaniæ diebus Rogationum recitandæ sunt, etiam ab iis qui choro non intersunt, et quidem sub gravi, ut tenet sententia communior (Sanctus Liguorius, l. IV, c. 2, n. 160).

§ 3

OBLIGATIO QUOAD DEBITUM HORARUM ORDINEM

Servandus est scilicet ordo septem horarum canonicarum, ut prius dicatur matutinum cum laudibus, exinde prima, tertia,

Digitized by Google

responsoriis sit materia gravis, controvertitur. Bene pro generali regula haberi potest, illam materiam esse parvam, quæ non pertingit ad quantitatem unius integræ horæ. Hinc certum est et communiter admissum, non esse grave peccatum omittere unum psalmum aut unam lectionem, et similia.

7° Qui dubitat an aliquid ex officio omiserit, an teneatur id recitare? — Negative quoad scrupulosos. Quoad alios, si dubium sit positivum, id est, si habeant aliquam rationem judicandi eam partem recitatam esse, non tenentur repetere : si dubium sit negativum debet recitari pars de qua dubitatur. Ita ex variis auctoritatibus S. Liguorius (loco citato, n. 150). Quæ tamen distinctio inter dubium positivum et negativum, non tantum valde subtilis et in praxi parum utilis, sed nec in re fundata nobis videtur: non enim dubitatur nisi ex aliqua ratione dubitandi, ac proinde omne dubium est semper positivum. Hoc ipso enim quod quis non recordetur an aliquid recitaverit, nec certo concludere possit se non recitasse, remanet probabile ipsum recitasse, et hæc visa probabilitas est ratio positiva dubitandi.

8. An sive in choro sive extra chorum ex obligatione recitari debeant officium Beatæ Virginis, officium defunctorum, psalmi pœnitentiales, et graduales? Ista quidem recitanda indicat certis diebus rubrica Breviarii Romani. Sed sciendum est intervenisse declarationem a sancto Pio V (in sua constitutione 64) ex qua omne dubium facile diluitur : *Quod vero*, ait ille Pontifex, *in rubricis nostri hujus officii præscribitur, quibus diebus officium Beatæ Mariæ semper Virginis, item defunctorum, item septem psalmos pœnitentiales et graduales dici et psalli oporteat : nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione removendum duximus... Hoc autem concedimus sine præjudicio sanctæ consuetudinis illarum ecclesiarum in quibus officium parvum Beatæ Mariæ semper Virginis in choro dici consueverat, ita ut in prædictis ecclesiis servetur ipsa sancta et laudabilis consuetudo celebrandi more solito prædictum officium*. Porro ex illa constitutione hæc concludenda videntur.

Primo. « Sanctus Pius V... sanxit onus ejusmodi non immutari « pro illis qui breviario recenter ipsius jussu in novam formam « redacto nequaquam uterentur. » (Benedictus XIV, *Inst. eccle-*

Digitized by Google

siasticæ, inst. 107, § 1.) Unde quælibet ecclesia quæ hodie non sequitur liturgiam Romanam, tenetur ad preces et officia supradicta, prout tenebatur ante S. Pium V; nisi tamen consuetudo contraria legitime præscripserit.

Secundo. Certum est eos omnes qui utuntur liturgia Romana a S. Pio V præscripta, omnino liberos esse, et privatim et in choro, ab obligatione recitandi officium defunctorum, psalmosque pœnitentiales et graduales.

Tertio. Perseverat tamen obligatio quoad officium parvum Beatæ et Immaculatæ Virginis in choro recitandum in iis ecclesiis, in quibus vigebat tempore sancti Pii V. In ecclesiis autem in quibus vel tunc non extabat illa obligatio, vel postea per consuetudinem legitime præscriptam sublata est, sine ulla culpa in choro omittitur et illud Beatæ Virginis officium. Extra chorum autem nulla est ullibi ad dictum officium obligatio.

Quarto. Quidquid dicat sanctus Liguorius (l. IV, c. 2, n. 160), nullo modo probabilis est nunc obligatio recitandi officii defunctorum (extra diem Animarum), ubi viget liturgia Romana; sed dicendum, ob prædictam S. Pii V constitutionem, neque extra chorum, neque in choro illam obligationem existere. Quæ omnia clarius cæteris exposuisse videtur Benedictus XIV in suis *Institutionibus ecclesiasticis* (Inst. 107, § 1).

Quinto. Pro regula tenendam esse prædictam S. Pii V constitutionem quoad officium defunctorum, psalmos graduales et pœnitentiales declaravit Sacra Congregatio Rituum (apud Gardellini, n. 141): itemque quoad officium parvum B. M. Virginis (ibid., n. 254); ita ut nequeant canonici ad dicta officia adstringi extra casum jam vigentis in eorum ecclesia consuetudinis (ibidem, n. 666.)

9. Litaniæ diebus Rogationum recitandæ sunt, etiam ab iis qui choro non intersunt, et quidem sub gravi, ut tenet sententia communior (Sanctus Liguorius, l. IV, c. 2, n. 160).

§ 3

OBLIGATIO QUOAD DEBITUM HORARUM ORDINEM

Servandus est scilicet ordo septem horarum canonicarum, ut prius dicatur matutinum cum laudibus, exinde prima, tertia,

Digitized by Google

sexta, nona, vesperæ, et ultimo loco completorium. Sic habet canon *Presbyter* distinctionis 91 : *Presbyter mane matutinali officio expleto, pensum servitutis suæ, canendo primam, tertiam sextam nonamque persolvat... Propheta dicente,* Septies in die laudes dixi tibi. *Qui septenarius sacratus numerus a nobis sic implebitur, si matutinæ, primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vesperæ, completoriique tempore nostræ servitutis officia persolvamus: quia de his dixit propheta :* Septies in die laudes dixi tibi. *Nam de nocturnis vigiliis idem ipse propheta ait :* Media nocte surgebam ad confitendum tibi. *Ergo his temporibus referamus laudes Creatori nostro super judicia justitiæ suæ* (Ex concilio Nannetensi).

1° An inversio prædicti horarum ordinis in *recitatione publica* chori sit graviter culpabilis ? — Duplex sententia, utraque probabilis. (S. Liguorius, l. IV, c. 2, p. 171.)

2° Quid de eadem inversione in recitatione privata ? — Facta sine causa rationabili, non est culpa gravis, sed tantum venialis : ita communis sententia. Facta ex causa rationabili nullo modo est culpabilis. (S. Liguorius, l. IV, c. 2, n. 170.)

§ 4

OBLIGATIO QUOAD LOCUM, SEU OBLIGATIO ASSISTENDI CHORO

I. « Certum est quod clerici ecclesiarum cathedralium et collegiatarum tenentur ad officium *in choro.* » (Liguori, l. III, tract. 5, c. 2, n. 675.) Sic habet canon ultimus distinctionis 92 : *Si quis presbyter aut diaconus vel quilibet clericus ecclesiæ deputatus, si intra civitatem fuerit, aut in quolibet loco in quo ecclesia est, et ad quotidianum psallendi officium matutinis et vespertinis horis ad ecclesiam non convenerit, deponatur a clero, si tamen castigatus veniam ab Episcopo per satisfactionem noluerit promereri.* Ex quo textu videtur antiquam esse obligationem quoad locum. Concilium autem Tridentinum sic statuit : *Compellantur, in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare.* (Sess. 24, c. 12, *De ref.*)

Illa tamen obligatio aliquod admittit temperamentum. « Adverti

Digitized by Google

« debent, ait Benedictus XIV (institutione 107, § 4), quæ S. Ca-
« rolus Borromæus admonuit : *Matutinum in choro celebretur.*
« *At si tamen vehementia frigora sint, vel aliæ justæ causæ*
« *intercedant, de licentia Episcopi in sacristia, vel honesto alio*
« *ejus ecclesiæ loco dici possit.* Idem probavit Sacra Congregatio
« concilii die 18 novembris, anno 1645. » Ille autem alter locus tunc censetur et est chorus.

Unde ex rationabili causa ab Episcopo approbata potest locus chori mutari in alium ejusdem ecclesiæ. Quod etiam ex rationabili consuetudine introduci et valere potest. Certum autem est peccare canonicum qui, præscindendo a causis excusantibus, choro non assistit.

II. An autem obligatio assistendi choro obliget unumquemque canonicum sub gravi ? — Si canonicus absit tantum per tres vel quatuor dies, est sententia communis eum non peccare graviter. (Liguori, loco citato, n. 675.) Si vero absit per tempus *notabile,* verior sententia est, ipsum peccare graviter, licet contrarium teneant non pauci theologi. (Liguori, ibid.)

III. An qui a choro ex culpa sua abest faciat fructus suos ? — 1° Certum est ipsum non posse lucrari distributiones : *Distributiones vero qui statis horis interfuerint recipiant ; reliqui quavis collusione aut remissione exclusa his careant.* (Trid., sess. 24, c. 12.) Non privantur autem distributionibus qui absunt ex quibusdam legitimis causis, ut dicetur infra.

2° Non minus certum est nunc, prædictum qui culpabiliter abest non lucrari fructus præbendæ et teneri ad restitutionem. Concilium Tridentinum statuit de talibus ipsos primo anno privandos esse dimidia parte fructuum, secundo anno omnibus fructibus, tertio anno procedendum contra ipsos juxta canones (Sess. 24, c. 12, *De ref.*) ; unde concludebant canonistæ eos non spoliari statim a jure, sed tantum post sententiam. Sed intervenit breve *Dilecte fili* Benedicti XIV, 19 junii 1748, dubium omne dirimens. In illo enim decreto, infra citando, statuitur expresse eos qui in choro *non canunt* non facere fructus suos ; ergo a fortiori idem dicendum de iis qui non intersunt.

IV. An autem obligatio assistendi choro intelligenda sit quoad integrum officium comprehensis etiam parvis horis ? — Non solum canonici tenentur « vi sui muneris psallere in choro, sed

Digitized by Google

« etiam *omnibus horis divini officii* interesse, sub cujus no-
« mine continentur septem horæ...; ita ut non valeat consuetudo
« ut canonici solum intersint horis majoribus, et pro reliquis non
« sint assignatæ distributiones. Et hinc Sacra Congregatio con-
« cilii (in *Novariensi,* anno 1660) improbavit consuetudinem
« jamdiu receptam in ecclesia cathedrali Novariensi et canonisa-
« tam per Legatum Apostolicum, juxta quam canonici dictæ ec-
« clesiæ interessendo tantummodo matutino, laudibus, missæ et
« vesperis, lucrabantur omnes distributiones. » (Scarfantonius, t. I, pag. 149, n. 17, edit. Lucæ, 1723.)

Cum hodie in Gallia et aliis regionibus debeant canonici multa alia obire munia, ex eo quod per alios eadem sufficienter præstari nequeant, concessuram Sanctam Sedem putamus, ut, ex indulto, non tenerentur nisi partem officii in choro explere, aut etiam nisi diebus dominicis et festivis interesse. Nec insolitæ sunt hujusmodi concessiones, ut adnotatur in *Thesauro resolutionum* Sacræ Congregationis concilii (tomo LVIII, pag. 181), ubi asseritur servitium chori ex justa causa quandoque reduci ad festivos dies.

« Absentes a choro non debent puniri nisi in amissione distri-
« butionum (Sacra Congregatio Episcoporum et reg., in *Fundana,*
« 16 martii 1593); et alia decreta refert Nicol. in *Flosc.* verb. *Ca-*
« *nonicatus,* n. 31. At si amissio ista esset parva et contumacia
« canonici absentis perduraret frequenter servitium negligendo,
« tunc posset Episcopus punctaturas augere (Sacra Congregatio
« concilii, in causa civitatis Castellanæ, 16 junii 1697). » (Monacelli, tit. II, formula 4, adnot. 4.)

« Non interessentes concioni tempore Quadragesimæ possunt
« punctari, quia est defectus gravis et mali exempli (Pignatelli,
« t. IV, consult. 206, n. 61). » (Monacelli, tit. II, formula 4, adnot. 3.)

§ 5

OBLIGATIO QUOAD TEMPUS RECITATIONI OFFICII ASSIGNATUM

1° Limites præfixi intra quos totum absolvi debet officium, sunt a media nocte usque ad mediam noctem; ita tamen, ut in officio privato anticipari possint pridie matutinum et laudes diei sequentis.

Digitized by Google

2° Assignantur præterea limites pro unaquaque officii parte. Qui assignata tempora non servat absque justa causa, sed tamen totum officium absolvit a media nocte ad mediam noctem, peccat venialiter : si ex rationabili causa non servet, nullo modo peccat.

3° Celebrare missam ante recitatum matutinum est tantum veniale si fiat sine causa. Ita probabilius et communius doctores. (S. Liguorius, l. IV, c. 2, n. 171.) Si vero fiat ex causa rationabili, non est culpabile.

4° Tempus legitimum pro unaquaque hora : — Horæ parvæ licite recitantur a tempore auroræ usque ad meridiem. Nona potest dici etiam post meridiem ; imo etiam sexta, ut tenent multi auctores. Vesperæ dici possunt a meridie usque ad mediam noctem.

5° « Matutinum hodie ex consuetudine jam præscripta bene « potest recitari *hora vesperarum* diei antecedentis. » Ita S. Liguorius : et certum est quoad recitationem privatam. De recitatione in choro dicetur infra.

6° Sed quæstio est, quomodo intelligenda sit illa hora vesperarum. — Duplex sententia. Prior, probabilissima dicta a Salmanticensibus, intelligit horam vesperarum esse horam secundam post meridiem. Secunda sententia, cui adhæret S. Liguorius, intelligit illam horam quæ propior sit ad occasum solis quam ad meridiem ; quæ hora variat pro variis anni temporibus. Et juxta hanc ultimam sententiam confectum est *Directorium Romanum*, seu tabella indicans qua hora quolibet anni tempore inchoari possit matutinum. Quam tabellam quisque tuto sequi potest. (Vide S. Liguorium, l. IV, c. 2, n. 174.)

7° An etiam in choro possit pridie recitari matutinum cum laudibus ? De hac quæstione ita disserit Benedictus XIV in suis *Institutionibus ecclesiasticis* (Instit. 107, § 4, n. 22) : « At vero « de matutino et laudibus quas in choro persolvere debent cano- « nici cathedralibus seu collegialibus cooptati, hæc statuuntur « in Clementina (tit. De celebratione missarum) : *Sancimus ut* « *ii ad quos pertinet, omni negligentia ac incuria relegata,* « *ut in cathedralibus, regularibus et collegiatis ecclesiis, horis* « *debitis psallatur, sollicitam curent diligentiam adhibere.* « Porro illud verissimum est quod S. Carolus Borromæus scri- « ptum reliquit de matutini tempore (Conc. I, Mediol., parte 2) :

Digitized by Google

responsoriis sit materia gravis, controvertitur. Bene pro generali regula haberi potest, illam materiam esse parvam, quæ non pertingit ad quantitatem unius integræ horæ. Hinc certum est et communiter admissum, non esse grave peccatum omittere unum psalmum aut unam lectionem, et similia.

7° Qui dubitat an aliquid ex officio omiserit, an teneatur id recitare? — Negative quoad scrupulosos. Quoad alios, si dubium sit positivum, id est, si habeant aliquam rationem judicandi eam partem recitatam esse, non tenentur repetere : si dubium sit negativum debet recitari pars de qua dubitatur. Ita ex variis auctoritatibus S. Liguorius (loco citato, n. 150). Quæ tamen distinctio inter dubium positivum et negativum, non tantum valde subtilis et in praxi parum utilis, sed nec in re fundata nobis videtur: non enim dubitatur nisi ex aliqua ratione dubitandi, ac proinde omne dubium est semper positivum. Hoc ipso enim quod quis non recordetur an aliquid recitaverit, nec certo concludere possit se non recitasse, remanet probabile ipsum recitasse, et hæc visa probabilitas est ratio positiva dubitandi.

8. An sive in choro sive extra chorum ex obligatione recitari debeant officium Beatæ Virginis, officium defunctorum, psalmi pœnitentiales, et graduales? Ista quidem recitanda indicat certis diebus rubrica Breviarii Romani. Sed sciendum est intervenisse declarationem a sancto Pio V (in sua constitutione 64) ex qua omne dubium facile diluitur : *Quod vero*, ait ille Pontifex, *in rubricis nostri hujus officii præscribitur, quibus diebus officium Beatæ Mariæ semper Virginis, item defunctorum, item septem psalmos pœnitentiales et graduales dici et psalli oporteat : nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione removendum duximus... Hoc autem concedimus sine præjudicio sanctæ consuetudinis illarum ecclesiarum in quibus officium parvum Beatæ Mariæ semper Virginis in choro dici consueverat, ita ut in prædictis ecclesiis servetur ipsa sancta et laudabilis consuetudo celebrandi more solito prædictum officium*. Porro ex illa constitutione hæc concludenda videntur.

Primo. « Sanctus Pius V... sanxit onus ejusmodi non immutari « pro illis qui breviario recenter ipsius jussu in novam formam « redacto nequaquam uterentur. » (Benedictus XIV, *Inst. eccle-*

Digitized by Google

siasticæ, inst. 107, § 1.) Unde quælibet ecclesia quæ hodie non sequitur liturgiam Romanam, tenetur ad preces et officia supradicta, prout tenebatur ante S. Pium V; nisi tamen consuetudo contraria legitime præscripserit.

Secundo. Certum est eos omnes qui utuntur liturgia Romana a S. Pio V præscripta, omnino liberos esse, et privatim et in choro, ab obligatione recitandi officium defunctorum, psalmosque pœnitentiales et graduales.

Tertio. Perseverat tamen obligatio quoad officium parvum Beatæ et Immaculatæ Virginis in choro recitandum in iis ecclesiis, in quibus vigebat tempore sancti Pii V. In ecclesiis autem in quibus vel tunc non extabat illa obligatio, vel postea per consuetudinem legitime præscriptam sublata est, sine ulla culpa in choro omittitur et illud Beatæ Virginis officium. Extra chorum autem nulla est ullibi ad dictum officium obligatio.

Quarto. Quidquid dicat sanctus Liguorius (l. IV, c. 2, n. 160), nullo modo probabilis est nunc obligatio recitandi officii defunctorum (extra diem Animarum), ubi viget liturgia Romana; sed dicendum, ob prædictam S. Pii V constitutionem, neque extra chorum, neque in choro illam obligationem existere. Quæ omnia clarius cæteris exposuisse videtur Benedictus XIV in suis *Institutionibus ecclesiasticis* (Inst. 107, § 1).

Quinto. Pro regula tenendam esse prædictam S. Pii V constitutionem quoad officium defunctorum, psalmos graduales et pœnitentiales declaravit Sacra Congregatio Rituum (apud Gardellini, n. 141): itemque quoad officium parvum B. M. Virginis (ibid., n. 254); ita ut nequeant canonici ad dicta officia adstringi extra casum jam vigentis in eorum ecclesia consuetudinis (ibidem, n. 666.)

9. Litaniæ diebus Rogationum recitandæ sunt, etiam ab iis qui choro non intersunt, et quidem sub gravi, ut tenet sententia communior (Sanctus Liguorius, l. IV, c. 2, n. 160).

§ 3

OBLIGATIO QUOAD DEBITUM HORARUM ORDINEM

Servandus est scilicet ordo septem horarum canonicarum, ut prius dicatur matutinum cum laudibus, exinde prima, tertia,

Digitized by Google

sexta, nona, vesperæ, et ultimo loco completorium. Sic habet canon *Presbyter* distinctionis 91 : *Presbyter mane matutinali officio expleto, pensum servitutis suæ, canendo primam, tertiam sextam nonamque persolvat... Propheta dicente,* Septies in die laudes dixi tibi. *Qui septenarius sacratus numerus a nobis sic implebitur, si matutinæ, primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vesperæ, completoriique tempore nostræ servitutis officia persolvamus : quia de his dixit propheta :* Septies in die laudes dixi tibi. *Nam de nocturnis vigiliis idem ipse propheta ait :* Media nocte surgebam ad confitendum tibi. *Ergo his temporibus referamus laudes Creatori nostro super judicia justitiæ suæ* (Ex concilio Nannetensi).

1° An inversio prædicti horarum ordinis in *recitatione publica* chori sit graviter culpabilis ? — Duplex sententia, utraque probabilis. (S. Liguorius, l. IV, c. 2, p. 171.)

2° Quid de eadem inversione in recitatione privata ? — Facta sine causa rationabili, non est culpa gravis, sed tantum venialis : ita communis sententia. Facta ex causa rationabili nullo modo est culpabilis. (S. Liguorius, l. IV, c. 2, n. 170.)

§ 4

OBLIGATIO QUOAD LOCUM, SEU OBLIGATIO ASSISTENDI CHORO

1. « Certum est quod clerici ecclesiarum cathedralium et collegiatarum tenentur ad officium *in choro.* » (Liguori, l. III, tract. 5, c. 2, n. 675.) Sic habet canon ultimus distinctionis 92 : *Si quis presbyter aut diaconus vel quilibet clericus ecclesiæ deputatus, si intra civitatem fuerit, aut in quolibet loco in quo ecclesia est, et ad quotidianum psallendi officium matutinis et vespertinis horis ad ecclesiam non convenerit, deponatur a clero, si tamen castigatus veniam ab Episcopo per satisfactionem noluerit promereri.* Ex quo textu videtur antiquam esse obligationem quoad locum. Concilium autem Tridentinum sic statuit : *Compellantur, in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare.* (Sess. 24, c. 12, *De ref.*)

Illa tamen obligatio aliquod admittit temperamentum. « Adverti

Digitized by Google

« debent, ait Benedictus XIV (institutione 107, § 4), quæ S. Ca-
« rolus Borromæus admonuit : *Matutinum in choro celebretur.*
« *At si tamen vehementia frigora sint, vel aliæ justæ causæ*
« *intercedant, de licentia Episcopi in sacristia, vel honesto alio*
« *ejus ecclesiæ loco dici possit.* Idem probavit Sacra Congregatio
« concilii die 18 novembris, anno 1645. » Ille autem alter locus tunc censetur et est chorus.

Unde ex rationabili causa ab Episcopo approbata potest locus chori mutari in alium ejusdem ecclesiæ. Quod etiam ex rationabili consuetudine introduci et valere potest. Certum autem est peccare canonicum qui, præscindendo a causis excusantibus, choro non assistit.

II. An autem obligatio assistendi choro obliget unumquemque canonicum sub gravi ? — Si canonicus absit tantum per tres vel quatuor dies, est sententia communis eum non peccare graviter. (Liguori, loco citato, n. 675.) Si vero absit per tempus *notabile,* verior sententia est, ipsum peccare graviter, licet contrarium teneant non pauci theologi. (Liguori, ibid.)

III. An qui a choro ex culpa sua abest faciat fructus suos ? — 1° Certum est ipsum non posse lucrari distributiones : *Distributiones vero qui statis horis interfuerint recipiant ; reliqui quavis collusione aut remissione exclusa his careant.* (Trid., sess. 24, c. 12.) Non privantur autem distributionibus qui absunt ex quibusdam legitimis causis, ut dicetur infra.

2° Non minus certum est nunc, prædictum qui culpabiliter abest non lucrari fructus præbendæ et teneri ad restitutionem. Concilium Tridentinum statuit de talibus ipsos primo anno privandos esse dimidia parte fructuum, secundo anno omnibus fructibus, tertio anno procedendum contra ipsos juxta canones (Sess. 24, c. 12, *De ref.*) ; unde concludebant canonistæ eos non spoliari statim a jure, sed tantum post sententiam. Sed intervenit breve *Dilecte fili* Benedicti XIV, 19 junii 1748, dubium omne dirimens. In illo enim decreto, infra citando, statuitur expresse eos qui in choro *non canunt* non facere fructus suos ; ergo a fortiori idem dicendum de iis qui non intersunt.

IV. An autem obligatio assistendi choro intelligenda sit quoad integrum officium comprehensis etiam parvis horis ? — Non solum canonici tenentur « vi sui muneris psallere in choro, sed

Digitized by Google

« etiam *omnibus horis divini officii* interesse, sub cujus no-
« mine continentur septem horæ...; ita ut non valeat consuetudo
« ut canonici solum intersint horis majoribus, et pro reliquis non
« sint assignatæ distributiones. Et hinc Sacra Congregatio con-
« cilii (in *Novariensi,* anno 1660) improbavit consuetudinem
« jamdiu receptam in ecclesia cathedrali Novariensi et canonisa-
« tam per Legatum Apostolicum, juxta quam canonici dictæ ec-
« clesiæ interessendo tantummodo matutino, laudibus, missæ et
« vesperis, lucrabantur omnes distributiones. » (Scarfantonius, t. I, pag. 149, n. 17, edit. Lucæ, 1723.)

Cum hodie in Gallia et aliis regionibus debeant canonici multa alia obire munia, ex eo quod per alios eadem sufficienter præstari nequeant, concessuram Sanctam Sedem putamus, ut, ex indulto, non tenerentur nisi partem officii in choro explere, aut etiam nisi diebus dominicis et festivis interesse. Nec insolitæ sunt hujusmodi concessiones, ut adnotatur in *Thesauro resolutionum* Sacræ Congregationis concilii (tomo LVIII, pag. 181), ubi asseritur servitium chori ex justa causa quandoque reduci ad festivos dies.

« Absentes a choro non debent puniri nisi in amissione distri-
« butionum (Sacra Congregatio Episcoporum et reg., in *Fundana,*
« 16 martii 1593); et alia decreta refert Nicol. in *Flosc.* verb. *Ca-*
« *nonicatus,* n. 31. At si amissio ista esset parva et contumacia
« canonici absentis perduraret frequenter servitium negligendo,
« tunc posset Episcopus punctaturas augere (Sacra Congregatio
« concilii, in causa civitatis Castellanæ, 16 junii 1697). » (Monacelli, tit. II, formula 4, adnot. 4.)

« Non interessentes concioni tempore Quadragesimæ possunt
« punctari, quia est defectus gravis et mali exempli (Pignatelli,
« t. IV, consult. 206, n. 61). » (Monacelli, tit. II, formula 4, adnot. 3.)

§ 5

OBLIGATIO QUOAD TEMPUS RECITATIONI OFFICII ASSIGNATUM

1° Limites præfixi intra quos totum absolvi debet officium, sunt a media nocte usque ad mediam noctem ; ita tamen, ut in officio privato anticipari possint pridie matutinum et laudes diei sequentis.

Digitized by Google

2° Assignantur præterea limites pro unaquaque officii parte. Qui assignata tempora non servat absque justa causa, sed tamen totum officium absolvit a media nocte ad mediam noctem, peccat venialiter : si ex rationabili causa non servet, nullo modo peccat.

3° Celebrare missam ante recitatum matutinum est tantum veniale si fiat sine causa. Ita probabilius et communius doctores. (S. Liguorius, l. IV, c. 2, n. 171.) Si vero fiat ex causa rationabili, non est culpabile.

4° Tempus legitimum pro unaquaque hora : — Horæ parvæ licite recitantur a tempore auroræ usque ad meridiem. Nona potest dici etiam post meridiem ; imo etiam sexta, ut tenent multi auctores. Vesperæ dici possunt a meridie usque ad mediam noctem.

5° « Matutinum hodie ex consuetudine jam præscripta bene « potest recitari *hora vesperarum* diei antecedentis. » Ita S. Liguorius : et certum est quoad recitationem privatam. De recitatione in choro dicetur infra.

6° Sed quæstio est, quomodo intelligenda sit illa hora vesperarum. — Duplex sententia. Prior, probabilissima dicta a Salmanticensibus, intelligit horam vesperarum esse horam secundam post meridiem. Secunda sententia, cui adhæret S. Liguorius, intelligit illam horam quæ propior sit ad occasum solis quam ad meridiem ; quæ hora variat pro variis anni temporibus. Et juxta hanc ultimam sententiam confectum est *Directorium Romanum*, seu tabella indicans qua hora quolibet anni tempore inchoari possit matutinum. Quam tabellam quisque tuto sequi potest. (Vide S. Liguorium, l. IV, c. 2, n. 174.)

7° An etiam in choro possit pridie recitari matutinum cum laudibus ? De hac quæstione ita disserit Benedictus XIV in suis *Institutionibus ecclesiasticis* (Instit. 107, § 4, n. 22) : « At vero « de matutino et laudibus quas in choro persolvere debent cano- « nici cathedralibus seu collegialibus cooptati, hæc statuuntur « in Clementina (tit. De celebratione missarum) : *Sancimus ut* « *ii ad quos pertinet, omni negligentia ac incuria relegata,* « *ut in cathedralibus, regularibus et collegiatis ecclesiis, horis* « *debitis psallatur, sollicitam curent diligentiam adhibere.* « Porro illud verissimum est quod S. Carolus Borromæus scri- « ptum reliquit de matutini tempore (Conc. I, Mediol., parte 2) :

Digitized by Google

« *Matutinum vesperi non dicatur, exceptis tamen diebus oc-*
« *tavæ festi solemnis Domini Nostri Jesu Christi, cæterisque*
« *diebus quibus ex Romanæ Ecclesiæ instituto est permissum.*
« Quæ cum ita sint Braschius in hunc modum tradidit (*Prom-*
« *ptuarium synodale*, c. 86, n. 18 et seq.) : *Matutinum in cathe-*
« *dralibus, collegiatis, receptitiis et choralibus ecclesiis persolvi*
« *mandet Episcopus mane diei propriæ, non autem sero præ-*
« *cedenti post vesperas et completorium ; nisi forte quandoque*
« *justa causa concurrente judicaverit esse dispensandum ad*
« *tempus ut secus fiat. Causæ propter quas valeat dispensare,*
« *sunt præsertim ob hyemis rigorem, item propter aeris intem-*
« *periem, adhuc et propter inolitam consuetudinem, vel ob*
« *aliam honestam rationem quæ prudentis viri judicio suffi-*
« *cere videatur. Verum hac in re non nisi caute admodum pro-*
« *cedere oportet*. Equidem Sacra Congregatio, die 12 novembris,
« anno 1644, facultatem tribuit matutini recitandi post comple-
« torium ; id tamen auctoritati arbitrioque Episcopi relinquen-
« dum judicavit : *Sacra Congregatio censuit petitam facul-*
« *tatem recitandi matutinum post completorium præcedentis*
« *diei esse oratoribus concedendam, pro arbitrio tamen Epi-*
« *scopi et dummodo lapsa sit hora tertia post meridiem*
« (liber XVII decretorum, pag. 379). »

Iis omnibus perpensis, practice concludendum videtur : 1° Consuetudinem prædictæ anticipationis (nisi probaretur irrationabilis et omni honesto motivo destituta) esse validam, et per eam jus esse acquisitum capitulo, ita ut illam consuetudinem mutare nequeat Episcopus. 2° Seclusa prædicta consuetudine posse capitulum cogi ab Episcopo ut matutinum et laudes mane persolvat. 3° Posse tamen Episcopum ex justa causa facultatem anticipandi indulgere.

8° An matutinum defunctorum recitari possit pridie generalis commemorationis defunctorum ? — In choro nequit pridie recitari. — Quoad recitationem privatam, duplex sententia probabilis. (S. Liguorius, loco citato.) — De litaniis autem in Rogationibus communius tenent doctores non posse pridie recitari.

9° Ut quisque possit anticipare vel postponere relative ad tempus legitimum pro unaquaque officii parte, sufficit quævis causa utilis vel honesta. (S. Liguorius, l. IV, c. 2, n. 173.)

Digitized by Google

§ 6

OBLIGATIO QUOAD CANTUM

I. An satisfaciant qui choro assistunt sed non canunt? — Illos satisfacere affirmabant olim plures et magni nominis theologi, præsertim ubi talis vigeret consuetudo.

Quod sic testatur Andreucci in suo tractatu *De tuenda pace Episcopum inter et capitulum* (parte II, c. 1, n. 101): « Nec solum exhibeant suam præsentiam in choro, sed etiam, nisi aliud longæva consuetudo permittat, ipsi psallant, et divina per se, non per substitutum obeant officia (ex Trid., sess. 24, c. 12 *De ref.*) Dixi, nisi aliud longæva consuetudo permittat; nam valere consuetudinem de eo quod canonici non psallant, sed ipsi choro decenter atque reverentialiter assistant, musici vero vel capellani divinum officium decantent, opinio est plurium gravium doctorum, ut Gavanti (tom. 2 *de Rubricis missalis*, sect. 5, c. 5, lit. 5); Azorii (p. I, l. 10, 11, c. q. 5); Lessii (lib. 2, *De justitia et jure*, c. 34, dub. 33, n. 185); Garciæ (p. 3, *De beneficiis*, c. 2, n. 517), aliorumque. »

At certe opinionem illam debuissent theologi prorsus deserere statim ac sacra concilii Congregatio falsam illam et Tridentinæ synodo contrariam declaravit. Multiplex enim hujusmodi prodiit in hunc sensum declaratio : unam satis sit adducere : *Sacra Congregatio declarationibus sæpe alias editis inhærendo censuit, illos non solum canonicis horis interesse, sed etiam per seipsos psallere, quacumque etiam immemorabili contraria non suffragante consuetudine, teneri, neque alias suæ obligationi satisfacere. In Patavina* 17 *septembris* 1667. (Apud Scarfantonium, t. I, p. 149, n. 9, editio Lucensis, 1723.)

Acriter eamdem infaustam opinionem percellit Benedictus XIV opere suo *Institutionum ecclesiasticarum* (Inst. 107, § 3), ubi ex traditione et ex pluribus quas refert S. Congregationis concilii declarationibus, et ratiociniis ex Tridentino textu deductis, omnino errorem istum subvertit et conterit.

Sed jam causa omnino finita est, et opinio prædicta theologorum dicenda est omnem amisisse probabilitatem. Idem enim

Digitized by Google

Benedictus XIV ad Petri cathedram sublimatus quamlibet sustulit dubitandi rationem, tum per bullam *Cum super oblatus*, tum per breve *Dilecte fili*. Et in bulla quidem asserit præfatam opinionem absonam esse menti concilii Tridentini atque pluries improbatam a congregatione ipsius concilii; hinc de canonicis loquens, qui persuasum habent se satisfacere *per simplicem in choro præsentiam absque divinæ psalmodiæ cantu*, subjungit: *Verum nisi illis præsto sit Apostolicum (non præsumptum vel abrogatum, sed legitimum ac vigens) privilegium, jure ac merito verendum est, ne isti dum ita se gerunt, præbendarum ac distributionum fructus minime suos faciant, et consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur.*

Cum autem in ista bulla Pontifex videretur rem omnino non definire, cum diceret tantum *verendum esse*, non statim ubique cessavit controversia.

Sed idem Pontifex die 19 januarii 1748 ad cardinalem Delphinum patriarcham Aquileiensem direxit breve *Dilecte fili*, quo prorsus cavillationi præcluditur aditus: *Itaque a te, dilecte fili noster, poscimus et flagitamus, ut non solum hujusmodi abusum et corruptelam ab ecclesiastica disciplina absonam, et canonicis ordinationibus, ac nostræ quoque constitutioni contrariam penitus evellere et eradicare adnitaris; verum etiam ipsos suaviter fortiterque admoneas ut in posterum, ea qua decet ac tenentur reverentia choro intersint adsistantque, nec non pari pietate, attentione ac vigilantia omnino canere vel psallere cum cæteris studeant ac contendant. Deinde iisdem edicas et notum facias, nos (quemadmodum per hasce nostras in forma brevis litteras tibi declaramus et injungimus) decernere atque statuere, sicut in eadem constitutione nostra innuimus, ipsos suosque successores canonicos choro quidem interessentes adsistentesque, minime vero canentes psallentesve, nullo pacto ex præbendis et distributionibus facere fructus suos; atque adeo restitutioni obnoxios esse ac fore.*

Nec dicatur illud diploma particulare esse et ad ecclesiam particularem directum; cum enim Summus Pontifex ibi declaret tantummodo sensum concilii Tridentini, ejus decisio, licet ad unum directa, valet atque legem facit quoad omnes. — Neque etiam dicatur hanc decisionem non urgere in Gallia, ubi loco

Digitized by Google

præbendæ solvitur pensio a Gubernio; nam pensionem hujusmodi naturam et rationem veræ præbendæ habere supra ostendimus; et insuper dubium, si quod esse posset, pro Gallia in particulari fuit decisum paucis abhinc annis a S. Congregatione rituum hoc modo :

« Cum reverendissimus Cameracensis Episcopus sacrorum « rituum Congregationem enixe rogavit ut declarare dignaretur, « utrum canonicis prout a tempore concordatus 1801 in Galliis « instituti sunt, incumbat obligatio, non tantum assistendi in « choro celebrationi divinarum laudum prout in diversis capi- « tulis est instituta, sed etiam cantandi horas canonicas in choro; « ita ut canonicus in Galliis assistens quidem in choro, sed non « decantans publicas preces canonicas, peccet mortaliter et tenea- « tur ad restitutionem fructuum omissioni correspondentem — « Eminentissimus Cardinalis Præfectus rescribi mandavit : ca- « nonicum in casu, juxta alias decreta, obligationi non satisfa- « cere. Die 22 maii 1841. » (In Gardelliana collectione, t. VIII, n. 4769.)

Canonici compelli nequeunt ad vesperas et officia persolvenda cum cantu ; sat est ut alta, clara, intelligibili voce recitent (Congregatio rituum — apud Gardellini, n. 141); sed obedire tenentur Episcopo, si jubeat cum cantu persolvi in solemnioribus. (Ibid., n. 1542.)

II. Quisnam sit cantus ecclesiastici finis, et quænam inde consectaria ? — Sanctus Thomas (in 2-2, quæst. 91, art. 1) congruenter ab Ecclesia receptum fuisse canendi usum concludit ex ea ratione, quod cantu pio et devoto affectus hominum provocentur in Deum, et infirmiorum præcipue animi ad spiritualem devotionem magis excitentur. Salutarem hanc animi commotionem se expertum esse, dum in ecclesia Mediolanensi divinas laudes canentem clerum audiret, testatur sanctus Augustinus : *Flere in hymnis et canticis tuis suave sonantis ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter* (Conf., l. IX.) *Adducor cantandi consuetudinem approbare in ecclesia, ut per oblectamenta aurium, infirmiorum animus in affectum assurgat.* (Ibid., l. X.) Utilitatem cantus ecclesiastici, non experientia tantum, et physica hominis natura, et sanctorum Patrum commendatio, sedet antiqui Testamenti frequentatio, et Ecclesiæ

Digitized by Google

Christi præsertim illum probantis et præcipientis certam facit auctoritas.

Finis autem cantus ecclesiastici est *ut devotio excitetur. In ecclesiis Dei psalmodia cantanda præcipitur, ut fidelium devotio excitetur : in hoc nocturnum diurnumque officium et missarum celebritates assidue clero ac populo sub maturo tenore, distinctaque gradatione cantantur, ut eadem distinctione collibeant, maturitate delectent.* (Joannis XXII, in Extrav., cap. unic. *De vita et honestate clericorum.*) Hunc esse finem ecclesiastici cantus memorant frequentia conciliorum testimonia, et nullus in dubium revocavit unquam.

Porro ex tali fine sequuntur quædam hujusmodi cantus regulæ.

1° Et ante omnia talis esse debet, ut percipi possint ipsamet quæ cantantur verba. Devotio enim excitari solet per attentionem ad verba et ad eorum sensum. Dum scilicet lente et distincte enuntiantur hæc verba, mens facile ea meditatur et meditando exardescit in Deum. Si autem aures percipiant tantummodo sonos et strepitum, mulciri quidem possunt modulamine, sed parva inde utilitas. Nec suppletur distincta verborum prolatio ex eo quod quisque oculis ex libro sensum discernere possit eorum quæ cantantur. Si enim verba decantata auditu non percipiat, nec poterit scire quænam pars hic et nunc decantetur, nisi per summam attentionem et sollicitudinem quæ devotioni et meditationi obest, nedum eam adjuvet.

Hinc tanquam abusus fini cantus ecclesiastici directe oppositus habenda videtur ea quæ nunc tot in locis invaluit consuetudo, ut quasi tota decantatio constet sonis qui prout percipiuntur nullum omnino sensum exprimunt, maxime quando decantantium pronuntiatio instrumentorum rumore penitus obruitur ; unde fit ut qui ecclesiam tempore officii ingreditur discernere non possit quid canatur, nec quid fiat ; sed obstrepentem auribus fragorem non sine fastidio et magno quoad devotionem impedimento sustinere cogatur.

Fatendum quidem, apto musicorum accentuum modulamine, licet nulla distincte percipiantur verba, posse aliquatenus animum commoveri : sed audiatur quid senserit Augustinus de illa motione ex cantu, non ex re cantata : *Cum mihi accidit, ut me*

Digitized by Google

amplius cantus quam res quæ cantatur moveat, pœnaliter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem. (Confess., l. x.) Unde prima cantus ecclesiastici regula esse censenda est distincta verborum in canendo pronuntiatio; quæ si deficiat, anima quasi sua cantus ecclesiasticus destituitur, ut non remaneat nisi quoddam inanime sui ipsius accessorium. Hinc illam distinctam pronuntiationem cum reverentia et devotione observandam, expresse commendat Tridentinum (sess. 24, c. 12): *Compellantur in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare.* Item concilium Mediolanense I sub sancto Carolo (part. 2, c. 31) : *Cantus sint pii ac distincti, et domui Dei et divinis laudibus accommodati, ut simul et verba intelligantur, et ad pietatem auditores excitentur.* Item synodus Cameracensis relata a Vanespenio (Jus Eccl., p. 2, tit. 5, n. 27) : *In symbolo cantando placet nec organum nec musicam adhiberi, nisi sit simplex ac talis ut singula verba sine repetitione possint intelligi.* Censebat pariter sanctus Bernardus non parvum esse detrimentum, si ad sonos attendatur, et non ad sensum : *Non est levis jactura gratiæ spiritualis levitate cantus abduci a Sacræ Scripturæ sensuum utilitate, et plus sinuandis intendere vocibus, quam insinuandis rebus* (apud Sarnelli, *Lettere ecclesiastiche,* tom. I, lettera 9). Quomodo autem attendetur ad sensum, si ipsa verba distincte non percipiantur? Cui commendationi nemo non videt quam contrarium sit, quod cantores vix aliud curare videantur quam ut ingentem ex pectore fragorem ita eructent, ut nequeat audiens verba discernere.

2° Cum ideo ab Ecclesia institutus videatur cantus, ut universa ipsamet fidelium coadunatio laudes Dei canendo celebret, omnino huic intento scopo adversatur tam dimissa aut tam alta intonatio, ut eam quidam tantum viri pretio conducti sustinere valeant. Non ergo Ecclesiæ congruit generaliter cantus aut intonatio quæ multitudini non aptatur.

III. An canonici et alii beneficiati cathedralium teneantur addiscere cantum quem vocamus Gregorianum? — « Advertendum est, ait Scarfantonius (*De canonicis*, t. I, p. 104, n. 11, « editio Lucensis, 1723), quod ipsi teneantur ex vi sui muneris « addiscere cantum quem vocamus Gregorianum, ut docent Gar-

Digitized by Google

« cia (*De benef.*, pag. 3, c. 2, n. 113); Pignatelli (Consult. 21,
« n. 26, t. VIII); et peccare eos qui tam notabiliter male canunt,
« ut risum excitent vel perturbationem aut fastidium causent;
« ita ut ab hac obligatione non eximat juvenilis vel senilis ætas;
« quia cum susceperint onus quo convenienter fungi nesciebant,
« tenentur vel addiscere ea sine quibus ut par est munus suum
« obire non possunt, vel illud dimittere. Dicitur autem adesse in
« canonico sufficiens peritia, quando per se, juxta qualitatem sui
« officii potest explere quæ sibi incumbunt... Et sufficientem
« scientiam interpretamur quæ sufficit iis explendis quæ neces-
« sario incumbunt cujusque officio et ministerio. »

IV. An et qualis licitus sit musicæ et instrumentorum usus? — « Eodem fine quo Ecclesia introduxit cantum quem vocamus
« Gregorianum, recepit etiam usum musicæ ac musicalium ins-
« trumentorum; nimirum ut fidelium corda ad spiritualem læ-
« titiam et devotionem inflammarentur, cum secundum diversas
« melodias cantus et instrumentorum animi hominum diversi-
« mode disponantur, et per oblectamenta aurium, infirmorum
« animus in affectum pietatis assurgat.

« Hujusmodi tamen usus musicæ et musicalium instrumen-
« torum receptus fuit in Ecclesia recentioribus temporibus;
« nam divus Thomas qui ad cœlestem patriam fuit evocatus
« anno 1300, ait quod tunc temporis non erant in usu inter di-
« vina officia musicalia instrumenta ; addens rationem, ne vide-
« retur quod Ecclesia judaizaret amplectendo ritus judæorum ;
« nam frequenter in Veteri Testamento et potissimum in Psalmis
« fit mentio usus eorumdem instrumentorum. Verum mos iste
« fuit demum in Ecclesia laudabiliter receptus, quia propter
« adeo notabilem temporum distantiam propulsata fuit omnis
« suspicio quod eadem Ecclesia ad ritus judaicos deflecteret.
« Unde etiam in ipso *Cæremoniali Episcoporum* (c. 28, l. 11)
« comprobatur praxis adhibendi inter divina officia cantum mu-
« sicalem et sonum instrumentorum : quinimo musicalis cantus
« in tono tamen gravi in ipsa pontificia capella in usu est. »
Scarfantonius, t. I, p. 241, editio Lucensis, 1723.)

Pius vero et laudabilis mos, ad excitandam et augendam devotionem in clero et populo inventus, sensim in abusum deflexit. Non graves jam sicut initio, sed effeminati et ad pietatem

Digitized by Google

nihil conducentes soni adhibiti sunt. (Vide Cardinalem Bona, *De divina psalmodia*, c. 17, § 3.) Hinc plurima et a Sancta Sede, et in conciliis provincialibus sancita decreta, ad exterminandum profanæ et theatralis musicæ abusum. Ex quibus sic videtur concludendum :

1° Non vetitum quidem esse in divinis officiis omnem musicalem cantum, sed certe illum qui theatra redolet, nec in finem excitandæ devotionis aptus est.

2° « Quatenus pertinet ad usum musicalium instrumentorum, « licet juxta *Cæremoniale Episcoporum* non sit permissum in « iis adhiberi nisi organicum, et illud gravitate plenum, nihilo« minus introductus fuit in Ecclesia usus sive potius abusus om« nis generis instrumentorum, qui non solum removet a fidelium « mentibus devotionem, verum etiam sacrorum canticorum « verba obscurat, sensumque sepelit et obruit. » (Scarfantonius, t. I, p. 142, editio Lucensis, 1723.) Porro talem abusum promoventes et permittentes etiam lethalis culpæ reatum facile incurrere posse, probat Cardinalis Cajetanus. (In div. Thomam, quæst. 91, 212.)

Jam vero inter instrumenta abusive introducta enumeranda videntur tum illud quod serpens sive ophicleis nuncupatur, tum magna barbyton (1). Cum enim ad id tantummodo adhibeantur ut easdem prorsus notas emittant quæ a cantoribus sunt pronuntiandæ, non alium habent effectum quam verba obruendi et in fractis suis sonis sepeliendi. Nec dicatur inducta ea fuisse instrumenta ut supplerent exiguum cantorum numerum eorumque deficientem peritiam. Non enim deficerent multis in locis ubi talis viget abusus sufficienter periti cantores. Si autem alicubi deficiant, deficiat ibi cantus cclesiasticus, non autem in monstruosum aliquid a fine Ecclesiæ alienum, transmutetur. Vix tolerandus videtur ophicleidos usus ut imperito cantori recta intonatio emissione quam tenuissima insinuetur.

V. Ad quemnam pertineat electio magistri capellæ et musicorum? — « Pertinet ad capitulum, sive aliam congregationem ecclesiasticam, aliasque personas, per quas eisdem subministratur salarium sive merces; ita ut Episcopus non possit prædictas

(1) Instrumentum nempe cordis grave sonantibus instructum.

Digitized by Google

personas compellere ad conducendum aliquos juxta suum placitum. Quia licet Episcopus (juxta can. 1 distinctionis 25), quoad ordines et officia distribuenda in Ecclesia sit præordinator in cunctis, id procedit respectu omnimodæ jurisdictionis spiritualis; sed respectu servitii divini ad cujus celebriorem cultum adhiberi solet musica, electio et ordinatio spectat ad capitulum seu presbyteros per quos illud Ecclesiæ præstatur; prout ordo et modus psallendi in choro pro solemnitate temporum, etiam in ipsamet ecclesia cathedrali, pertinet ad primicerium, non autem ad Episcopum. Solumque, ut supra animadversum fuit, Episcopus potest circa musicam providere ne vana sive profana et lasciva intermisceantur. » (Scarfantonius, t. I, p. 143, n. 15, editio Lucensis, 1723.) Hæc autem Scarfantonii animadversio ita videtur intelligenda, ut quoties illi ad quos immediate pertinet de cantu et musica ordinatio, minus recte munere suo funguntur, possit Episcopus illos ad saniora compellere, in omnibus jurisdictionis suæ ecclesiis.

VI. « Quandocumque organum ficte canit in hymnis, canticis, « etc., juxta *Cæremoniale*, vel etiam in psalmis, juxta præ- « scriptam ecclesiarum consuetudinem, alternatim cum choro; « canonici ibi existentes ut satisfaciant præcepto de divino officio « integre recitando, debent aliquem deputare qui ibidem dis- « tincte et alte pronuntiet quæ ab organo cantari figurantur, vel « ea quivis de choro suppressa voce dicat... Nisi forte cum or- « gano musici cantent; quo casu satis est attente audire. Sonus « organicus debet esse brevis, et parum plus perseverare cantu « Gregoriano, qui silente organo fieret in choro. » (Ceccoperius, l. II, tit. v, n. 18.)

§ 7

OBLIGATIO SATISFACIENDI PER SEIPSUM, NON PER SUBSTITUTUM

I. Certa est prohibitio inserviendi per substitutos : *Omnes vero divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia.* (Trid., sess. 24, c. 12.) *Si factum est aliquod statutum quod canonici possint inservire per substitutos, vel alternatim unus pro alio, non habeatur ejus ratio, quia est contra concilium.* (Sacra Congregatio concilii 25 julii 1570.) « Patet igitur,

Digitized by Google

« ait Fagnanus (in c. *Cum omnes de constit.* libri I decretalium), « sublatam esse quamcumque consuetudinem inserviendi per « substitutum in cathedralibus ecclesiis. »

II. Addit nihilominus idem Fagnanus ibidem : « Verumtamen « Sacra Congregatio censuit debere Episcopum concedere facul- « tatem capitularibus sese invicem substituendi in servitio tum « ecclesiæ, tum chori ; dum tamen non iis temporibus substi- « tuantur quibus servitio ecclesiæ adstricti sunt ; item Episcopum « curare debere ut hac substituendi facultate non abutantur. Sed « hoc decretum alias declaravit habere locum tantummodo inter « præsentes. » Præsens autem censetur etiam is qui ad medium milliare extra mœnia pernoctat, in loco tamen, unde possit commode ad servitium accedere.

III. Illas Congregationis concilii declarationes, quæ explanant quatenus possint canonici aliquem sibi substituere, refert Benedictus XIV in suis *Institutionibus ecclesiasticis* (inst. 107, § 3), ex quo libro eas exscribimus :

Sacra Congregatio... sæpius declaravit, decreto 12, *versu* OMNES VERO, *non esse sublatam capitularibus facultatem se invicem substituendi, dummodo eodem tempore substituens et substitutus eidem servitio adstricti non sint* (15 decembris 1605).

« Die 12 decembris anno 1643, et 2 decembris anno 1644, « postquam asseruit concedi posse ab Episcopo facultatem ut « canonicus choro addictus alium ex collegis suis, tunc immu- « nem et liberum, sufficiat, ac distributiones assequatur, hæc « deinde superaddit : *ita tamen ut hujusmodi facultate substi- « tuendi non abutantur, et canonicus substituens sit præsens « in civitate.* Insuper die 24 martii 1612, ita constituit : *Sacra « Congregatio respondit ad primum, eos tantum qui in civitate « ubi est cathedralis, vel in ejus suburbiis sunt præsentes, non « autem alios posse substituere. Ad secundum, causam non re- « quiri ad substituendum. Quod vero monuit Congregatio ut « Episcopo cordi sit ne canonici ea substituendi facultate abu- « tantur, eo respexit, ne substitutiones hujusmodi sint ni- « mium frequentes, quod Episcopi erit arbitrio.* » Aliam refert (loco citato) decisionem Benedictus XIV, qua declaratur absentes a civitate et suburbiis non posse sibi aliquem substituere ; et

Digitized by Google

aliam qua declaratur ad coadjutorem alicujus canonici vel dignitatis non extendi facultatem sibi alium substituendi. Tandem extat alia declaratio relata a Garcia (*De beneficiis*, p. 3, c. 2, n. 496), qua disponitur substitutum debere esse ejusdem ordinis ac substituentem, ita ut dignitas dignitatem tantum, canonicus canonicum, portionarius portionarium sibi substituere possit (Gallemart, editio conc. Trid., p. 334, excusa Tridenti 1737). Idemque tradit Barbosa (*De canonicis,* c. 31, n. 61). « At hæc « assertio, ait Monacelli (tit. 2, formula 4, adnot. 9) non vide- « tur absolute vera : quia passim aliqua dignitate impedita, ce- « lebrant pro ea canonici, et alii ministrant sicut ministrarent « dignitati, et admittunt ipsa decreta Sacræ Congregationis ri- « tuum (in *Mediolanensi*, 16 maii 1643 — *Bellocastrensi,* 16 « julii 1643 ; — *Trevisina,* 26 augusti 1646). »

Ex quibus omnibus sic quoad praxim resumi posse videtur facultas substituendi :

1° Non potest substitui aliquis qui non sit de capitulo. 2° Nec potest substitui aliquis de capitulo qui ipse sit adstrictus servitio, sed tantum is, qui eo tempore est liber. 3° Qui abest a civitate et suburbiis, nullum potest sibi substituere. 4° Qui est coadjutor alterius, nullum pariter potest sibi substituere. 5° Substitui debet aliquis ejusdem ordinis, non inferioris ; quod tamen ex Monacello non est rigorose obligatorium. 6° Ut legitime fiat substitutio non requiritur substituentem habere causam, id est, eum esse legitime impeditum. 7° Cum Episcopus habeat jus providendi ne dictæ substitutiones evadant frequentiores, sequitur illum posse exigere ut nulla fiat substitutio absque licentia sua : non potest tamen hujusmodi licentias omnino recusare, sed tantum illas intra justos limites, ipsius tamen arbitrio æstimandos, coarctare. Et ita a Sacra Congregatione concilii sapienter moderatum est per formam declarationis decretum Tridentinum, quod primo intuitu videretur severius, et omnem prorsus excludens substitutionem, cum generaliter dicat : *Omnes vero divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia.*

Digitized by Google

§ 8

OBLIGATIO QUOAD INTENTIONEM ET ATTENTIONEM

I° Certum est non requiri *intentionem actualem* præcepto satisfaciendi, sed sufficere virtualem implicitam, quæ semper censetur adesse, quando quis dicens officium non expresse proponit non satisfacere. Imo qui recitat cum intentione non satisfaciendi præcepto, probabilius satisfacit, quia facit rem præceptam. (S. Liguorius, l. IV, c. 2, n. 176.) Hæc de intentione satisfaciendi præcepto.

Quid vero de intentione distributiones lucrandi qua quis determinaretur ad interessendum choro? Eo quidem fine distributiones quotidianæ institutæ sunt, ut canonici et beneficiati ad diligentiorem divini officii persolutionem allicerentur: non autem ea fuit Ecclesiæ mens ut iidem, distributiones solummodo lucrandi causa, chorum frequentarent. Unde auctores multi non excusant a quadam simonia mentali et a mortali peccato eos qui *principaliter* intuitu lucri temporalis choro intersunt. (Vide Scarfantonium, t. I, p. 133, n. 1 et seq., editio Lucensis, 1723.)

II° Quoad attentionem, distinguenda est externa ab interna. *Externa* habetur cum non ponitur actio de se incompatibilis cum attentione interiori, ut esset fabulari, scribere, attente audire alios loquentes, et hujusmodi. Qui *externe* voluntarie et notabiliter se distrahit, certo peccat graviter nec satisfacit, et tenetur ad restitutionem.

Inter actiones non incompatibiles cum attentione interna, ac proinde cum quibus stare potest attentio externa enumerantur sequentes: ambulare, se lavare, vestes induere, instruere focum, pectere caput, perquirere psalmos et lectiones, et alias hujusmodi quæ magnam animi attentionem non requirunt. (Ita auctores plurimi citati a S. Liguorio, lib. IV, c. 2, n. 176.)

III° Attentio *interna* dividitur in attentionem ad verba, ad sensum, et ad Deum. Celebris est quæstio utrum ad satisfaciendum præcepto officii, ita ut non sit obligatio repetendi, requiratur attentio interna.

Primo. Certo sufficit *attentio ad verba* recte proferenda,

Digitized by Google

licet minus perfecta sit quam attentio ad sensum verborum, et a fortiori, quam attentio ad Deum ; quidquid dicat Tourneli, qui cum attentione ad verba requirit etiam attentionem ad Deum. (S. Liguorius, l. IV, c. 2, 176.)

Secundo. Utrum requiratur aliqua attentio interna, valde controvertitur in scholis. Probabilis sententia negans ; probabilior et communior sententia affirmans. Juxta sententiam negantem, qui voluntarie sese distrahit, peccat quidem, sed satisfacit præcepto recitandi officii, ita ut non teneatur illud repetere. Et hanc amplectitur sanctus Antoninus (parte III, tit. 13, c. 4, § 7) : *Præcipimus ut unusquisque die ac nocte dicat horas suas ; intentionem et devotionem in præcepto non ponimus ; sed gratiæ Dei, secundum quod ipse dare voluerit, duximus relinquendum : et hunc intellectum teneas, quia benigniorem, et quia non debet Ecclesia alicui laqueum injicere*. Vide fuse expositas pro utraque sententia rationes apud S. Liguorium (l. IV, c. 2, n. 177).

Tertio. Certum est, in qualibet sententia per distractionem involuntariam minime impediri impletionem præcepti de recitando officio. (S. Liguorius, loco citato.)

Quarto. Distractio *voluntaria* non est grave peccatum, nisi sit notabiliter longa, et simul vel cum contemptu juncta vel cum distractione externa, id est, cum actionibus exterioribus quæ ex natura sua impossibilem reddant attentionem.

Quinto. Quoad scrupulosos advertit Croix (l. IV, n. 1350 et 1351) eos nihil teneri ad repetendum, nisi certi sint se mutasse intentionem orandi. Quod si quis pateretur graves anxietates, posset aliquando etiam ei interdici recitatio officii, donec videatur posse recitare sine tanto incommodo, cum magnum incommodum excuset per se a præceptis Ecclesiæ. (S. Liguorius, loco citato.)

§ 9

OBLIGATIO QUOAD MODUM PRONUNTIANDI

6° Cum certo requiratur *recitatio*, quæritur an recitans et non surdus debeat se audire? — Controvertitur, sed tuta est in praxi sententia negativa, quia, ut ait Sylvius, præceptum obligat *ad*

Digitized by Google

dicendum, non ad audiendum horas. (S. Liguorius, l. IV, c. 2, n. 163.)

7° Quando officium recitatur alternatim in choro vel cum sociis, certum est sufficere ut unusquisque recitet partem alternam, et audiat alternam partem ab aliis recitatam. « Nascentis Ecclesiæ « initio tam clerici quam laïci, non vicissim, sed simul cane- « bant... Exinde non multo temporis intervallo, fuit introducta « alternatim canendi forma, per duos choros distinctos, qua re- « ciproca modulatione psallentes animantur ad laudandum Deum « cum voce exultationis, et hujusmodi varietate populus audiens « magis oblectatur : propter quod Damasus Papa hunc modum « sua auctoritate per universas ecclesias approbavit. Et sic au- « ditus loco prolationis officii per vices choratim succedit ; atque « psallentes hoc modo, horas canonicas integre persolvunt, tam « publice quam private ; et de hac re dubitari non potest. » (Ceccoperius, *De canonic.*, l. II, t. VI, n. 21.)

Sed dubium movetur de casu in quo auditu non perciperes partem alternam ab aliis recitatam : an tunc tenearis repetere ? Duplex sententia probabilis ; sed tuta in praxi sententia negans ; quam inter alios amplectitur sanctus Antoninus (part. 2, tit. IX, c. 12) : *Si quis,* inquit, *lectionem vel aliud quod in choro legitur, non intelligat propter legentis ineptitudinem, non peccat, dummodo conetur intelligere saltem verba.* Ut certum communiter admittitur non necesse esse audire omnes, sed sufficere ut audiatur unus ; et item non requiri ut altera pars audiatur distincte, sed sufficere ut audiatur confuse. (Vide S. Liguorium, l. IV, c. 2, n. 163.)

8° De surdo qui ex obligatione choro assistit et suam tantum recitat partem utrum satisfaciat ? — Duplex sententia probabilis. (S. Liguorius, loco citato.)

9° Quoad integritatem in pronuntiando. — Certum est non satisfacere eos qui cum sociis ita festinanter recitant, ut versiculis a socio nondum expletis, ipsi incipiant. (Liguori, loco cit., n. 165.) — Si mutilatio syllabarum sit involuntaria ob inadvertentiam, vel ob balbutiem et inveteratam consuetudinem quæ difficulter vinci possit, non est culpabilis. Si voluntaria et in parva quantitate, est peccatum veniale, si voluntaria et in magna quantitate et ita ut sensus notabiliter corrumpatur, non

Digitized by Google

excusatur a mortali. Quod si sensus ita in magna quantitate ex mutilatione verborum truncatus fuerit, sive voluntarie, sive involuntarie acciderit, remanet obligatio supplendi pro parte sic variata. Si vero ita fiat mutilatio, ut aliqua servetur significatio verborum, probabiliter satisfit obligationi officii, ita ut non sit obligatio repetendi. (S. Liguorius, loco cit., n. 165.)

§ 10

OBLIGATIO NON MUTANDI PROPRIUM DIEI OFFICIUM

1. Qui ex errore mutavit officium vel aliquid ex officio, verbi gratia dicendo de feria, quando dicendum de sancto, non peccat nec tenetur repetere.

2. Si tamen ex errore mutasset officium dicendum in aliud *notabiliter* brevius, advertens postea errorem, deberet compensare, recitando, verbi gratia, novem psalmos primi nocturni dominicæ, si officium dominicæ mutasset in officium Sancti. Ita quidam auctores. (Vide S. Liguorium, l. IV, c. 2, n. 161.)

3. An peccet mortaliter qui scienter mutat longius in brevius? — In quatuor diversas sententias scinduntur theologi. (Vide S. Liguorium, ibid.)

4. Qui ex errore omisit recitare de Sancto proprio illius diei, an possit alia die non impedita officium omissum recitare? — Controvertitur : probabiliter potest. (Vide S. Liguorium, citato loco.)

5. Qui multum jam processit in officio indebito, quando errorem advertit, liber est vel prosequi, vel reliquum recitare de officio debito. (S. Liguorius, loco citato.)

§ 11

CUI ET QUANTA DEBEAT FIERI RESTITUTIO

I. Si restitutio facienda sit ob omissum officium, « respondeo : pauperibus, vel fabricæ beneficii (ut ex decreto S. Pii V), « sive ecclesiæ sive domui beneficii, sive in augendis agris. « Non autem potest dare fabricæ alterius ecclesiæ, nisi fabrica

Digitized by Google

« sit in utilitatem pauperum, vel nisi ecclesia propria non « indigeret restauratione et aliæ ecclesiæ eleemosynis indige- « rent. Nomine autem pauperum intelliguntur pauperes cu- « juscumque loci, et etiam ipsi defuncti. Et etiam ipse clericus « sibi potest applicare dictos fructus si vere pauper est; exci- « pitur tamen, si ille in fraudem officium omittat, sciens posse « retinere fructus ob paupertatem. » (S. Liguorius, l. III, c. 2, n. 672.)

II. Si restitutio facienda sit ob omissam residentiam, sic habet S. Liguorius (l. IV, c. 2, n. 128) : « Notanda est differentia inter « restitutionem faciendam a beneficiario ob omissionem hora- « rum, et ob omissionem residentiæ. Illa enim potest fieri qui- « buscumque pauperibus, et in fabricam domus beneficii, sive « in emendis aut meliorandis agris beneficii; quia omnia hæc « veniunt nomine *fabricæ beneficii,* ut dicitur in bulla S. Pii V. « Ob omissionem autem residentiæ, restitutio debet omnino ero- « gari vel in *fabricam ecclesiæ* vel in *pauperes illius loci*, ut « sancitur in Tridentino (sess. 23, c. 1). Nec satisfacit non resi- « dens applicando restitutionem in missis vel aliis suffragiis pro « animabus purgatorii illius loci, quia revera animæ defuncto- « rum non possunt amplius dici pauperes *illius loci.* »

III. Quanta fieri debeat restitutio, seu quomodo intelligenda sit *restitutio pro rata* omissionis, jam dictum est supra, § II, n. 4.

§ 12

AN ET QUATENUS LICEAT OFFICII RECITATIONEM INTERRUMPERE

1° Quoad hujusmodi interruptiones, communiter tenent doctores matutinum posse a laudibus separari sine ulla causa. Sed cum separantur, debet adjici *Pater noster*. An autem tunc debeat etiam adjici oratio, controvertitur. An possint nocturni separari ab invicem? controvertitur. Sed probabile est posse separari tribus interjectis horis; non autem amplius sine causa. (S. Liguorius, loco cit., n. 167.) Hinc qui sine causa inciperet matutinum vespere et compleret mane, satisfaceret et non peccaret graviter, sed venialiter.

2° Si interruptio magna facta est in aliqua hora, aut in aliquo

Digitized by Google

psalmo, an repetenda tota hora aut totus psalmus? — Affirmatur a quibusdam; sed probabilior et communior est sententia negans. (S. Liguorius, loco cit., n. 168.)

3° Generatim nulla interruptio, licet sine rationabili causa, excedit veniale, modo totum officium compleatur a media nocte ad mediam noctem. Et si interruptio fiat ex causa rationabili, nullo modo culpabilis est. Causa autem rationabilis intelligitur, verbi gratia, quælibet utilitas propria vel aliena, quæ sine incommodo differri nequeat; item si quis interrumpat officium ex urbanitate, vel ut exequatur mandata superioris quæ urgeant, etc.

§ 13

CAUSÆ EXCUSANTES A SERVITIO CHORI

Causas illas in duplicem classem distribuemus : 1° Nempe enumerabimus eas quæ ita excusant, ut absens lucretur tum fructus præbendæ, tum distributiones quotidianas. 2° Eas referemus quæ ita excusant, ut absens lucretur quidem fructus præbendæ, non vero quotidianas distributiones. Utrumque autem causarum genus excusat absentem ab omni peccato, seu quod idem est, ab obligatione ex conscientia interessendi choro; et hoc in duplici sequenti enumeratione supponitur. Item supponimus quoad ea loca in quibus tota præbenda consistit in distributionibus, duas tertias partes illarum distributionum habendas esse loco præbendæ, sicut dispositum a jure alibi ostensum est. Unde quod dicitur hic de distributionibus, pro locis illis intelligendum est de tertia tantum parte distributionum, cum duæ aliæ partes habeantur de jure tanquam præbendam ipsam constituentes.

Punctum I. — *Causæ excusantes ita ut absens lucretur et fructus præbendæ et distributiones quotidianas.* — Solent auctores illas ad triplex caput referre : *infirmitatem, rationabilem necessitatem,* et *Ecclesiæ utilitatem.* Neglecta illa subdivisione, causas ipsas una non interrupta serie enumeramus.

1° Excusat infirmitas gravis, vel quæ gravis fieri potest per accessum ad ecclesiam. — Sic decrevit Bonifacius VIII (in cap. *Consuetudinem,* de clericis non resid. in 6) : *exceptis illis quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut*

Digitized by Google

evidens Ecclesiæ utilitas excusaret. Confirmavit Tridentinum (sess. 24, c. 12) : *Juxta Bonifacii VIII decretum quod incipit* Consuetudinem, *quod sancta synodus in usum revocat.* Ex causa autem infirmitatis absentes (generatim loquendo) lucrari non tantum fructus præbendæ, sed et distributiones quotidianas, declaravit Sacra Congregatio concilii (15 aprilis 1611, libro II decretorum, fol. 98 a tergo) : *Eos qui absunt a servitio chori ob infirmitatem... percipere debere distributiones quotidianas sui canonicatus, perinde ac si statis horis interessent, percipere etiam augmentum distributionum quas amittunt illi qui divinis non interfuerunt.* Id autem intelligitur non tantum de canonicis, sed etiam de beneficiatis, ut constat declaratione ejusdem Congregationis (2 decembris 1666), quam vide relatam apud Benedictum XIV (*Institutiones ecclesiasticæ*, inst. 107, § VIII). Unde concludendum generatim loquendo, eos qui *legitime* absunt ex causa infirmitatis, eadem omnino lucrari quæ lucrarentur si præsentes essent. (Vide etiam S. Liguorium, l. 4, c. 2, n. 130.)

2° Dictum est *generatim loquendo;* quia est exceptio quoad eos infirmos qui ante infirmitatem soliti erant abesse. Quod firmant sequentes Congregationis concilii declarationes, a Benedicto XIV (loco citato) relatæ. *Distributiones quotidianas ita demum oratori ægroto deberi, si alias ecclesiæ solitus erat inservire, cujus justificatio remittitur conscientiæ Episcopi.* — *Canonicos infirmos non lucrari distributiones quotidianas pro duabus horis primis, quibus interesse minime consueverunt.* — *Oratori dandam esse declarationem alias editam, sequentis tenoris : Congregatio concilii censuit canonico infirmo, durante ejus infirmitate, quamvis choro non intersit, deberi fructus omnes sui canonicatus, necnon distributiones quotidianas, non secus ac si omnibus horis divinis personaliter interesset, dummodo ante infirmitatem fuerit solitus inservire. Cæterum infirmitatem ipsam coram judice probandam.*

3° Quænam infirmitas satis gravis æstimanda sit ut prædictos effectus obtineat? — Non potest alia assignari regula quam æstimatio prudentis viri; et in casibus contestationum, recurrendum ad tribunal legitimum, quod pro capitulis non exemptis est tribunal Episcopi. (Vide Benedictum XIV, loco citato, n. 48.)

Digitized by Google

psalmo, an repetenda tota hora aut totus psalmus? — Affirmatur a quibusdam; sed probabilior et communior est sententia negans. (S. Liguorius, loco cit., n. 168.)

3° Generatim nulla interruptio, licet sine rationabili causa, excedit veniale, modo totum officium compleatur a media nocte ad mediam noctem. Et si interruptio fiat ex causa rationabili, nullo modo culpabilis est. Causa autem rationabilis intelligitur, verbi gratia, quælibet utilitas propria vel aliena, quæ sine incommodo differri nequeat; item si quis interrumpat officium ex urbanitate, vel ut exequatur mandata superioris quæ urgeant, etc.

§ 13

CAUSÆ EXCUSANTES A SERVITIO CHORI

Causas illas in duplicem classem distribuemus : 1° Nempe enumerabimus eas quæ ita excusant, ut absens lucretur tum fructus præbendæ, tum distributiones quotidianas. 2° Eas referemus quæ ita excusant, ut absens lucretur quidem fructus præbendæ, non vero quotidianas distributiones. Utrumque autem causarum genus excusat absentem ab omni peccato, seu quod idem est, ab obligatione ex conscientia interessendi choro; et hoc in duplici sequenti enumeratione supponitur. Item supponimus quoad ea loca in quibus tota præbenda consistit in distributionibus, duas tertias partes illarum distributionum habendas esse loco præbendæ, sicut dispositum a jure alibi ostensum est. Unde quod dicitur hic de distributionibus, pro locis illis intelligendum est de tertia tantum parte distributionum, cum duæ aliæ partes habeantur de jure tanquam præbendam ipsam constituentes.

Punctum I. — *Causæ excusantes ita ut absens lucretur et fructus præbendæ et distributiones quotidianas.* — Solent auctores illas ad triplex caput referre : *infirmitatem, rationabilem necessitatem,* et *Ecclesiæ utilitatem.* Neglecta illa subdivisione, causas ipsas una non interrupta serie enumeramus.

1° Excusat infirmitas gravis, vel quæ gravis fieri potest per accessum ad ecclesiam. — Sic decrevit Bonifacius VIII (in cap. *Consuetudinem*, de clericis non resid. in 6) : *exceptis illis quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut*

Digitized by Google

evidens Ecclesiæ utilitas excusaret. Confirmavit Tridentinum (sess. 24, c. 12) : *Juxta Bonifacii VIII decretum quod incipit* Consuetudinem, *quod sancta synodus in usum revocat.* Ex causa autem infirmitatis absentes (generatim loquendo) lucrari non tantum fructus præbendæ, sed et distributiones quotidianas, declaravit Sacra Congregatio concilii (15 aprilis 1611, libro II decretorum, fol. 98 a tergo) : *Eos qui absunt a servitio chori ob infirmitatem... percipere debere distributiones quotidianas sui canonicatus, perinde ac si statis horis interessent, percipere etiam augmentum distributionum quas amittunt illi qui divinis non interfuerunt.* Id autem intelligitur non tantum de canonicis, sed etiam de beneficiatis, ut constat declaratione ejusdem Congregationis (2 decembris 1666), quam vide relatam apud Benedictum XIV (*Institutiones ecclesiasticæ*, inst. 107, § VIII). Unde concludendum generatim loquendo, eos qui *legitime* absunt ex causa infirmitatis, eadem omnino lucrari quæ lucrarentur si præsentes essent. (Vide etiam S. Liguorium, l. 4, c. 2, n. 130.)

2° Dictum est *generatim loquendo;* quia est exceptio quoad eos infirmos qui ante infirmitatem soliti erant abesse. Quod firmant sequentes Congregationis concilii declarationes, a Benedicto XIV (loco citato) relatæ. *Distributiones quotidianas ita demum oratori ægroto deberi, si alias ecclesiæ solitus erat inservire, cujus justificatio remittitur conscientiæ Episcopi.* — *Canonicos infirmos non lucrari distributiones quotidianas pro duabus horis primis, quibus interesse minime consueverunt.* — *Oratori dandam esse declarationem alias editam, sequentis tenoris : Congregatio concilii censuit canonico infirmo, durante ejus infirmitate, quamvis choro non intersit, deberi fructus omnes sui canonicatus, necnon distributiones quotidianas, non secus ac si omnibus horis divinis personaliter interesset, dummodo ante infirmitatem fuerit solitus inservire. Cæterum infirmitatem ipsam coram judice probandam.*

3° Quænam infirmitas satis gravis æstimanda sit ut prædictos effectus obtineat? — Non potest alia assignari regula quam æstimatio prudentis viri; et in casibus contestationum, recurrendum ad tribunal legitimum, quod pro capitulis non exemptis est tribunal Episcopi. (Vide Benedictum XIV, loco citato, n. 48.)

Digitized by Google

4° An excusentur septuagenarii titulo infirmitatis, ac proinde ita ut etiam distributiones lucrentur? — Affirmant alii : alii vero distinguentes negant, si sint robusti; concedunt, si debiles. (S. Liguorius, l. IV, c. 2, n. 130.)

5° An excusentur cæci? — Rem dubiam relinquit S. Liguorius loco citato), referens id a multis canonistis affirmari : negari vero ab aliis, eo quod talibus non noceat chorus, et ipsi assistendo auctoritatem et splendorem quemdam choro præstent : certo tamen affirmandum, si non possent ad ecclesiam accedere sine notabili incommodo. Sed dicendum cæcos sine dubio excusari, cum ita declaraverit Sacra Congregatio concilii : « Cæcus « canonicus, ait Benedictus XIV (loco citato) inter ægrotantes « numerandus est; ipsi plura Sacræ Congregationis decreta suf- « fragantur : *Non teneri* (ipsa respondit) *horis canonicis inter- « esse, nec in choro eam officii partem quam memoriter tenet « recitare, et nihilominus lucrari distributiones quotidianas, « perinde ac si interesset.* »

6° Quid de surdis? — De ipsis idem tradit ac de cæcis sanctus Liguorius (loco citato).

7° Excusantur qui morantur domi ad medicinam sumendam, aut venam scindendam ; qui ob rationabilem corporis necessitatem proficiscuntur ad balnea aut ad locum salubrioris aeris ; qui ab hostibus capiuntur, aut patiuntur injustum exilium, aut injustam detentionem per vim; vel impediuntur timore gravis nocumenti ab inimicis. (Sanctus Liguorius, loco citato.) Iis omnibus debentur etiam distributiones.

8° Quid de absente ob metum pestis in loco grassantis? — Rem dubiam relinquit sanctus Liguorius (loco citato), præsertim quoad lucrandas distributiones. Sed dicendum talem excusari et distributiones lucrari ; quia dubium theologorum diremit satis Sacra Congregatio concilii (9 nov. 1630, libro XIV decretorum, pag. 337) his verbis : *Canonicis causa pestis absentibus deberi quotidianas distributiones, si pestis grassetur, et petentes soliti sint inservire, et probetur legitima consuetudo quod distributiones hujusmodi dentur absentibus ex justa causa. Quando autem dicatur pestis grassari, ut sit justa causa absentiæ, judicio Episcopi esse relinquendum.*

Advertendum est non sufficere ut pestis sit aliquatenus vicina

Digitized by Google

et timeatur ne accedat; sed requiritur ut possit dici jam in loco grassans.

9° De absente ob grassans bellum, idem docet S. Liguorius (loco citato) ac de peste.

10° Quid de eo qui abest ob injustam excommunicationem et curat ab ea absolvi? Non amittit nec fructus præbendæ, nec distributiones. (S. Liguorius, loco citato.)

11° Quid de eo qui abest a choro ob justam excommunicationem? Amittit et distributiones et fructus præbendæ. Si tamen choro assisteret, licet non posset assistere sine peccato, dicunt plures canonistæ ipsum tunc non posse privari fructibus et distributionibus nisi per sententiam judicis. (S. Lig., loco cit.)

12° Quid si non assistant ex eo quod ecclesia interdicta fuerit? Non amittunt fructus nec etiam distributiones, modo non dederint causam interdicto. (Liguorius, loco citato.)

13° Quid si non assistant ob decretam cessationem a divinis? Etiam non dantes causam amittunt distributiones; sed ii qui causam dederunt debent aliis restituere omne interesse quod ipsi amittunt ex omissa assistentia divinis officiis. (S. Liguorius, loco cit.)

14° Quid de canonicis irregularibus, qui assistunt? — Si irregularitas posterior sit collato ipsis beneficio, certum est eos nec fructibus præbendæ nec distributionibus privari. Si irregulares fuerunt in ipsa adeptione canonicatus, controvertitur : alii enim tenent collationem beneficii clerico irregulari esse validam, licet non licitam; unde sequeretur talibus competere jus percipiendi fructus beneficii : alii communius negant valere hujusmodi collationem; unde sequitur tales jus non habere ad fructus ullos præbendæ. (Liguorius, loco citato.)

Hucusque enumeratæ causæ referuntur ad *infirmitatem* vel ad *rationabilem necessitatem*. Quæ sequuntur ad *Ecclesiæ utilitatem* spectant.

15° An excusetur, ita ut etiam distributiones non amittat, qui abest ob utilitatem Ecclesiæ? — Per *utilitatem Ecclesiæ* intelligitur utilitas vel Ecclesiæ universalis, vel totius diœcesis, vel illius ecclesiæ cujus absens est canonicus aut beneficiarius. Si enim ageretur de utilitate alterius ecclesiæ, certum est et ab omnibus admissum, absentiam non excusari. Supposita ergo

Digitized by Google

absentia ob sic intellectam ecclesiæ utilitatem, quæritur an absens ita excusetur ut etiam lucretur distributiones. Rem in dubio relinquit S. Liguorius (loco citato), affirmando ut probabilius. Sed non habendam esse ut dubiam, si agatur de utilitate ipsius capituli facile concludet lector ex sequentibus Benedicti XIV lineis (*Institutiones ecclesiasticæ*, inst. 107, § 9) : « Jam supe-
« rius diximus permitti a Bonifacio VIII distributiones etiam
« absentibus a choro, si utilitas ex hoc in ecclesiam dimanet.
« Equidem magnæ difficultates in absentes hujusmodi ex jure
« communi desumuntur. Bonifacius VIII distributiones illis
« impertit : sed capite *Cum non deceat, de electione, in* 6,
« contrarium decernitur. Canonum interpretes maxime labo-
« rant ut hæc duo repugnantia simul conjungant. Sed omissis
« cæteris, nos affirmamus tribuendas esse distributiones illi
« canonico qui ob utilitatem capituli sive ecclesiæ chorum dimi-
« serit. Et quidem in causa Panormitana, anno 1588, Sacra Con-
« gregatio, *censuit deberi oratori distributiones quotidianas*
« *pro tempore quo vere abfuit pro negotiis capituli.* Reliqua
« decreta quæ magis obvia sunt prætermittimus ; illud solum
« recensemus quod conditum fuit anno 1598, cum causa Epis-
« copi Hispalensis ejusque capituli ageretur : *Quod si ex causa*
« *negotiorum capituli recedere voluerint* (canonici nempe aut
« alii choro addicti), *percipere tam fructus præbendæ, quam dis-*
« *tributiones, nec esse necessariam licentiam Archiepiscopi ;*
« *ad cujus tamen officium pertinebit examinare an causa*
« *negotiorum vere subsit, et quascumque collusiones et illi-*
« *citas remissiones inter canonicos prohibere.* »

Valde notatu digna est hæc capituli potestas, qua alicui canonico vel beneficiato committens tractanda sua negotia, hoc ipso illum facit liberum a lege residentiæ, pro tempore quo talem mandatarium abesse requirit negotiorum tractatio ; et quidem ita ut nec distributiones amittat.

De illo vero qui abesset ob utilitatem vel Ecclesiæ universalis, vel diœcesis, cum S. Liguorio in dubio quæstionem relinquimus, cum adhuc ignoremus an decisa fuerit a Sacra Congregatione concilii.

16° Excusatur canonicus theologus pro toto illo die quo lectionem habet. Ita ut etiam lucretur distributiones (Benedictus XIV

Digitized by Google

loco citato. — S. Liguorius, loco cit., n. 131); præparatio autem pro die sequenti aut diebus sequentibus eum non excusat.

17° Excusatur canonicus pœnitentiarius et distributiones lucratur dum audit confessiones. Et an idem dicendum sit quando sedet in confessionali pœnitentes expectans, vide supra, parte 1ª, sect. 2, cap. 10, § 3.

18° Canonicus qui deputatur ab Episcopo ad visitanda limina Apostolorum, pariter excusatur hoc tempore a servitio chori, et lucratur distributiones. Unum autem tantummodo mittere potest Episcopus. (S. Liguorius, loco citato.)

19° Item canonicus aut duo canonici quos secum ducit Episcopus ad eadem limina : duos enim ducere potest. (S. Liguorius, ibid.)

20° Vicarius capitularis, sede vacante. (S. Liguorius, ibid.)

21° Canonici et beneficiati absentes a choro ut assistant solemniter celebranti Episcopo. (S. Lig., ibid.)

22° De canonico misso ad concilium provinciale, tanquam theologo aut canonista, licet legitime absit, dubitandum an lucretur etiam distributiones, ex dictis n° 15. — Non dubitandum vero si mittatur tanquam procurator capituli, quia tunc abest ob negotia capituli tractanda, quod recidit in casum n° 15 discussum.

23° Quid de habente indultum pontificium eum excusans a servitio chori pro diebus aut horis quibus a munere suo impeditur? — Certum est, dictis diebus et horis illum licite abesse et lucrari fructus præbendæ. Quoad distributiones, si de illis sileat indultum, videntur non denegandæ; quia agitur de interpretando favore, et favores sunt ampliandi. Circa hujusmodi indulta movetur sat gravis quæstio, nempe: si habens tale indultum possit occupationes muneris sui ad aliud quam divini officii in choro celebrandi tempus remittere, et non remittat, an licite absit a choro? De quo dubio sic P. Andreucci :

« Quod si ex canonicis aliqui habeant indultum pontificium, quo excusentur a choro pro diebus et horis quibus ratione sui officii impediantur, sciat Episcopus posse excusari illum qui non impeditur actu a suo officio pro tempore chori, sed eo die occupatus fuit a sui officii actione, quam si voluisset ille, poterat differre tempore chori : ut docet Navarro (De orat. et horis can., c. 5, n. 21) et censet hanc esse probabiliorem sententiam San-

Digitized by Google

chez (In cons., l. 11, c. 2, dub. 97). Sciat, inquam, hæc : nam quamvis melius sit ut ea opinione canonici non utantur, tamen Episcopus non debet semper rigidioribus opinionibus adhærere : siquidem nosse debet, *promptiora esse jura ad absolvendum quam ad condemnandum* (cap. *Ex litteris*, De probat.). » (Andreucci, *De tuenda pace inter Episcopum et capitulum*, pars 2, c. 1, n. 101.)

PUNCTUM II. — *Causæ ita excusantes ut tamen absens non lucretur distributiones.* Præbendæ tantum fructus et non distributiones lucrantur dum absunt :

1° Duo canonici apud Episcopum pro ipsius et diœcesis utilitate detenti : *Sacra Congregatio censuit, canonicos inservientes Episcopo lucrari fructus præbendarum, non autem quotidianas distributiones* (anno 1587, in Coloniensi, libro IV decretorum, p. 317). Et item iterum decisum (ibid. libro XXX, p. 301). Si tamen Episcopus unum ex illis mitteret Romam ad visitationem sacrorum liminum, vel ambos secum duceret, distributiones lucrarentur , quia rediret casus in præcedenti puncto n° 17. (Ita docet Benedictus XIV, *Institutiones ecclesiasticæ*, inst. 107, § 9, n. 59.)

2° Canonicus qui simul agit vicarium generalem Episcopi. *Sacra Congregatio respondit, canonicum inservientem Episcopo in officio vicarii, non lucrari distributiones quotidianas pro illis divinis horis quibus non intersit.* (17 dec. 1627, libro XIII decretorum, fol. 267.) Ita etiam iterum decisum (ibid., libro XXVII, pag. 113).

3° Examinator synodalis : *An canonici qui sunt examinatores synodales, si non intersint choro occasione assistendi examini, lucrentur distributiones quotidianas non aliter ac si divinis interessent? — Sacra Congregatio respondit, non lucrari* (20 septembris 1642, in *Cremonensi*, lib. XVII decretorum, p. 95). Et ita alias decisum fuerat (ibid., libro X, p. 38).

4° Qui inservit tribunali sancti officii : *Sacra Congregatio censuit, canonicum qui divinis non interest, quamtumvis sit inquisitor fidei, non lucrari distributiones quotidianas.* (Apud Benedictum XIV, loco citato.)

5° Administri Cameræ apostolicæ. Decisum a Sacra Congregatione concilii. Vide apud Benedictum XIV (loco citato).

Digitized by Google

6° Docentes Scripturam sacram et theologiam in *scholis publicis*. (Conc. Trid., sess. 5, c. 1; — et cap. finali *De magistris*.) Isti nempe licet absentes a choro lucrantur fructus præbendæ, sed non distributiones. Quam dispositionem canonistæ communiter extendunt ad munus docendi jus canonicum, philosophiam et etiam grammaticam. (S. Liguorius, l. 4, c. 2, n. 132.)

7° Studentes theologiæ, seu Scripturæ sacræ, seu juri pontificio in aliqua universitate. (Conc. Trid., sess. 5, c. 1; — cap. finali, *De magistris;* — c. 11, *De privilegiis*, in sexto; — et c. *Tuæ*, De clericis non residentibus.) Canonici ergo qui hujusmodi studiorum causa a choro absunt, non lucrantur quidem distributiones; sed legitime absunt et lucrantur fructus præbendæ, modo dictis studiis operam dent saltem per majorem anni partem, et modo habeant de hoc licentiam ab Ordinario; quæ tamen licentia non requiritur pro docentibus, de quibus diximus sub præcedenti numero. Licentia abessendi studiorum causa olim suffragabatur pro quinquennio iis qui in Universitate audiebant sacros canones, pro septennio iis qui Scripturam sacram vel theologiam. At vero Innocentius XII decrevit ne privilegium illud triennii spatium superaret, et ne concederetur iis qui annum 25 attigerunt. (Ita Benedictus XIV, *Institutiones ecclesiasticæ*, inst. 107, § 9.)

PUNCTUM III. *Causæ aliquæ de quibus dubium esse posset an excusent a servitio chori.* — 1° Coadjutor alicujus canonici vel beneficiati, non potest gaudere privilegio cæteris canonicis a jure concesso, ut studiorum causa legitime absint. Ita decisum a Sacra Congregatione concilii. Vide apud Benedictum XIV (inst. 107, n. 72).

2° An tempore celebrationis divinorum officiorum possint canonici habere capitulum? — Sacra Congregatio concilii dubio his ipsis terminis proposito respondit : *Capitulum non esse habendum eo tempore, quo divina officia celebrari debent, nisi causa urgens in aliud tempus differri non patiatur. Quod si secus fiat, canonicos nequaquam lucrari distributiones quotidianas pro illis horis divinis quibus non interfuerunt* (in causa *Oriolensi*, libro 14 Decretorum, n. 599). Et ibidem pagina 751, habetur iisdem terminis eadem decisio cum hac additione : *et eo casu posse Archiepiscopum, non obstante quacumque consue-*

Digitized by Google

tudine, ad subtractionem fructuum et ad mulctas pecuniarias imponendas contra canonicos procedere.

4° An tempore divini officii possint vacare audiendis confessionibus, aut missam privatam celebrare? — *Sacra Congregatio respondit canonicos, dum horæ canonicæ recitantur, non posse a choro abscedere ad confessiones audiendas, aut missas celebrandas devotionis causa; ac qui discesserit, illius horæ distributionem amittere. — Canonicos non posse, nisi illa hora ad missas celebrandas, ab eo ad quem spectat compulsi aut jussi fuerint.* Et in alia declaratione supponitur præfectum capituli posse, ex necessitate aliqua, jubere canonico ut chorum deserat ad missam privatam celebrandam. Et in alio decreto monentur superiores ut ab hujusmodi jussu abstineant: *non posse, nisi quando sic jussissent eorum superiores; quos tamen admoneri voluit* (nempe Summus Pontifex) *ut ab hujusmodi jussu abstineant.* Quas omnes declarationes refert Benedictus XIV. (*Institutiones ecclesiast.*, inst. 107, n. 74 et seq.)

Quam doctrinam reperimus iterum confirmatam a Sacra Congregatione concilii anno 1795 : « Sancitum est per Tridentinos « Patres (sess. 24, c. 8) ut pœnitentiarius.... Quæ dispositio cum « ad eos tantum ampliata sit, qui pro muneris necessitate con- « fessiones excipere tenentur (Fagn. in c. *Licet*, De præbendis, « n. 111), ideo nisi quis ex lege fundationis, aut de mandato « Episcopi absit ad sacramentum illud administrandum, distri- « butionibus frui non posse videtur, ut pluribus relatis exemplis « firmavit Sacra hæc Congregatio, in Macerat., 23 aprilis 1768. » (In causa *Spoletana*, 28 febr. 1795; — *Thesaurus*, t. LXIV, p. 42.)

In hac autem causa, ad dubium an canonici qui proprio marte relinquebant chorum ad audiendas confessiones haberi deberent pro præsentibus in choro, responsum est *negative.*

Qui tempore chori audiunt confessiones non lucrari distributiones, nisi id fiat de expresso Episcopi mandato declaravit etiam Sacra Congregatio rituum, apud Gardellini, n. 241. Eadem Congregatio respondit non licere canonicis a choro recedere ad celebrandam missam (apud Gardellini, n. 26 et 34); et punctari posse, non tamen suspendi a divinis eum qui sic recedit. (Ibid., n. 2363.)

Digitized by Google

§ 14

CAUSÆ EXCUSANTES A RECITATIONE DIVINI OFFICII

1° Excusat infirmitas, non solum gravis, sed etiam talis ut non possit breviarium recitari sine gravi incommodo, aut sine periculo probabili gravis incommodi. (S. Liguorius, l. IV, c. 2, n. 154.)

2° Convalescentes ex gravi morbo excusantur per aliquot dies arbitrio prudentis viri æstimandos. (S. Liguorius, ib.)

3° In dubio an infirmitas sufficiat vel non ad excusandum, potest infirmus se committere judicio medici, vel viri prudentis, vel etiam judicio proprio si ipsemet prudenter judicare possit, vel præcipue judicio superioris, qui etiam in tali dubio dispensare potest. (S. Liguorius, ibid.)

4° Si quis certus sit se non posse totum officium recitare, et dubitet an teneatur ad partem, probabiliter nec ad partem tenetur. (S. Liguorius, ibid.)

5° An excusentur laborantes febri tertiana vel quartana, cum videantur posse sine gravi incommodo recitare diebus a febri liberis, controvertitur. Et item utrum teneantur anticipare ob prævisum impedimentum venturæ febris, disputant auctores. (Liguorius, ibid., n. 155.)

6° Excusantur qui tota die occupantur in officiis religionis aut charitatis, quæ sine scandalo aut notabili detrimento suo vel aliorum omitti nequeunt. Ita sententia communis.

Hinc excusantur confessarii qui per totum diem confessiones excipiunt quas differre non possint. Item qui occupantur in assistendis infirmis. Item qui ex officio attendere debent publicis thesibus. Item habentes publicam lectionem ad acquirendam cathedram vel lauream, si occupatio esset totius diei. Item scholares qui debeant in aliquo die actum defendere. Si tamen prædicti possunt sine notabili difficultate vel damno recitationem anticipare vel postponere, videntur teneri. (S. Liguorius, l. 4, c. 2, n. 156.)

7° Excusantur a supplendis iis quæ omiserunt illi qui in choro, dum alii cantant, parant aut transferunt libros, perquirunt psalmos, pulsant organa, aut campanas, vel alia choro necessaria

Digitized by Google

peragunt, quia chorus censetur supplere, si quæ a talibus non audiantur. (S. Liguorius, l. IV, c. 2, n. 143.)

8° Excusat carentia breviarii. Peccat vero qui scienter privando se breviario consensit in secuturam impossibilitatem recitationis.

9° Damnata est ab Innocentio XI hæc propositio : *Qui non potest recitare matutinum et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Ergo qui carens breviario potest memoriter recitare laudes aut completorium aut aliam horam, ad illud sub gravi tenetur.

10° Si carens officio proprio habeas commune, teneris recitare commune. (S. Liguorius, ibid., n. 158.)

11° Si carens breviario romano aut breviario tuæ ecclesiæ proprio, habeas aliud a legitima auctoritate pro aliis ecclesiis aut congregationibus approbatum, teneris illo uti. (Vide S. Liguorium loco citato.)

12° Excusat dispensatio valide concessa. Papa autem, etiam sine causa, valide dispensare potest etiam beneficiatum. At vero Episcopus non valide dispensat sine justa causa; nec potest dispensare nisi in aliquo particulari casu et ad breve tempus. (S. Liguorius, l. IV, c. 2, n. 159.)

§ 15

OBLIGATIO QUOAD LEGITIMUM BREVIARIUM ET LEGITIMAM OFFICIA ORDINANDI ET CELEBRANDI REGULAM. (REMISSIVE.)

Præceptum et obligatio recitandi officii divini intelligitur de officio cujus formula ab auctoritate ecclesiastica determinata fuerit; non autem de formulariis quæ sibi quisque privatus aut quodque capitulum sibi concinnaret. Item intelligitur de illa officia ordinandi et celebrandi lege quæ ab eadem legitima auctoritate dimanet.

Hinc non satisfacit qui breviario illegitimo utitur, et beneficiarius ita agens ad restitutionem tenetur. Item peccaret qui utens breviario legitimo, officia sciens ordinaret et celebraret ex alia quam legitima regula.

« Visitator Apostolicus inquirere debet... an in recitatione

Digitized by Google

« divini officii in choro observent rubricas generales breviarii : « vel potius, absque indulto Sacræ Congregationis rituum, assu- « mant et recitent officia alicujus sancti, vel octavæ, diœcesi et « illi clero non concessa. Etenim si hoc facerent, illicite facerent, « etiamsi auctoritas et permissio Episcopi intercederet ; quoniam « locorum Ordinarii tam sæculares quam regulares, non possunt « addere kalendariis etiam propriis (quod idem est ac mutare ka- « lendarium romanum) sanctorum officia, nisi ea dumtaxat quæ « breviarii Romani rubricis, vel Sacræ rituum Congregationis, « seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur ; sub pœna quod non « fiat satis obligationi recitandi divinum officium et consequen- « ter non percipiendi fructus suorum beneficiorum ; ut referendo « decretum de anno 1626 emanatum et rubricis breviarii nunc « additum tradit Gavantus (in comment. rubr. breviar., sect. 1, « c. 5, n. 9). » Monacelli (tit. 16, formula 10, adn. 9).

Canonici tenentur recitare officium propriæ ecclesiæ, etiamsi ab ea absint. Ita S. Congregatio rituum, apud Gardellini, n. 2676.

Ad quemnam vero in Ecclesia pertineat formulam divini officii et ipsius ordinandi legem determinare et præscribere, vide in meo tractatu de *jure liturgico*.

Multi casus expendendi remanerent circa præsentis capitis materiam. Sed magis ad moralistas pertinent : duos hic tantum subjicimus.

Quid de recitante officium in statu peccati mortalis? Si habeat desiderium exeundi a peccato, satisfacit præcepto, et recitatio non est culpabilis. Si habeat actuale propositum peccandi, verior et communior est sententia quod satisfaciat præcepto et non peccet mortaliter, licet non videatur posse talem recitationem excusari saltem a veniali. (S. Liguorius, l. IV, c. 2, n. 178.) Fateor me nunquam intellexisse quomodo quis peccet, etiam venialiter, ex eo præcise quod satisfaciat alicui præcepto.

Quid de rubrica præcipiente varios corporis situs, nempe mandante ut alia stando, alia genibus flexis dicantur? — Extra chorum non obligat. In choro obligat *probabilius* sub veniali. (S. Liguorius, l. IV, c. 2, n. 179.)

Digitized by Google

§ 16

EXIMIA CLEMENTIS XI MONITIO DE RECTE PERSOLVENDO A CANONICIS DIVINO OFFICIO

Monitionem illam ipsius Pontificis jussu promulgavit Sacra Congregatio Episc. et reg. his verbis : *Jubet Sanctitas sua ut plurimum commendes canonicis, beneficiariis, mansionariis, capellanis, clericis, aliisque choro inservientibus tum in ipsa cathedrali, tum in collegiatis tuæ diœcesis, commendes, inquam, gravissimum onus quod illis præscribitur, dum in chorum conveniunt, nempe ut modestiam et silentium decenter in eo loco præ se ferant, quemadmodum illos decet maxime qui ante conspectum majestatis divinæ versantur ; ut psallant magno pietatis studio, vocibus apte comparatis, haud festinanter, nullisque præcisis vocabulis ; ita ut pars chori haud canere incipiat, cum pars altera cantum nondum absolvit ; ut hac ratione populus intelligat divinas laudes, et ad pietatem ac religionem ex ipsarum cantu moveatur.*

Dicit Benedictus XIV, se, postquam multos legit de eodem argumento disserentes auctores, nullum invenisse qui prædictæ Clementis XI exhortationi æquiparari possit ; et singulas illius monitionis sententias commentario explanat in suis *Institutionibus ecclesiasticis* (inst. 107, § 5). Eamdem et nobis liceat canonicis, hoc qualecumque opusculum nostrum lecturis, per singula verba meditandam proponere.

CAPUT III

OBLIGATIO QUOAD MISSAM CONVENTUALEM

1. *An canonici teneantur ad quotidianam celebrationem missæ conventualis cum cantu?* — Hanc obligationem tanquam certam et communiter admissam affirmat Pignatelli (consult. 321 tomi I) his verbis : « Celebratio divinorum officiorum, « debita Ecclesiæ ratione beneficii, non importat solas horas « canonicas, sed etiam missam conventualem tanquam partem « præcipuam. Et ideo ratione officii exhibendi Ecclesiæ in

Digitized by Google

« orando, tenentur etiam celebrare missam conventualem, illam-
« que applicare pro quibus distributiones et emolumenta per-
« cipiunt. Quod autem missa conventualis pertineat ad offi-
« cium et sit pars illius, tradunt glossa (in Clementinam I,
« *De celebr. miss.*), Navarrus (*De oratione*, cap. 2, n. 29, ubi
« ponit missæ officium tanquam partem divini officii). Offi-
« cium namque divinum, ut nunc sumitur, est illud quod est
« institutum publico ritu in ecclesiis peragendum ad colendum
« Deum et orandum pro populo. Si quidem ad hunc finem
« institutæ sunt ecclesiæ cathedrales et collegiatæ cum pro-
« ventibus ministrorum... Præcipua autem pars cultus divini
« est sacrificium. Et ideo, nomine officii divini, venit obligatio
« sacrificii conventualiter exhibendi. Unde quando tempore inter-
« dicti prohibentur officia divina, veniunt ea omnia quæ pro-
« pria sunt cujuscumque ordinis, tam sacri quam ex minoribus
« (ut tradunt Navarrus, Henriquez, Covarruvias...), et proinde
« venit etiam missa. Quare officium divinum comprehendit
« servitium ecclesiæ et cultum Dei, et constat ex omnibus his
« actibus.

« Adesse autem in ecclesiis cathedralibus et collegiatis obli-
« gationem cantandi quotidie missam conventualem, tradunt
« communiter doctores (*multos hic enumerat Pignatelli*);
« idque sub mortali; quia est de materia gravi, et quæ omnium
« plurimum confert ad divinum cultum, cui maxime detrahere-
« tur, imo plus quam si non celebrarentur horæ canonicæ, cum
« major sit cultus sacrificii quam horarum canonicarum. Stante
« autem gravitate materiæ, consurgit gravis obligatio. »

Validis rationibus nixa videtur hæc Pignatelli conclusio. Illam tamen limitandam existimavit Scarfantonius; qui postquam advertit concilium Tridentinum loqui tantum de septem horis canonicis, silere autem de obligatione missam conventualem cantandi sic habet:

« Statuendum videtur quod, cessante præcisa obligatione in
« fundatione collegiatæ, et concurrente contraria consuetudine,
« cogi non possunt canonici, præsertim collegiatæ, ad canendam
« missam conventualem; quia licet ex pluribus Sacræ Congrega-
« tionis concilii decretis firmatum fuerit quotidianas distribu-
« tiones deberi interessentibus missæ conventuali, id intelligen-

Digitized by Google

§ 16

EXIMIA CLEMENTIS XI MONITIO DE RECTE PERSOLVENDO A CANONICIS DIVINO OFFICIO

Monitionem illam ipsius Pontificis jussu promulgavit Sacra Congregatio Episc. et reg. his verbis : *Jubet Sanctitas sua ut plurimum commendes canonicis, beneficiariis, mansionariis, capellanis, clericis, aliisque choro inservientibus tum in ipsa cathedrali, tum in collegiatis tuæ diœcesis, commendes, inquam, gravissimum onus quod illis præscribitur, dum in chorum conveniunt, nempe ut modestiam et silentium decenter in eo loco præ se ferant, quemadmodum illos decet maxime qui ante conspectum majestatis divinæ versantur ; ut psallant magno pietatis studio, vocibus apte comparatis, haud festinanter, nullisque præcisis vocabulis ; ita ut pars chori haud canere incipiat, cum pars altera cantum nondum absolvit ; ut hac ratione populus intelligat divinas laudes, et ad pietatem ac religionem ex ipsarum cantu moveatur.*

Dicit Benedictus XIV, se, postquam multos legit de eodem argumento disserentes auctores, nullum invenisse qui prædictæ Clementis XI exhortationi æquiparari possit ; et singulas illius monitionis sententias commentario explanat in suis *Institutionibus ecclesiasticis* (inst. 107, § 5). Eamdem et nobis liceat canonicis, hoc qualecumque opusculum nostrum lecturis, per singula verba meditandam proponere.

CAPUT III

OBLIGATIO QUOAD MISSAM CONVENTUALEM

1. *An canonici teneantur ad quotidianam celebrationem missæ conventualis cum cantu?* — Hanc obligationem tanquam certam et communiter admissam affirmat Pignatelli (consult. 321 tomi I) his verbis : « Celebratio divinorum officiorum, « debita Ecclesiæ ratione beneficii, non importat solas horas « canonicas, sed etiam missam conventualem tanquam partem « præcipuam. Et ideo ratione officii exhibendi Ecclesiæ in

Digitized by Google

« orando, tenentur etiam celebrare missam conventualem, illam-
« que applicare pro quibus distributiones et emolumenta per-
« cipiunt. Quod autem missa conventualis pertineat ad offi-
« cium et sit pars illius, tradunt glossa (in Clementinam I,
« *De celebr. miss.*), Navarrus (*De oratione*, cap. 2, n. 29, ubi
« ponit missæ officium tanquam partem divini officii). Offi-
« cium namque divinum, ut nunc sumitur, est illud quod est
« institutum publico ritu in ecclesiis peragendum ad colendum
« Deum et orandum pro populo. Si quidem ad hunc finem
« institutæ sunt ecclesiæ cathedrales et collegiatæ cum pro-
« ventibus ministrorum... Præcipua autem pars cultus divini
« est sacrificium. Et ideo, nomine officii divini, venit obligatio
« sacrificii conventualiter exhibendi. Unde quando tempore inter-
« dicti prohibentur officia divina, veniunt ea omnia quæ pro-
« pria sunt cujuscumque ordinis, tam sacri quam ex minoribus
« (ut tradunt Navarrus, Henriquez, Covarruvias...), et proinde
« venit etiam missa. Quare officium divinum comprehendit
« servitium ecclesiæ et cultum Dei, et constat ex omnibus his
« actibus.

« Adesse autem in ecclesiis cathedralibus et collegiatis obli-
« gationem cantandi quotidie missam conventualem, tradunt
« communiter doctores (*multos hic enumerat Pignatelli*);
« idque sub mortali; quia est de materia gravi, et quæ omnium
« plurimum confert ad divinum cultum, cui maxime detrahere-
« tur, imo plus quam si non celebrarentur horæ canonicæ, cum
« major sit cultus sacrificii quam horarum canonicarum. Stante
« autem gravitate materiæ, consurgit gravis obligatio. »

Validis rationibus nixa videtur hæc Pignatelli conclusio. Illam tamen limitandam existimavit Scarfantonius; qui postquam advertit concilium Tridentinum loqui tantum de septem horis canonicis, silere autem de obligatione missam conventualem cantandi sic habet:

« Statuendum videtur quod, cessante præcisa obligatione in
« fundatione collegiatæ, et concurrente contraria consuetudine,
« cogi non possunt canonici, præsertim collegiatæ, ad canendam
« missam conventualem; quia licet ex pluribus Sacræ Congrega-
« tionis concilii decretis firmatum fuerit quotidianas distribu-
« tiones deberi interessentibus missæ conventuali, id intelligen-

Digitized by Google

« dum videtur quatenus concurrat obligatio ex consuetudine vel « statuto canendi hanc missam. Nec obstat dispositio capitis, « *Quum creatura, de celebratione missarum*, in quo cavetur « quod absque ulla negligentia et torpore celebretur conven- « tualiter missa, de tempore, de festo, sive de feria, etiamsi « celebretur anniversarium ; quia eadem dispositio intelligenda « venit quatenus adsit obligatio » (tom. II, pag. 33, editio Lucensis, 1723). Huic limitationi favet ipse Pignatelli, ut infra videre est n° 8. Ipsammet tamen limitationem limitandam putavit laudatus Scarfantonius; addit enim loco citato :

« Non tamen de facili admittenda est vigore simplicis consue- « tudinis exemptio canendi missam conventualem, quando in « cathedrali vel collegiata adesset sufficiens numerus ministro- « rum, quia censendus est potius abusus, ut decrevit Sacra « Congregatio (in *Tusculana*, 16 novembris 1652); in qua, « non obstante consuetudine contraria, demandavit singulis « diebus canendam esse missam conventualem. Quod decretum « fuit confirmatum ab eadem Sacra Congregatione sub die « 21 aprilis 1708, ac resolutum iterum eamdem esse celebran- « dam per turnum, etiam diebus feriatis, tam per canonicos, « quam per beneficiatos, cum cantu. »

Prædicta Scarfantonii doctrina eximens ab obligatione quotidianæ missæ conventualis, ubi neque consuetudine neque fundationis pacto inducta est, parum sibi constat; cum ipse fateatur contrarium decisum pluries fuisse a Sacra Congregatione concilii. Neque etiam in re tam gravi satis tuta videtur.

Standum igitur sententiæ communi, quæ ut certam habet obligationem quotidianæ missæ conventualis cum cantu. Cui communi sententiæ suam addidit auctoritatem Benedictus XIV his verbis :

« Quod si missæ sacrificium inter horas canonicas haud « refertur, tamen officii divini nomine satis intelligitur, uti con- « stat ex canone *De iis, distinctionis* 12 : *Cæterum officia pu- « blica, id est vesperas, matutinum sive missam, aliter quam « in principali ecclesia celebrare non liceat*. Quapropter cum in « ecclesiis metropolitanis, cathedralibus et collegiatis divinum « officium quotidie indicatur, etiam missa conventualis quotidie « celebranda est : *Quidam in cathedralibus* (inquit Honorius III)

Digitized by Google

« *vel conventualibus ecclesiis, prætextu missæ semel in die pro* « *anniversario celebrandæ, sacra missarum solemnia, quæ* « *ratione diei vel festi solent solemnius celebrari, culpabili* « *negligentia prætermittunt. Cum ergo ecclesia gallicana, per* « *Dei gratiam tanquam lucerna super candelabrum posita lu-* « *ceat aliis per exemplum,... quatenus universi, et singuli* « *provide attendentes quod servire Deo regnare est, nullum in* « *vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominus et* « *pro anniversariis defunctorum, et pro festo vel feria secun-* « *dum temporum congruentiam, missarum solemnia et conven-* « *tualiter celebretis et faciatis conventualiter celebrari* (1). » (*Institutiones ecclesiasticæ*, inst. 107, § 2.) « Equidem Ecclesia « curam perpetuumque studium ostendit de præstando suffragio « fundatoribus, ac benefactoribus, quamvis diuturnum temporis « spatium jam intercesserit, nec ipsi in supremis tabulis id cogi- « taverint. Hinc cathedralibus ac collegiatis conventuale sacrum « quotidie præcipit, ea lege et conditione ut ipsum pro benefac- « toribus generatim conficiatur. » (Benedictus XIV, ibid., n. 15.)

Ex relatis testimoniis ita concludendum videtur : De jure communi capitula regulariter tenentur ad quotidianam missam conventualem cum cantu. Dicimus *regulariter* ob exceptiones ex paupertate aut nimis parvo numero canonicorum infra exponendas.

II. *An aliquoties teneantur canonici ad plures eadem die celebrandas missas conventuales?* — Sic habet Benedictus XIV (*Institutiones eccles.*, inst. 107, § 2) : « Præter missam conven- « tualem quotidie celebrandam, Rubricæ secundam ac tertiam « pariter missam conventualem præcipiunt, quæ certis anni « diebus contingunt. Si officium novem lectionum fiat in Qua- « dragesimæ, Rogationum, Quatuor temporum ac Vigiliarum « feriis, tunc duo sacra conventualia jubentur, unum nempe « pro celebritate diei post tertiam, alterum pro feria post nonam. « Si inter Octavam Corporis Christi pervigilium accidat, etiam « duo sacra statuenda sunt, primum nempe de octava, alterum « de pervigilio. Quod si novem lectionum officium indicatur in

(1) Capite *Cum creatura, de celebratione miss.*, l. III, Decretalium, tit. 41. — Paulo aliter ac habetur in Corpore juris textum citavit Benedictus XIV ex collectione Ciconii.

Digitized by Google

« dum videtur quatenus concurrat obligatio ex consuetudine vel « statuto canendi hanc missam. Nec obstat dispositio capitis, « *Quum creatura, de celebratione missarum*, in quo cavetur « quod absque ulla negligentia et torpore celebretur conven- « tualiter missa, de tempore, de festo, sive de feria, etiamsi « celebretur anniversarium ; quia eadem dispositio intelligenda « venit quatenus adsit obligatio » (tom. II, pag. 33, editio Lucensis, 1723). Huic limitationi favet ipse Pignatelli, ut infra videre est n° 8. Ipsammet tamen limitationem limitandam putavit laudatus Scarfantonius; addit enim loco citato :

« Non tamen de facili admittenda est vigore simplicis consue- « tudinis exemptio canendi missam conventualem, quando in « cathedrali vel collegiata adesset sufficiens numerus ministro- « rum, quia censendus est potius abusus, ut decrevit Sacra « Congregatio (in *Tusculana*, 16 novembris 1652); in qua, « non obstante consuetudine contraria, demandavit singulis « diebus canendam esse missam conventualem. Quod decretum « fuit confirmatum ab eadem Sacra Congregatione sub die « 21 aprilis 1708, ac resolutum iterum eamdem esse celebran- « dam per turnum, etiam diebus feriatis, tam per canonicos, « quam per beneficiatos, cum cantu. »

Prædicta Scarfantonii doctrina eximens ab obligatione quotidianæ missæ conventualis, ubi neque consuetudine neque fundationis pacto inducta est, parum sibi constat; cum ipse fateatur contrarium decisum pluries fuisse a Sacra Congregatione concilii. Neque etiam in re tam gravi satis tuta videtur.

Standum igitur sententiæ communi, quæ ut certam habet obligationem quotidianæ missæ conventualis cum cantu. Cui communi sententiæ suam addidit auctoritatem Benedictus XIV his verbis :

« Quod si missæ sacrificium inter horas canonicas haud « refertur, tamen officii divini nomine satis intelligitur, uti con- « stat ex canone *De iis, distinctionis* 12 : *Cæterum officia pu- « blica, id est vesperas, matutinum sive missam, aliter quam « in principali ecclesia celebrare non liceat*. Quapropter cum in « ecclesiis metropolitanis, cathedralibus et collegiatis divinum « officium quotidie indicatur, etiam missa conventualis quotidie « celebranda est : *Quidam in cathedralibus* (inquit Honorius III)

Digitized by Google

« *vel conventualibus ecclesiis, prætextu missæ semel in die pro* « *anniversario celebrandæ, sacra missarum solemnia, quæ* « *ratione diei vel festi solent solemnius celebrari, culpabili* « *negligentia prætermittunt. Cum ergo ecclesia gallicana, per* « *Dei gratiam tanquam lucerna super candelabrum posita lu-* « *ceat aliis per exemplum,... quatenus universi, et singuli* « *provide attendentes quod servire Deo regnare est, nullum in* « *vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominus et* « *pro anniversariis defunctorum, et pro festo vel feria secun-* « *dum temporum congruentiam, missarum solemnia et conven-* « *tualiter celebretis et faciatis conventualiter celebrari* (1). » (*Institutiones ecclesiasticæ*, inst. 107, § 2.) « Equidem Ecclesia « curam perpetuumque studium ostendit de præstando suffragio « fundatoribus, ac benefactoribus, quamvis diuturnum temporis « spatium jam intercesserit, nec ipsi in supremis tabulis id cogi- « taverint. Hinc cathedralibus ac collegiatis conventuale sacrum « quotidie præcipit, ea lege et conditione ut ipsum pro benefac- « toribus generatim conficiatur. » (Benedictus XIV, ibid., n. 15.)

Ex relatis testimoniis ita concludendum videtur : De jure communi capitula regulariter tenentur ad quotidianam missam conventualem cum cantu. Dicimus *regulariter* ob exceptiones ex paupertate aut nimis parvo numero canonicorum infra exponendas.

II. *An aliquoties teneantur canonici ad plures eadem die celebrandas missas conventuales?* — Sic habet Benedictus XIV (*Institutiones eccles.*, inst. 107, § 2) : « Præter missam conven- « tualem quotidie celebrandam, Rubricæ secundam ac tertiam « pariter missam conventualem præcipiunt, quæ certis anni « diebus contingunt. Si officium novem lectionum fiat in Qua- « dragesimæ, Rogationum, Quatuor temporum ac Vigiliarum « feriis, tunc duo sacra conventualia jubentur, unum nempe « pro celebritate diei post tertiam, alterum pro feria post nonam. « Si inter Octavam Corporis Christi pervigilium accidat, etiam « duo sacra statuenda sunt, primum nempe de octava, alterum « de pervigilio. Quod si novem lectionum officium indicatur in

(1) Capite *Cum creatura, de celebratione miss.*, l. III, Decretalium, tit. 41. — Paulo aliter ac habetur in Corpore juris textum citavit Benedictus XIV ex collectione Ciconii.

Digitized by Google

« pervigilio Ascensionis, tria sacra conventualia facienda sunt, « primum de sancto illius diei posttertiam, alterum de pervigilio « post sextam, tertium de Rogationibus post nonam. Primo « die cujusvis mensis (non tamen in Adventu Domini, in Quadra- « gesima et Paschali tempore), nisi contingat officium duplex « aut semiduplex, missa defunctorum pro conventuali sufficitur, « ut animæ sacerdotum et aliorum qui bene meriti sunt expien- « tur. At si prima die mensis festum simplex obveniat, aut feria « quæ propriam sibi missam deposcat..., tunc duo sacra con- « ventualia, nempe pro defunctis et pro festo simplici aut feria « celebrantur.... Hæc a rubricis præscribuntur. Quartus (in suis « Commentariis in rubr. miss., tit. 5) rectores ecclesiarum mo- « net curam maximam impendere ut ipsæ diligenter observentur. « Clericatus autem (*De sacrif. miss.*, decis. 38, n. 13) ostendit « nullam contrariam consuetudinem, nullum tam gravem ego - « tium afferri posse ut ipsæ rubricæ negligantur. Id pariter fuse « demonstrat P. Meratus (in Gavant., p. 2, t. I, p. 783). »

Occurit difficultas in casu quo Episcopus diebus festis pontificaliter celebrat : an tunc canonici teneantur nihilominus missam conventualem cantare, et quando? Cujus difficultatis solutionem dedit Sacra Congregatio rituum : « Cum Episcopus diebus « festivis applicare debeat pro ovibus suis, quæritur, an Epi- « scopo hisce diebus pontificaliter celebrante, canonici debeant « missam conventualem pro benefactoribus cantare, et quando? « — Sacra Congregatio (rituum) censuit : *Hebdomadarius vel is « cui onus inest missæ conventualis, illam celebret lectam vel « ante vel post missam pontificalem.* Die 12 novembris 1831. » (Apud Gardellini, t. VIII, n. 4520, ad. 20.)

Canonici cogi possunt ab Episcopo ut in feriis Quadragesimæ procurent cantari a capellanis missam feriæ cum diacono et subdiacono. Ita Sacra Congregatio rituum apud Gardellini, n. 550.

III. *An canonici et beneficiati, pro missa conventuali, pro qua emolumentum et distributiones recipiunt possint aliam eleemosynam recipere et sacrificium alteri applicare?* — « Re- « spondeo negative. Ita declaravit Sacra Congregatio concilii (in « una Elvensi, die 4 maii 1646). Quia fundatores non ita præcise « intendunt cultum Ecclesiæ, quin etiam exprimant aliquo modo « intendere etiam fructum divinorum officiorum pro se et suis;

Digitized by Google

« et quia capitulum regulariter habet aliquas obligationes ; ideo « missa conventualis solet regulariter applicari juxta capituli « applicationem, et proinde non remanet libera applicatio. Præ- « terea, quia canonici et beneficiati percipiunt fructus canoni- « catuum et beneficiorum sub onere inserviendi Ecclesiæ in ce- « lebratione divinorum officiorum. Hoc enim onus est annexum « beneficio ; et ideo illud suscipiunt eo ipso quod acceptant bene- « ficium ; quia cum beneficium detur propter officium, trahit « secum hanc obligationem. Celebratio autem divinorum officio- « rum, debita Ecclesiæ ratione beneficii, non importat solas horas « canonicas, sed etiam missam conventualem tanquam partem « præcipuam. » (Pignatelli, Consult. 321, t. I.)

« Canonici canentes missam conventualem pro qua distribu- « tiones percipiunt, non possunt aliam eleemosynam recipere et « sacrificium alteri applicare. Nec etiamsi caderet eadem die « obligatio alicujus anniversarii, ut resolvit Sacra Congregatio « (in Cathacensi, 29 novembris 1698). » (Scarfantonius, t. II, p. 33, editio Lucensis, 1723.) « Ecclesiæ jusso non obtemperat « qui pro legato aliquo peculiari vel pro stipendio accepto sa- « crum conventuale Deo operatur. » (Benedictus XIV, instit. 107, § 2, n. 15.)

Hæc porro canonicorum obligatio, tanquam omnino certa admittenda est præsertim post bullam *Cum semper* Benedicti XIV, quæ Apostolica auctoritate approbavit et confirmavit varias Congregationis concilii resolutiones, quibus *excusationes ad declinandam applicationem quotidianam missæ conventualis pro benefactoribus in genere, provide e medio sublatæ fuerunt ;* non attenta etiam immemoriali in contrarium consuetudine.

IV. *An idem dicendum, ubi nullæ fiunt quotidianæ distributiones ?* — Videtur respondendum affirmative. Valet enim etiam tunc ratio supra allata a Pignatello ; nempe beneficiato, hoc ipso quod acceptarit beneficium, incumbere onus *divinorum officiorum ;* porro missa conventualis quotidiana cum cantu est pars et quidem præcipua hujus oneris. Præterea distributiones si de facto non fiant, fieri tamen de jure debent ; et ubi desunt reditus speciales, tertia pars fructuum præbendæ in distributiones convertenda est ; ergo beneficiatus recipiens illam tertiam partem dici potest distributiones percipere, etiamsi de facto illam non

Digitized by Google

recipiat per modum distributionis quotidianæ. Unde concludendum, etiam hodie in Gallia, ubi non fiunt distributiones, non posse canonicos, dum sua quisque vice missam conventualem cantant, pro illa eleemosynam accipere, ut alteri intentioni applicent.

V. *An missa conventualis suppleat onus parochi cathedralis vel collegiatæ applicandi pro parochianis diebus festis?* — « Hujusmodi celebratio missæ conventualis, quando ecclesia cathedralis vel collegiata habet curam animarum annexam, non « supplet onus quod habent parochi earumdem ecclesiarum applicandi sacrificium diebus festis pro parochianis; solumque excusantur parochi prædicti a prædicta applicatione, quoties ipsi sunt « membra aut primæ dignitates cathedralium vel collegiatarum, « quando ad eos in suo turno spectat canere in ipsis diebus festis « missam conventualem, ut respondit sacra Congregatio concilii... « Ratio autem cur unica missa conventuali non possit satisfieri parochiali, ea est, quia utraque obligatio habet diversum respectum; parochialis enim applicanda est pro parochianis, conventualis vero pro benefactoribus. » (Scarfantonius, t. II, pag. 33, editio Lucensis, 1723.) «Quare decrevit Ecclesia a sacerdote ejusmodi, si sacrum conventuale faciat tanquam canonicus aut beneficiatus, rem divinam pro benefactoribus generatim applicandam, et alium sacerdotem accersendum eodem die, qui pro « populo celebret. » (Benedictus XIV, *Institutiones ecclesiast.*, inst. 107, § 2.)

VI. *Quo tempore canenda sit missa conventualis?* — « Hoc « etiam non omittendum est, quod dicta missa conventualis « canenda est post tertiam, non autem absolutis omnibus horis « canonicis, non obstante contraria consuetudine, ut resolvit « Sacra Congregatio rituum (in Cathacensi, die 18 junii 1689). » (Scarfantonius, t. II, pag. 33, editio Lucensis, 1723.) Ita in casu quo una tantum celebretur missa conventualis. Si plures celebrandæ sint, supra ex Benedicto XIV diximus quo tempore cani debeant.

VII. *An ratione exiguitatis redituum possit missa conventualis cani tantummodo diebus festis?* — Dicendum requiri indultum; sed hujusmodi indultum Sacra Congregatio non denegat, stante dicta paupertatis ratione. Ita Benedictus XIV (*Instit.*

Digitized by Google

eccles., instit. 107, n. 15) et Scarfantonius (loco citato), attestans ita decisum fuisse, in Camerinensi 22 maii 1706, a S. Congregatione concilii.

VIII. *An ratione parvi numeri canonicorum tolerari possit consuetudo cantandi missam conventualem festis dumtaxat diebus?*—« Puto esse tolerandam. Ad inducendam enim obligatio-
« nem missæ conventualis non sufficit quod ecclesia sit cathedralis
« vel collegiata, sed insuper requiritur quod habeat sufficientem
« numerum ministrorum. Quis autem sit sufficiens numerus,
« auctores non docent. At ego illum esse censeo qui sufficit pro
« choro et pro celebratione missæ. Unde cum pro missa requi-
« rantur saltem septem personæ, nimirum celebrans, diaconus
« et subdiaconus, duo ceroferarii, thuriferarius et acolythus, et
« pro choro saltem quatuor, quia debet esse cum cantu, sequitur
« quod saltem undecim inservientes sint necessarii ; quanquam
« idem clericus supplere possit pro acolytho et thuriferario. Nam
« collegium tres faciunt... Et proinde potest ecclesia esse colle-
« giata cum tribus. Immo potest collegium ecclesiæ reduci ad
« duos, vel etiam ad unum... Collegium quippe per duos, immo
« per unum etiam conservari ac retineri potest, constitui non po-
« test. Quia alia est ratio constitutionis, alia conservationis. Et ideo
« in tali casu non desinet ecclesia esse collegiata in actu, siquidem
« adhuc habebit collegium, et tamen non habebit ministros suf-
« ficientes pro missa conventuali. Cum igitur obligatio non sit ad
« impossibile, non tenebitur ad missam conventualem. Et ita qui-
« dem de jure respondendum videtur in hoc casu : quia licet de
« recitatione officii divini in ecclesiis cathedralibus et collegiatis
« extet post sacros canones dispositio concilii Tridentini (c. 12,
« sess. 24, *De ref.*) ; adverti tamen debet, quod inter horas cano-
« nicas, quæ sunt septem, non connumeratur missa conventualis,
« de qua concilium nusquam fecit mentionem. Nec refert quod iis
« qui intersunt missæ conventuali dantur distributiones quoti-
« dianæ juxta declarationem Congregationis concilii : quia id in-
« telligitur in ecclesiis ubi est consuetudo cantandi hanc missam
« et pro illa habendi distributiones, atque ita cum suppositione
« quod in ecclesia extet obligatio missæ conventualis. Sicuti
« etiam non obstat quod S. rituum Congregatio declaraverit non
« debere omitti missam conventualem ut cantetur missa aliqua

Digitized by Google

« votiva, sublatis etiam contrariis consuetudinibus : quia id lo-
« cum habet supposita obligatione cantandi missam conven-
« tualem. In hoc autem casu non existit hæc obligatio quotidiana :
« nam, ut suppono, ex statutis Ecclesiæ non legitur, et ex con-
« cilio Tridentino nulla lex habetur, et contra hanc obligationem
« (solum inductam ex capite *Cum creatura, de celebratione*
« *missarum*) præscribitur spatio quadraginta annorum. Quinimo,
« in dicto capite *Cum creatura,* Pontifex non imponit hanc
« obligationem, sed supponit illam existere, et idcirco expresse
« mandat, quod absque ulla negligentia et torpore celebretur con-
« ventualiter missa de tempore, sive de festo, sive de feria, etiamsi
« celebretur aliquod anniversarium defunctorum ; et proinde
« non vult quod loco missæ de tempore surrogetur missa anni-
« versarii... Neque difficultatem ingerit dispositio rubricarum
« missalis Romani, quæ in capite 15 ordinant quibus horis can-
« tanda sit missa conventualis : quia rubricæ non præcipiunt
« cantari missam conventualem, sed supposita obligatione
« disponunt dumtaxat circa horam. » (Pignatelli, consult. 91, tom. IV.)

Hæc Pignatellus : at, tanti viri pace dixerim, non recta videtur ipsius ratiocinatio, nec admittenda conclusio. Casus enim est de paucitate canonicorum, non vero de insufficienti numero inservientium ad missam conventualem celebrandam. Canonici, licet pauci, habere possunt et communiter habent in cathedralibus inservientium sufficientem numerum ; quibus ad sacra famulantibus, celebrari potest et de facto celebratur solemnis missa. Difficultas autem proposita hæc est : utrum in hoc casu, licet possibilis sit singulis diebus conventualis missa, ab ea tamen eximantur canonici qui pauci sunt numero. Porro lex de quotidiana conventuali missa omnino certa est ; cumque aliunde possibilis sit legis observatio, concludendum est canonicos etiam paucos ea obligatione vinciri. Et ita decisum a Sacra Congregatione rituum habetur apud Gardellini, n. 3050, ubi eos per missam votivam minime satisfacere declaratur.

Quod si magis expediat ut canonici in aliqua diœcesi tanto onere non graventur, facile obtinebitur a Sacra Congregatione rituum vel concilii indultum, quo diebus festivis tantum conventualem missam celebrare permittantur. At necessarium indul-

Digitized by Google

tum ; nec a dicta lege capitula sese eximere aut ab Episcopo eximi possunt.

IX. *Quid censendum de Episcopi decreto, quo tollens consuetudinem non cantandi missam conventualem nisi diebus festis, sub censuris et aliis pœnis statueret dictam missam a capitulo quotidie cantari?* — « Respondeo, quoad missam teneri quo-
« libet die ; quod vero ad pœnas, esse moderandas. Et ita etiam
« censuit Sacra Congregatio concilii. (In Tusculana, 16 novem-
« bris 1652.) Adest enim in ecclesiis cathedralibus et collegiatis
« obligatio cantandi quotidie missam, ut alibi diximus. Verum
« cum hæc obligatio habeat originem ex institutione humana,
« humano atque adeo morali modo est accipienda, et propterea
« poterit cessare ex rationabili causa, sicut cessant aliæ hujus-
« modi obligationes... Unde si occurreret consecratio Episcopi,
« adventus principis aut Episcopi, aut quid simile, quando missa
« conventualis non posset commode anticipari, omitti posset sine
« peccato. Immo contingere potest quod moraliter fiat impossi-
« bilis, præsertim ubi numerus inservientium non est magnus.
« Fieri enim potest quod aliqui infirmentur, alii detineantur
« negotiis necessariis, atque adeo non adsit numerus sufficiens
« pro hujusmodi functione. » (Pignatelli, consult. 391, t. I.)

X. *Quid de hodiernis capitulis Galliæ, quæ missam conventualem quotidie non cantant, vel non omnes missas conventuales pro eodem die a rubrica præscriptas?*

1. Si ita frequentetur ex obtenta a Sancta Sede facultate, nulla difficultas, ut patet.

2. Si ex statuto Sanctæ Sedis approbato, nulla pariter difficultas. Nam Sancta Sedes tale statutum approbando, hoc ipso vel declaravit obligationem juris communis pro tali capitulo non urgere, vel ab eadem obligatione dispensavit.

3. Si parvus sit numerus canonicorum et ministrorum, et ideo non nisi cum difficultate satis possit fieri prædictæ juris communis obligationi, recurrendum ad Sacram Congregationem pro indulto, quod non denegabitur. Attento autem generali capitulorum Galliæ statu, pauci dicendi sunt canonici ; iique præterea ab Episcopis, ita poscente diœceseon necessitate, ad varia munia distracti ; nec adsunt beneficiati secundi ordinis qui in ferendo onere supplere possint. Reliquus autem clerus et regularium

Digitized by Google

familiæ non ea sunt copia, qua possit Episcopus, relictis suis canonicis, de tradenda fidelibus doctrina sacra, de confutandis per prædicationem et scripta (prout hodie multis in locis requiritur), erroribus, in integrum providere. Quare rationabilis causa onera chori imminuendi, in ecclesiis Galliæ quasi universalis et perpetua, generaliter loquendo, censeri potest.

4. Videtur etiam ita statui legitime potuisse a primis post concordatum Episcopis Galliæ. Ipsis enim a Cardinali Caprara facta est subdelegatio ad effectum erigendi et ordinandi capitula. Et licet ea potestas eis tradita sit sub conditione quod juxta canones et conciliorum præcepta et formam hucusque pro capitulis receptam ea uterentur, simul tamen ipsis concedebatur ut possent, ubi necesse foret, dispositiones juris communis præsentibus circumstantiis accommodare. Si ergo existimarunt id postulare circumstantias ut onus quotidianæ missæ conventualis minueretur, potuerunt ita legitime statuere. Hodierni autem qui successerunt Episcopi, ad quos non se extendit subdelegatio prædicta, hujusmodi oneris imminutiones quoad missam conventualem decernere non valent; sed videtur hoc a Sancta Sede impetrandum.

XI. *An canonici teneantur inservire pro diacono et subdiacono dignitatibus et earum coadjutoribus? Et an vice versâ?*— « Canonici tenentur inservire pro diacono et subdiacono digni- « tatibus ac eorum coadjutoribus solemniter celebrantibus, non « obstante contraria consuetudine : sic sæpius declaravit Sacra « rituum Congregatio (nempe in Clusina 20 aprilis 1641 — in « Brundusina 7 decembris 1655 — Tolentinacensi 7 aprilis 1696 « — Neapolitana 25 januarii 1698), et tenuit quoque Sacra « Congregatio concilii (in Casalensi 28 januarii 1690).

« Et non tantum canonici juniores, sed etiam anciani et anti- « quiores, ut eadem sacra Congregatio rituum declaravit (in « Nucerina Paganorum 25 januarii 1698).

« Dignitates vero nunquam debent canonicis celebrantibus « inservire, ut fuit a dicta Congregatione rituum responsum « (in Gerundensi 3 octobris 1699). » Monacelli, tit. 2, formula 4, adnot. 6.)

Canonici dignitatibus et canonicis inserviant; mansionarii vero mansionariis. Ita Sacra Congregatio rituum die 24 no-

Digitized by Google

vembris 1591 (n. 18 appendicis septimi tomi collectionis Gardellianæ).

« Etsi usque ab anno 1629 pridie kalendas aprilis Sacra hæc « rituum Congregatio sancivit canonicos cathedralis Cotronensis « ecclesiæ teneri ad inserviendum pro diacono et subdiacono, « non solum dignitati solemniter celebranti, sed etiam cui- « cumque alio canonico pariter celebranti; in præsentiarum « memoratæ ecclesiæ capitulum et canonici iteratis humillimis « precibus sacram ipsam rituum Congregationem rogarunt « enixe, ut assignare dignaretur solemniores dies quibus cele- « brante dignitate, canonici hujusmodi servitium præstare « tenerentur, ac insimul declarare, num in singulis per annum « dominicis, celebrante dignitate vel canonico, in diaconi et « subdiaconi officio canonici inservire debeant? — Sacra Con- « gregatio... censuit: teneri omnibus diebus quando solem- « niter celebrat dignitas vel canonicus, et ad formam constitu- « tionum capitularium. » 17 februarii 1847 (apud Gardellini, t. VIII, n. 4916).

XII. Sexta et nona recitanda est in choro post missam conventualem, neque satisfit obligationi si recitentur tempore missæ conventualis. Ita decisum a Sacra Congregatione rituum vide apud Gardellini (t. VIII, n. 4550).

CAPUT IV

OBLIGATIO RESIDENDI, ET DE VACATIONIBUS A JURE CONCESSIS

Inter præcipuas et maxime urgentes canonicorum obligationes procul dubio commemorandum residendi præceptum; circa quod non paucæ utiliter moveri solent quæstiones, in sequentibus paragraphis nunc expendendæ.

§ 1

QUÆNAM SIT RESIDENDI LEX

I. Non conceditur absentia ultra tres menses quolibet anno. *Præterea, obtinentibus in eisdem cathedralibus aut colle-*

Digitized by Google

giatis dignitates, canonicatus, præbendas aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses ab iisdem ecclesiis quolibet anno abesse (Trid. sess. 24, c. 12 *De ref.*). Nec admittenda opinio nonnullorum qui putaverunt posse Episcopum ampliare prædictum trium mensium tempus (Ceccoperius, l. 2, tit. 12, n. 3).

II. Tres absentiæ menses non conceduntur nisi sub ea conditione quod constitutio alicui ecclesiæ propria tempus illud vacationis non restringat. Si enim adsit hujusmodi constitutio servitium a capitularibus exigens ultra 9 menses, hanc intactam vult concilium Tridentinum ; addit enim : *salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus quæ longius servitii tempus requirerent*. Unde responsum est a Sacra Congregatione concilii anno 1573 : *Trium mensium absentiam non concedi... si constitutionibus ecclesiæ servitium totius anni absque ulla intermissione requiritur* (apud Benedictum XIV, *Institutiones eccl.*, inst. 107, § 6). Quod etiam confirmant aliæ ejusdem Congregationis declarationes ab eodem auctore relatæ. Unde non admittendum quod tradit Monacelli, non gaudere vacationibus canonicos, si consuetudo illas non tribuat ; si vero ex *statuto* denegentur, posse vacantiam indulgeri (tit. 2, formula 4, adnot. 8). Concilium enim Tridentinum expresse salvas declarat *constitutiones* ecclesiarum quæ non concedunt tres vacationum menses.

III. Canonici tribus mensibus in quibus absunt non lucrantur distributiones ; sed lucrantur fructus præbendæ. (Ita cum communi Benedictus XIV, *Institutiones eccl.*, inst. 107, § 6.)

IV. An absentes relative ad supradictum Tridentini decretum censeri debeant qui a choro quidem absunt, non vero a civitate aut loco in quo posita est cathedralis aut collegiata ? — Certum est illos pro absentibus esse computandos, cum dicat Tridentinum, *ab iisdem ecclesiis abesse* ultra tres menses non liceat. Præterea Sacra Congregatio concilii anno 1573, *censuit puniendos esse eos qui absunt a servitio ecclesiæ, licet in civitate locove ubi est ecclesia sint præsentes* (relata a Benedicto XIV, inst., 107, § 6). Item cum petiisset Mutinensis Episcopus utrum pro absentibus habendi essent, *qui non absunt ab ecclesia vel a civitate, sed ab ecclesiæ servitio, tot vicibus ut trium men-*

Digitized by Google

sium præscripta quantitas annuo spatio superetur, eadem Sacra Congregatio respondit *istos haberi pro absentibus*. (Apud Benedictum XIV, loco citato.)

V. Qui nunquam est absens per tres menses *continuos*, sed tamen per absentias suas superat spatium trium mensium a Tridentino permissorum, an habendus sit tanquam qui ultra licitum tempus abfuerit, atque pœnis Tridentini decreti subjacere debeat? — Certum est talem abfuisse ultra tempus a Tridentino concessum et subjacere pœnis. Casum proposuerat Mutinensis Episcopus, postulans an contra decretum Tridentinum agerent *qui absunt ultra tres menses, sed intermissis diebus, ut tamen toto anni spatio simul collecti et in unum numerum redacti, trimestre spatium superent; vel potius trium mensium continuam absentiam adesse oporteat: quo dato, verendum ne cuivis pateat ad suam pro libito et impune deserendam et fraudandam ecclesiam: nam singulo trimestri spatio si per duos vel tres dies quis inserviat, nunquam labi patietur tres menses continuos, et levi negotio illudet ecclesiæ, et a concilii pœnis se eximet.* Sacra Congregatio respondit: *non oportere* (absentiam esse per tres menses continuam), *sed satis esse quod dies absentiæ, quamquam interpolati, superent trimestre.* (Apud Benedictum XIV, loco citato.)

VI. In computandis tribus absentiæ mensibus non sunt numerandæ *horæ* sed tantum *dies* — die 17 junii, anno 1594 Sacra Congregatio concilii declaravit: *ad constituendum servitium novem mensium non esse colligendas punctaturas, quasi ii qui novem partes punctaturarum ex duodecim quæ ex servitio totius anni conflantur deserviendo tulerint, servitio novem mensium debito satisfecerint; sed ipsos dies residentiæ et servitii, sive continui fuerint sive interpolati, numerandos esse, ut numerum compleant dictorum novem mensium.* (L. 8 Decretorum, p. 92 a tergo — relata a Benedicto XIV, loco citato.)

VII. An et quatenus requiratur licentia Episcopi ad absentiam trium mensium a Tridentino concessam? — *An dignitates, canonici, portionarii, cantores aut alii officiales possint abesse a servitio ecclesiæ sine licentia Episcopi? S. Congregatio censuit non requiri licentiam Episcopi quando dignitates, canonici*

Digitized by Google

aut portionarii abesse volunt tempore ipsis a concilio permisso: non tamen omnes simul abesse posse, ne ecclesia suo debito servitio destituatur. Quota autem pars simul possit abesse, relinqui arbitrio Episcopi et capituli (anno 1581, in causa Abulensi, l. 9 Decretorum, p. 74; — apud Benedictum XIV, loco citato). Memorat idem Benedictus XIV duas alias declarationes pariter affirmantes non requiri licentiam Episcopi.

Illarum tamen declarationum generalis sensus restrictus postea fuit nova responsione quam sic refert (loco citato) Benedictus XIV: *Sacra Congregatio, tametsi declaraverit nullam requiri licentiam ad hoc ut canonici abesse possint in mensibus a concilio permissis, censuit tamen hanc declarationem non vindicare sibi locum quoties canonici abesse volunt extra diœcesim; ac proinde hoc casu Episcopi licentiam esse obtinendam. Cœterum Episcopum non debere illam absque rationabili causa negare.* Idem postea fuit aliis decisionibus confirmatum; et etiam servandum esse edictum cujusdam Episcopi qui statuerat ne absque sua facultate canonici diœcesim relinquerent, respondit Sacra Congregatio (in Jaderensi, 9 maii 1626; — apud Benedictum XIV, loco citato). Ex quibus sic concludendum videtur: 1° Si quis canonicus abire velit tempore sibi a jure concesso, sed non extra diœcesim, non indiget licentia sui Episcopi. 2° Licentiam vero obtinere debet si pergere velit extra diœcesim. 3° Facultatem hanc nequit recusare Episcopus nisi ex rationabili causa; ex quo sequitur canonicum ex titulo injustæ recusationis habere recursum ad superiorem Episcopi.

VIII. Quot simul abesse possint canonici cathedrales? — Vidimus in modo relata decisione, Sacram Congregationem declarasse, id *relinqui arbitrio Episcopi et capituli.* Statutum ergo de hoc decernens debet assensu Episcopi simul et capituli firmari.

Quid vero generatim de hac re statui conveniat, innuit sequens declaratio, quæ licet pro ecclesiis collegiatis facta, normam etiam pro cathedralibus exhibet: *Sacra Congregatio... censuit Eminentissimum Episcopum facere debere decretum, in collegiatis ecclesiis suæ diœcesis quæ vigore concilii Tridentini*

Digitized by Google

gaudent vacatione trium mensium, canonicos abesse non posse ultra tertiam partem uno et eodem tempore, et hujusmodi vacationem contingere non debere tempore Quadragesimæ et Adventus, neque in amplioribus anni festivitatibus (12 julii 1631; — apud Benedictum XIV, loco citato). Ceccoperius tamen restringit ad quartam partem, et asserit ita decisum a Sacra Congregatione concilii :

« Advertendum non licere memorato trium mensium spatio omnibus canonicis eodem tempore abesse a choro, sed tantum quartæ parti, arbitrio Episcopi et capituli... Declaravit Sacra Congregatio concilii (ad sess. 24, c. 12, *De ref.*). Poteritque Episcopus ad tuendam festorum et ecclesiæ dignitatem mandare ne hujusmodi vacationes assumant in solemnitatibus. » (Ceccoperius, apud Scarfantonium, t. I, p. 169, edit. Lucæ, 1723.)

IX. Quæri ulterius posset utrum requiratur licentia capituli? — Ex nullo jure probari potest illam requiri. Nec ullum auctorem vidimus id asserentem. E contra autem sic habet Fagnanus : « Inter beneficiatos sæculares et regulares hæc est differentia, quod illi tempore permisso possunt abesse, etiam sine licentia, et nihilominus fructus percipere, ut censuit Sacra Congregatio; regulares autem non nisi cum licentia superioris. » (Fagnan. in 1 part., 3 decret., cap. *Ad audientiam*, n. 27.) « Aut agitur de obtinentibus dignitates, canonicatus, præbendas, vel portiones in cathedralibus et collegiatis ecclesiis : et hoc primo casu jam respondit Sacra Congregatio, ut prædicti abesse possint tribus mensibus a concilio permissis, nec Episcopi, nec capituli licentiam, nec causam requiri. » (Fagnan. in 1 part., 3 decret., cap. *Relatum*, n. 15 et 16.)

§ 2

DE PŒNIS CONTRA CANONICOS NON RESIDENTES, ET QUOMODO IN EIS INFLIGENDIS PROCEDENDUM

Non erit incongruum hic adnotare pœnas quas incurrunt obligati ad residentiam, tam ex canonicis quam ex beneficiatis, propter contumaciam in non residendo, ac de modo contra dictos

Digitized by Google

contumaces procedendi ad privationem canonicatuum seu præbendarum.

Cautum est a sacro concilio Tridentino (sess. 24, c. 12) ut non residentes primo anno priventur dimidia parte fructuum quos ratione præbendæ ac residentiæ facerent suos : secundo vero anno privandi sunt omnibus fructibus ; et crescente eorum contumacia, ad privationem canonicatus est procedendum. Necesse tamen est quod Episcopus volens procedere ad privationem ex causa non residentiæ observet pœnarum gradus a dicto capitulo conciliari præscriptos : præcedat citatio personalis, quodque canonicus sit contumax in non residendo per triennium (Barbosa, cap. 12, n. 70; — Benedictus XIV, institutio 107, § 6; — Rota, coram Seraph., decis. 1346, n. 5). Aliter enim facta privatio est nulla, ut etiam resolvit Sacra Congregatio concilii (in Cathacensi 14 novembris 1671). Quod si ignoraretur quo loci canonicus sive beneficiatus degeret, vel etiam si non haberetur tutus accessus pro exequenda personali citatione, tunc satis esset citatio per edictum affixum ad valvas ecclesiæ ubi est canonicatus. Hujusmodi vero citatio debet continere assignationem competentis termini ad redeundum, arbitrio judicis juxta distantiam loci, qualitates personæ et temporis, cum expressa comminatione pœnæ privationis tituli canonicatus, cum termino peremptorio. Citatione executa semel *personaliter*, elapso termino prædicto, et canonico non redeunte, vel justam causam non adducente, absque alia citatione privandus est titulo canonicatus juxta formam capitis *Ex parte*, *de Clericis non residentibus*. Ubi vero canonicus esset absens, et vel ratione non tuti accessus, seu quia nesciretur ubi moraretur, non posset fieri citatio *personalis*, tunc juxta formam capitis *Ex tuæ*, *de Clericis non residentibus* deberet citari, videlicet tribus distinctis edictis, non autem uno tantum, nimirum dividendo terminum in tres partes.

Quod si per statuta capituli, sive synodalia, decretum fuisset necessariam non fore prædictam citationis solemnitatem, sed absentes ipso facto privationem incurrere, non esset tunc necessaria ista citatio, sed, ea omissa, posset procedi ad privationem. Ad effectum evitandi incursum dictarum pœnarum, et etiam privationis tituli canonicatus, non sufficit sola præsentia in civitate et loco ubi est ecclesia. Cum sacrum concilium requirat residen-

Digitized by Google

tiam cum effectu, scilicet ecclesiæ et divinis officiis inserviendo, cum hoc sit vere residere; ut decisum a Sacra Congregatione concilii refert Fagnanus (in c. *Licet, De præbendis*, n. 41).

Non est omittendum quod quoties ageretur de privando aliquo canonico, ob non residentiam, a suo canonicatu, et canonicatus esset simultaneæ collationis Episcopi et capituli, tunc actus privationis spectaret simul ad utrumque, sicuti spectat et provisio.

Prolata vero sententia privationis ob non residentiam, cum præcedenti observatione præmissorum, ab ea non datur appellatio suspensiva : secus vero quando non esset servatus ordo præscriptus in allegatis sacris canonibus et concilio Tridentino.

Hæc fere ad verbum transcripsimus ex Scarfantonio (t. I, p. 183, editio Lucensis, 1723). Modum procedendi contra non residentes canonicos tradit etiam Benedictus XIV (Institutio 107, § 6). Qui insuper probat (ex declaratione Sacræ Congregationis in Parentina 18 novemb. 1673), Episcopum, si incœpto processu juxta formam Tridentini, canonicum absentem suspendat, non posse ad ulteriorem pœnam privationis devenire.

Quæri hic potest utrum illæ juris dispositiones applicari possint, attento præsenti statu ecclesiarum in Gallia. Cum nempe quilibet canonicus stipendium suum immediate recipiat a Gubernio, difficilis videtur executio sententiæ canonicæ qua primo anno privaretur dimidia parte fructuum, secundo anno omnibus fructibus, et qua ulterius privaretur ipso canonicatu. Non tamen videtur obstare hæc difficultas. Etsi enim de facto sequestrari non possit ab Episcopo aut dimidia pars stipendii annui, aut integrum illud annuum stipendium, id tamen efficaciter operabitur sententia episcopalis, ut jam tale stipendium ad dictum canonicum non pertineat, et in conscientia teneatur illud restituere. Quod cum primo et secundo anno factum fuerit, nil impedit quominus sententia privationis juxta memoratam formam fulminetur. Quoad Gubernium autem, satis erit, sicut in aliis depositionum casibus, si ipsi ex testimonio Episcopi constet canonicum fuisse legitime depositum et canonicatum vacare.

Digitized by Google

contumaces procedendi ad privationem canonicatuum seu præbendarum.

Cautum est a sacro concilio Tridentino (sess. 24, c. 12) ut non residentes primo anno priventur dimidia parte fructuum quos ratione præbendæ ac residentiæ facerent suos : secundo vero anno privandi sunt omnibus fructibus ; et crescente eorum contumacia, ad privationem canonicatus est procedendum. Necesse tamen est quod Episcopus volens procedere ad privationem ex causa non residentiæ observet pœnarum gradus a dicto capitulo conciliari præscriptos : præcedat citatio personalis, quodque canonicus sit contumax in non residendo per triennium (Barbosa, cap. 12, n. 70; — Benedictus XIV, institutio 107, § 6; — Rota, coram Seraph., decis. 1346, n. 5). Aliter enim facta privatio est nulla, ut etiam resolvit Sacra Congregatio concilii (in Cathacensi 14 novembris 1671). Quod si ignoraretur quo loci canonicus sive beneficiatus degeret, vel etiam si non haberetur tutus accessus pro exequenda personali citatione, tunc satis esset citatio per edictum affixum ad valvas ecclesiæ ubi est canonicatus. Hujusmodi vero citatio debet continere assignationem competentis termini ad redeundum, arbitrio judicis juxta distantiam loci, qualitates personæ et temporis, cum expressa comminatione pœnæ privationis tituli canonicatus, cum termino peremptorio. Citatione executa semel *personaliter*, elapso termino prædicto, et canonico non redeunte, vel justam causam non adducente, absque alia citatione privandus est titulo canonicatus juxta formam capitis *Ex parte, de Clericis non residentibus.* Ubi vero canonicus esset absens, et vel ratione non tuti accessus, seu quia nesciretur ubi moraretur, non posset fieri citatio *personalis*, tunc juxta formam capitis *Ex tuæ, de Clericis non residentibus* deberet citari, videlicet tribus distinctis edictis, non autem uno tantum, nimirum dividendo terminum in tres partes.

Quod si per statuta capituli, sive synodalia, decretum fuisset necessariam non fore prædictam citationis solemnitatem, sed absentes ipso facto privationem incurrere, non esset tunc necessaria ista citatio, sed, ea omissa, posset procedi ad privationem. Ad effectum evitandi incursum dictarum pœnarum, et etiam privationis tituli canonicatus, non sufficit sola præsentia in civitate et loco ubi est ecclesia. Cum sacrum concilium requirat residen-

Digitized by Google

tiam cum effectu, scilicet ecclesiæ et divinis officiis inserviendo, cum hoc sit vere residere; ut decisum a Sacra Congregatione concilii refert Fagnanus (in c. *Licet, De præbendis*, n. 41).

Non est omittendum quod quoties ageretur de privando aliquo canonico, ob non residentiam, a suo canonicatu, et canonicatus esset simultaneæ collationis Episcopi et capituli, tunc actus privationis spectaret simul ad utrumque, sicuti spectat et provisio.

Prolata vero sententia privationis ob non residentiam, cum præcedenti observatione præmissorum, ab ea non datur appellatio suspensiva : secus vero quando non esset servatus ordo præscriptus in allegatis sacris canonibus et concilio Tridentino.

Hæc fere ad verbum transcripsimus ex Scarfantonio (t. I, p. 183, editio Lucensis, 1723). Modum procedendi contra non residentes canonicos tradit etiam Benedictus XIV (Institutio 107, § 6). Qui insuper probat (ex declaratione Sacræ Congregationis in Parentina 18 novemb. 1673), Episcopum, si incœpto processu juxta formam Tridentini, canonicum absentem suspendat, non posse ad ulteriorem pœnam privationis devenire.

Quæri hic potest utrum illæ juris dispositiones applicari possint, attento præsenti statu ecclesiarum in Gallia. Cum nempe quilibet canonicus stipendium suum immediate recipiat a Gubernio, difficilis videtur executio sententiæ canonicæ qua primo anno privaretur dimidia parte fructuum, secundo anno omnibus fructibus, et qua ulterius privaretur ipso canonicatu. Non tamen videtur obstare hæc difficultas. Etsi enim de facto sequestrari non possit ab Episcopo aut dimidia pars stipendii annui, aut integrum illud annuum stipendium, id tamen efficaciter operabitur sententia episcopalis, ut jam tale stipendium ad dictum canonicum non pertineat, et in conscientia teneatur illud restituere. Quod cum primo et secundo anno factum fuerit, nil impedit quominus sententia privationis juxta memoratam formam fulminetur. Quoad Gubernium autem, satis erit, sicut in aliis depositionum casibus, si ipsi ex testimonio Episcopi constet canonicum fuisse legitime depositum et canonicatum vacare.

Digitized by Google

CAPUT V

OBLIGATIO EMITTENDI PROFESSIONEM FIDEI

§ 1

EXPONITUR JUS COMMUNE

Obligationem illam concilium Tridentinum decrevit his terminis : « *Provisi etiam de beneficiis quibuscumque, curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ possessionis, ac minus intra duos menses, in manibus ipsius Episcopi vel, eo impedito, coram generali ejus vicario seu officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, et in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant ac jurent. Provisi autem de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, non solum coram Episcopo seu ejus officiali, sed etiam in capitulo idem facere teneantur : alioquin prædicti omnes provisi fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.* (Sess. 24, c. 12.)

1. Quanam formula emittenda sit professio fidei ? — Nullam formulam concinnavit aut indicavit Tridentina synodus. Et ideo Summus Pontifex Pius IV in sua bulla *Injunctum nobis* observandam ab omnibus in posterum formulam edidit, atque districte injunxit his verbis : *Cum juxta concilii Tridentini dispositionem, omnes quos deinceps cathedralibus ecclesiis præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus, et aliis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis curam animarum habentibus provideri continget, publicam orthodoxæ fidei professionem facere, seque in Romanæ Ecclesiæ obedientia permansuros spondere et jurare teneantur ; nos volentes per quoscumque... idem servari, et ad hoc ut unius ejusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque et certa illius forma cunctis innotescat..., formam ipsam præsentibus annotatam publicari, et ubique gentium per eos, ad quos ex decretis ipsius concilii et alios prædictos spectat, accipi et observari, ac sub pœnis per concilium ipsum in contravenientes latis, juxta hanc*

Digitized by Google

et non aliam formam, professionem prædictam solemniter fieri, auctoritate Apostolica tenore præsentium districte præcipiendo mandamus, hujusmodi sub tenore : Ego N. firma fide, etc.

2. Formula Pii IV non minus obligatoria est quam ipsummet decretum Tridentinum. Unde qui professionem fidei emitteret, sed alia formula, non magis præcepto satisfaceret quam si nullam emitteret fidei professionem. Constitutionem enim Pii IV omnes orbis catholici ecclesiæ recipere debuerunt, et de facto receperunt : ita ut nullum sit dubium quin faciat jus constitutio illa.

3. Dignitates et canonici cathedralium tenentur illam professionem fidei emittere non solum coram Episcopo vel ejus officiali, sed etiam in capitulo. Idque ad minimum intra duos menses. Patet ex textu decreti Tridentini.

4. Omittens dictam professionem fidei, amittit fructus præbendæ, cum dicat Tridentinum, *fructus non faciant suos;* et ita tenent unanimiter canonistæ.

5. Nec potest fructus præbendæ (quos propter omissam dictam professionem non fecit suos) retinere donec declaretur iis privatus per sententiam judicis; sed ipso facto omissionis, fructibus illis privatus existit. (Ceccoperius, l. IV, tit. 10, n. 4, et canonistæ communiter.)

6. Fructus autem præbendæ sic amissi, accrescunt capitulo. (Ceccoperius, ibid., n. 3.)

7. Qui omittit professionem fidei, privatur tantum fructibus præbendæ, non vero distributionibus et aliis juribus sibi alioquin competentibus, verbi gratia, voce in capitulo, etc. ; sensum enim istorum verborum, *fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur,* ita declaravit Sacra Congregatio concilii, ut testatur Gallemart (ad cap. 12 sessionis 24), et Ceccoperius (loco citato, n. 5). Vide Pignatellum (consult. 77, tom. VI).

8. Obligatio ad professionem fidei attingit tantum dignitates et canonicos cathedralium, non vero collegiatarum etiam insignium. Ita decisum a Sacra Congregatione concilii, teste Ceccoperio (loco citato, n. 10). Nisi tamen dicti dignitates et canonici collegiatarum annexam haberent curam animarum; quia tunc ex hoc titulo, tenerentur ad profitendum coram Episcopo tantum. Ita doctores communiter.

Digitized by Google

9. Tenentur autem ad dictam professionem fidei dignitates et canonici cathedralium etiam exempti; et quando novum recipiunt canonicatum aut dignitatem, illam professionem debent iterare. (Ceccoperius, loco citato, n. 6.)

10. Quando elapsi sunt duo menses quin professionem emiserint, adhuc perseverat et urget obligatio profitendi. (Ceccoperius, ibid., n. 7.)

11. « Hujusmodi professio fidei potest fieri per procuratorem « habentem ad id speciale mandatum, quidquid alii scribant. » (Ita Ceccoperius, l. IV, tit. 10, n. 9.)

12. Præceptum Tridentinum non attingit coadjutores canonicorum, qui tunc tantum profiteri tenentur quando mortuis coadjutis in eorum locum subeunt. Item non attingit beneficiatos nec canonicos honorarios.

§ 2

AN IN STATU PRÆSENTI ECCLESIARUM GALLIÆ URGEAT PRÆDICTA OBLIGATIO

Per bullam concordati anni 1801 extinctæ sunt veteres omnes ecclesiæ Galliæ; ac proinde hoc ipso extinctum est quodlibet jus particulare ipsis inhærens; ita ut novæ quæ nunc extant ecclesiæ sub jure communi seu Tridentino ortæ sint. Unde jam necesse non est probare olim ubique in Gallia viguisse prædictam emittendæ professionis fidei obligationem; certum est enim præceptum illud, statim post bullam *Qui Christi Domini*, obligatorium fuisse. Consuetudo autem nullam professionem fidei exigendi in recipiendis cathedralium dignitatibus et canonicis, si qua forsan alicubi ab anno 1801 irrepserit, in diœcesibus Galliæ, non videtur valere, tum quia potest dici irrationabilis, tum quia Romanorum tribunalium praxis constanter urget Tridentinorum decretorum observantiam, et sic impedit ne merito supponi valeat Papæ consensus in talem consuetudinem.

Aliunde autem subventio annua, quam a Gubernio recipiunt canonici, rationem præbendæ canonicalis habere alibi probavimus. Quibus positis, ita concludendum videtur : *Primo*, urget hodiedum in Gallia Tridentinum præceptum de emittenda a canonicis et dignitatibus cathedralibus professione fidei. *Secundo*, qui professionem fidei omiserunt, suos non fecerunt

Digitized by Google

fructus præbendæ, id est, duas tertias partes pensionis : nam tertiam, utpote de jure quotidianis distributionibus deputatam, fecerunt suam. *Tertio*, facile per recursum ad Sanctam Sedem condonabitur quod bona fide in hac re perperam actum est, ita ut non teneantur ad restitutionem. « Solet tamen, ait Scarfan-« tonius (tom. II, pag. 183, n. 20, edit. Lucæ, 1723), a Sacra « Congregatione concilii condonari restitutio fructuum per-« ceptorum, quando omissio professionis fidei bona fide secuta « fuit; ut (in Bisignanensi 17 augusti 1630) : *Sacra Congrega-« tio, attenta oratoris bona fide, illi condonavit omnes fructus « hactenus perceptos, ita tamen, ut aliquid eleemosynæ arbi-« trio sui confessarii pauperibus Christi elargiatur, et eamdem « fidei professionem coram suo Ordinario, ad sacri concilii « Tridentini præscriptum, iterum emittat.* »

CAPUT VI

OBLIGATIO ASSISTENDI CAPITULI DELIBERATIONIBUS, ET VARIA MUNIA ACCEPTANDI

« Omnes et singuli, quibus non deest vox in capitulo, sunt « obstricti ad ordinaria et extraordinaria capitula accedere. « Nam capitula celebrare est necessarium ad rectum ecclesiæ « gubernium; ita omnes : et obligatio quæ residet apud totum « capitulum, inest etiam singulis membris. Aliorsum, si fas « erit uni canonico abesse, licebit et alteri, et sic omnibus. Nec « facit dicere, quod uno non comparente cæteri suppleant; « etenim quantum in se est, non efficitur capitulum, et ipse « non respondet officio suo. Neque a culpa excusatur non con-« veniens ut evitet altercationes, cognoscens se biliosum esse « et facile in excandescentiam devenire : præsertim prima di-« gnitas et caput collegiatæ, cujus præsentia est magis necessaria « in capitulo. Alias, absque justa causa a capitulo approbanda, « non interveniens mulctatur.

« Insuper est adnotandum quod licet liberum sit quibuscum-« que capitularibus dies absentiæ a sacro concilio Tridentino « irrogatos desumere, etiam diebus quibus habetur capitulum, ut « consentiunt omnes; nihilominus id limitandum est dum ex tali

Digitized by Google

« absentia non sequatur grave damnum capituli ; quod non curans « dicitur ingratus. Excusandus videtur *in foro conscientiæ* cano- « nicus non interveniens pro illa vice capitulo, prævidens præ- « sentiam suam nil profuturam, eo quia proceditur ex abrupto, « sine modo, lege et ratione, ob arrogantiam et ignorantiam « aliquorum majorem partem capituli constituentium ; dummodo « evidentissimum sit suam præsentiam nil adjumenti allaturam, « sed solum sibi odium excitaturam, et admoneat Episcopum ut « his malis provideat, prout monitus tenetur. Considerate dixi, in « foro conscientiæ : nam in foro fori, canonici residentes, insi- « nuatis impedimentis non detenti, sunt obnoxii comparere et « suffragia reddere. Limita, nisi absint scientes capitulum non « fuisse legitime congregatum et consequenter ejus acta fore in- « valida et nulla, quo eventu in utroque foro excusantur. » Ita Ceccoperius libro IV, tit. 4. Qui tamen auctor nobis videtur valde rigide obligationem capitulo interessendi exposuisse. Videtur enim obligatio illa assimilari posse obligationi quoad chorum. Porro vidimus sanctum Liguorium non habere tanquam reum culpæ gravis canonicum illum qui absque justa causa ter aut quater choro abest. Unde etiam qui sciret suam absentiam a capitulo nullum nocumentum allaturam, et haberet aliunde rationabilem aliquam causam abessendi, ne venialiter quidem peccaret, nisi id ei frequenter accideret. Quod tamen restringendum videtur ad capitula ordinaria ; nam ad extraordinaria accedendi major merito censetur obligatio.

Obligatio assistendi infert obligationem permanendi donec absolutum sit capitulum. « Qui capitulo nondum terminato « absque debita licentia recedunt, eadem pœna puniuntur qua « per statutum afficiuntur ii qui non accedunt ad capitulum. « Quia non venisse dicitur qui venit et illicentiatus discedit. « Tum quia iste remanet contumax. Et magis attenditur contu- « macia sic recedentis quam non comparentis. Non dicitur « autem recessisse qui justa impellente causa ex capitulo egre- « ditur confestim reversurus, petita prius venia : qua injuste, « prout in aliis casibus, denegata, videtur ipso jure concessa. » (Ceccoperius, l. IV, tit. 4.) In his tamen attendenda præcipue consuetudo et statuta localia.

Obligari canonicos ad assistendum capitulo, ita ut possint ad

Digitized by Google

id mulcta aliisque pœnis compelli, vide decisum a S. Congregatione rituum, apud Gardellini, tomo VII, in Appendice, numero 32 ad quartum, et numero 142.

Certa etiam est obligatio capitularium acceptandi varia munia ad quæ eliguntur, prout probat Scarfantonius his verbis : « Omnes canonici tenentur et cogi possunt ad subeunda officia « et munia capitularia ad quæ fuerint electi ; nec ab acceptatione « eximi possunt etiam renuntiando voci activæ et passivæ, ut « censuit Sacra Congregatio concilii (in Nullius seu Terlibiensi « 14 januarii 1690, libro Decretorum 40, fol. 76). Ita ut nec « eximi possit ab iis acceptandis etiam vicarius capitularis, ut « eadem Sacra Congregatio respondit (in Cozzulensi 29 mar- « tii 1652, libro 19 Decretorum, folio 210) : *Sacra Congregatio « censuit, archidiaconum, qui officium vicarii capitularis « exercet, teneri officium procuratoris seu œconomi capitularis « acceptare et exercere, quando est electus, prout tenentur alii « canonici electi.* » (Scarfantonius, t. II, pag. 110, n. 44, edit. Lucæ, 1723.)

CAPUT VII

OBLIGATIO INTERESSENDI CONCIONIBUS ADVENTUS ET QUADRAGESIMÆ

Canonici cogi possunt ad interessendum concionibus sub pœna amittendi distributiones. Ita Sacra Congregatio rituum, apud Gardellini, n. 2423.

Canonici qui non sunt impediti, debent collegialiter interesse concionibus tempore Adventus et Quadragesimæ. Ita Sacra Congregatio rituum, apud Gardellini, n. 3812.

Ad dubium, « an canonici ecclesiæ cathedralis interessentes « concionibus præsertim quadragesimalibus, debeant esse induti « habitu canonicali dum sedent in propriis stallis? Sacra rituum « Congregatio censuit : *affirmative.* » (In causa Pompeii Stabiæ 31 martii 1703 ; apud Gardellini, n. 3495.)

Digitized by Google

PARS QUARTA

QUID POSSIT CAPITULUM, SEU DE IPSIUS JURIBUS ET PRÆROGATIVIS

Diversa sunt jura capituli prout plena vel vacua est episcopalis sedes. In hac parte exponentur tantum prærogativæ capituli, sede plena. Cæteras quæ ipsi superveniunt, vacante sede, in sequentem tractatus partem rejicimus.

CAPUT I

DELINEATUR ANTIQUA CAPITULORUM POTESTAS, INDE PAULATIM AD CERTOS VIGENTIS NUNC DISCIPLINÆ LIMITES REDACTA

« A primis fere adolescentis Ecclesiæ temporibus canonico-
« rum institutum cœpit. Erant enim, qui postea nuncupati fue-
« runt canonici, nonnulli ex clericali ordine presbyteri et diaconi,
« ætate, prudentia, ac sacrarum rerum peritia cæteris præstan-
« tiores, qui quoddam constituebant collegium, quod demum
« capituli nomen sortitum fuit; ac in partem sollicitudinis
« pastoralis ab Episcopo adciti et vocati, una cum ipso ecclesiæ
« cathedralis et diœcesis negotia administrabant, et clericorum
« inferioris ordinis disciplinæ ac reliqui populi præsidebant,
« causasque præsertim graves cum eodem Episcopo definiebant,
« ut ex pluribus veteribus monumentis latissime comprobat eru-
« ditissimus Thomassinus. (Vetus et nova discipl., *De beneficiis*,
« part. 1, l. III, c. 7.)

« Adeo ut Episcopi sententia, sine canonicorum suorum
« præsentia et consensu prolata irrita remaneret, ut definitum
« fuit in concilio Carthaginiensi 4, canone 23.

« Cujus simultaneæ quodammodo jurisdictionis collegii cano-
« nicorum cum Episcopo pro moderandis Ecclesiæ gubernaculis,
« extant etiam in jure nonnulla vestigia et præsertim in capite
« *Novit*, *De his quæ fiunt a Prælato sine consensu capituli*,
« et capite *Ex quanto*, eodem titulo. Licet paulatim immutata

Digitized by Google

« ecclesiastica disciplina, successivis temporibus forsan parum « conveniens pro recta et pacifica ecclesiarum administratione « visa fuerit hujusmodi simultanea jurisdictio. Et, ob id, summa « rerum gerendarum auctoritas in Episcopos translata fuit, ut « etiam nuperrime definivit sacrum concilium Tridentinum, « sessione 25, capite 6 *De reformatione;* et dixit Rota (in « *Hispalensi* 2 julii 1700, et in *Astoricensi* 2 junii 1704) : Ita « ut (præscindendo a quibusdam gravioribus negotiis, quæ « etiam nunc tenetur Episcopus cum consilio et etiam cum con- « sensu capituli expedire, non ad integrandam Episcopi perso- « nam, sed propter interesse quod capitulum habere dignoscitur « circa statum Ecclesiæ), in cæteris Episcopi, privative quoad « capitulum cathedralium, mistum et merum imperium in « subditos libere exerceant, omniaque definiant. » (Scarfantonius, *De canonicis*, t. I, p. 10, edit. Lucæ, 1723.)

Monumenta ecclesiastica expendenti, et institutionis de qua agimus per varia sæcula gressum attento oculo advertenti, id præcipue licet colligere de capitulorum potestate et eminentia : eam ab initio, id est, a temporibus Apostolicis, fuisse maximam, nec per plura sæcula defecisse; postea vero Ecclesiæ, quæ semper disciplinam pro temporum et circumstantiarum necessitate sapienter attemperat, visum esse coarctandam, quo facilius Pastoris, id est, Episcopi, actio explicaretur. Notabilis autem hujusmodi coarctatio tunc evenit quando ab archidiaconis sublata est jurisdictio ordinaria et ad vicarios generales ad nutum revocabiles translata; quod paulatim variis conciliorum decretis inductum est. Præcipue vero sacrosancta synodus Tridentina intra arctiores limites capitula conclusit; et ex illo etiam tempore in actis Summorum Pontificum et Congregationum Romanarum declarationibus adverti potest permanens eadem Ecclesiæ tendentia ut collegiorum illorum potestatem potius imminuat quam dilatet. Cujus moderaminis sapientiam experientia et facta ipsa satis demonstrant. Capitula scilicet, pro institutionum humanarum fragilitate et proclivi ad deterius natura, eo paulatim multis in locis devenerant, ut, dum capitis sui nempe Episcopi actionem juvare et complere tanquam obsequentia et utilia membra deberent, intricatis eam e contra difficultatibus irretirent. Obscurabatur interea apud non pauca hujusmodi

Digitized by Google

collegia vitæ clericalis antiquus splendor et primordialis integritas. Dum ergo parum ædificationi populorum conferrent, atque ecclesiarum regimini plus obesse quam prodesse passim viderentur, non mirum est Ecclesiam ad salutaris depressionis remedium devenisse. Quam ægra essent hæc corpora concilii Tridentini tempore, arguit pertinax oppositio qua synodi hujus publicationi præcipue in Gallia obstitere, plus de sublatis ab ista synodo quibusdam suis prærogativis, quam de generali Ecclesiæ bono sollicita. Dum scilicet publicam a Gubernio Tridentini concilii receptionem summa cura nitebantur obtinere Galliæ Episcopi, recursum ad parlamenta laica contra eamdem moliebantur capitula. Unde forsan non absque divinæ justitiæ ordinatione evenit, ut ibi multum deprimantur, ubi multum a recto tramite deflexerunt. Ergo sicut et aliæ sanctissimæ Ecclesiæ institutiones, ita et hæc abusibus fuit commaculata atque correctionis virgam debuit persentire.

Id vero notatu maxime dignum, Ecclesiam quidem pro temporum necessitate capitulorum potestatem et actionem paulatim coarctasse, nunquam vero ipsam institutionem de medio tollendam existimasse. Imo summa cura semper enixa est ut nulla erigeretur aut extaret diœcesis absque capitulo. Nec finem capitulorum præcipuum et essentialem cessavit unquam agnoscere atque sartum tectumque velle. Ita etiam ut in modo hunc finem essentialem exprimendi nihil unquam immutaverit. Consilium Episcopi et *senatus Ecclesiæ* olim vocabatur capitulum : eodem *senatus Ecclesiæ* titulo Tridentina synodus ipsum condecorat dum in prærogativis restringit. In concordato anni 1801 cum Gallia inito, erigi capitula simul cum novis ecclesiis vult Pius VII, ex eo quod *necesse sit consulere Episcoporum consilio suæque ecclesiæ administrationi*. Pius vero IX, in suo recenti cum Hispania concordato, quid sint etiam hodie capitula iisdem exprimit terminis qui in tota retro antiquitate frequentati sunt, dum dicit : *Cum cathedralia capitula Archiepiscoporum et Episcoporum senatum consiliumque constituant* (art. 15). Hinc, cum doctissimo Nardi, existimamus institutionem illam nunquam in Ecclesia cessaturam ; tum quia exordiis fulget Apostolicis, tum quia ex illa Episcopi cum capitulo in unum corpus adunatione, sponte exurgit quoddam in ecclesiarum regimine robur quæ-

Digitized by Google

damque sapientia et majestas, quæ vix, deficiente aut remoto stabili illo senatu, reperientur.

Hinc etiam autumare forsan licet, Ecclesiam quæ jamdiu capitulorum potestati coarctandæ atque deprimendæ pro temporum necessitate intenta, ea tamen ubique sollicite voluit conservata, in eorum augmentum atque defensionem, utpote quæ jam ulterius coerceri non expediat, sese conversuram. Quidquid autem eventurum sit, id profecto semper probandum quod probabit, quodque exequetur Ecclesia.

Hinc a duobus opinationibus æque recedendum existimamus, quorum patroni nobis non videntur satis integre cum Ecclesia sentire. Prima est eorum qui restrictam capitulorum priscam potestatem ingemiscunt atque lamentantur; quasi ex hac inducta immutatione Ecclesia a perfectiori in deteriorem disciplinam ceciderit. Ecclesia enim, quæ jugi Spiritus sancti instinctu in attemperando variis temporibus generali suo regimine ducitur, nec defectum nec aberrationem passa orthodoxe dici potest. Sicut *Christus heri, hodie, ipse et in sæcula*, ita et sponsa Christi, mater Ecclesia, in dogmate et generalibus disciplinis semper intemerata. Cum ergo existimaverit moderandam illam antiquam capitulorum in regimine ecclesiarum participationem atque Episcopali actioni cooperationem, quis mente sapiens caput extollere audeat, et querimoniis Spiritus Dei opera exprobrare?

Altera opinio, quæ non minus a vero tramite videtur deflectere, eorum est, qui dum hodie cernunt dejecta a prisco potestatis et eminentiæ splendore capitula, jam quasi extincta illa decantant, et hodiernam cathedralium collegiorum institutionem, in aliam ab antiqua diversam desiisse fingunt; ita ut jam in quodam vetulorum hospitio, canendis Dei laudibus addicto, totam fere capituli rationem consistere dictitent. Ecclesia enim, eo etiam tempore quo arctioribus limitibus capitula prudenter circumscripsit, et conservata ea voluit, et nedum de medio tolli, aut in aliud diversæ naturæ institutum transmutari passa sit, principalem et constitutivum eorum finem sollicitius et constanter expressit, ea *senatum Ecclesiæ* et *Episcopi consilium* perpetuo commemorans, et in hunc scopum ubique erigi et permanere decernens. Mentem ergo Ecclesiæ non satis intelligit, qui hodierna capitula nihili facienda reputat.

Digitized by Google

CAPUT II

DE JURE QUOD HABET CAPITULUM UT EPISCOPUS REQUIRAT IPSIUS CONSILIUM

§ 1

DE JURE COMMUNI TENETUR EPISCOPUS IN PLURIBUS CONSILIUM CAPITULI REQUIRERE.

1. Ita fert caput *Novit* 4, *De his quæ fiunt a Prælato,* libro III Decretalium, tit. 10. Caput illud sic inscribitur : *Prælatus sine consilio capituli instituere, vel destituere, vel alia negotia Ecclesiæ tractare non debet.* Ipsa autem decretalis, quæ est Alexandri III ad patriarcham Hierosolymitanum, sic habet : *Novit tuæ discretionis prudentia qualiter tu et fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput, et illi membra esse probantur. Unde non decet te, omissis membris, aliorum consilio in ecclesiæ tuæ negotiis uti : cum id non sit dubium et honestati tuæ et sanctorum Patrum institutionibus contraire. Innotuit siquidem auribus nostris, quod tu sine consilio fratrum tuorum* canonicorum S. Sepulchri *abbates et abbatissas, et alias ecclesiasticas personas instituis et destituis : ideoque id auctoritate apostolica prohibemus. Nos enim tales institutiones et destitutiones carere decernimus robore firmitatis.*

Et ibidem, capite *Quanto*, sic prosequitur idem Alexander III, ad eumdem patriarcham scribens : *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus in concessionibus et confirmationibus et aliis ecclesiæ tuæ negotiis fratres tuos requiras, et cum eorum consilio, vel sanioris partis, eadem peragas et pertractes, et quæ statuenda sunt statuas, et errata corrigas, et evellenda dissipes et evellas.*

Ex quo juris textu sic concludit Leurenius (*Forum eccles.*, lib. III, tit. 10, quæst. 104) : « Exquirere in pluribus consilium « capituli tenetur Prælatus ; ita ut, dum jura actum geri volunt « cum consilio capituli, is, sine eo requisito et congruo tempore « expectato gestus (etiamsi de cætero gestus cum consilio aliquo-

Digitized by Google

« rum confratrum seu capitularium), sit irritus. » Et ita communis canonistarum sententia.

Verba autem Alexandri III, *Cum eorum consilio, vel sanioris partis,* ita explicant doctores, ut illa *sanior pars* intelligatur esse simul *major pars* capituli et non alia, nisi aliter vigeret alicubi consuetudo. (Leurenius, loco citato.)

§ 2

UTRUM PER CONSUETUDINEM EXIMI POSSIT EPISCOPUS A REQUIRENDO CAPITULI CONSILIO

Ex decretali Alexandri III supra citata, *honestati* contraria ac proinde illegitima videri posset consuetudo qua Episcopus, inconsulto capitulo, aliorum consilia adhiberet ; de illa siquidem consuetudine ibi expresse dicitur, *cum id non dubium sit et honestati tuæ et sanctorum Patrum institutionibus contraire.* Nihilominus cum existere aliquando possint causæ rationabiles cur Episcopus omittat capituli sui consilium exposcere, tenent communius canonistæ consuetudinem non exposcendi, posse legitimam evadere. *Ubi adest consuetudo legitime præscripta* (inquit Leurenius, loco citato), *pro libertate Prælati tractandi negotia Ecclesiæ, exercendique jurisdictionem sine consilio capituli, hæc valida erit, cum etiam æquiparetur privilegio.* Quam doctrinam firmat laudatus Leurenius textibus juris et doctorum auctoritate.

§ 3

QUIBUSNAM IN CASIBUS DE JURE COMMUNI TENEATUR EPISCOPUS CAPITULI CONSILIUM REQUIRERE

Duobus modis jura indicant quandonam ab Episcopo requirendum sit consilium capituli : per principium nempe generale, et per expressam aliquorum casuum determinationem. At vero licet aliquod negotium sub dicto principio generali comprehendatur, vel etiam sit de numero eorum casuum qui specialiter a jure exprimuntur, non continuo sequitur debere Episcopum in illo expediendo negotio consilium capituli ex obligatione adhibere : nam simul ex jure communi certum est, et a doctoribus

Digitized by Google

communiter admissum, dari posse in favorem Episcopi consuetudinem legitime præscriptam, vi cujus a tali obligatione eximatur. In solvenda ergo hac difficili quæstione, non tantum attendendum est quid jus commune decernat, sed etiam quomodo jus illud per consuetudines contrarias soleat moderari. Rem totam pro posse triplici sequenti propositione pandimus.

Propositio 1ª. — *Tanquam certa admittenda est regula generalis, debere Episcopum in omnibus arduis negotiis consilium capituli exquirere : at simul certum est dari posse consuetudinem quæ Episcopum a tali regula, ex parte saltem, eximat.* — In agnoscendo illo generali principio concordant canonistæ. Unum tantum citabimus, cum res extra controversiam posita sit : « Capituli consilium (ait Ferraris, voce *Capitulum*, art. 3), de primo ad ultimum requiri debet in omnibus arduis Ecclesiæ negotiis. (Cap. *Novit* 4 ; cap. *Quanto* 5 ; cap. *Pastoralis* 9, *De iis quæ fiunt a Prælatis sine consensu capituli.*) Ecclesia enim habet senatum, cœtum presbyterorum (id est, capitulum), sine quorum consilio Prælato nihil agere licet, ut legitur in capite *Ecclesia habet senatum*, 7, caus. 16, q. 1. Et facit ad hoc concilium Tridentinum, sessione 24, capite 12, *De reformatione*, circa finem, ubi : *ut merito Ecclesiæ senatus dici possit.* Adeoque pro arduis Ecclesiæ negotiis expediendis esset semper requirendum hujus ecclesiastici senatus consilium. At vero fere ubique habetur in plurimis consuetudo contraria ; qua legitime extante, non amplius requiritur ipsius capituli consilium. Textu expresso in capite *Non est*, 3, *de consuetudine*, in 6. »

In propositione, dum affirmavimus dari posse consuetudinem quæ Episcopum a prædicta obligatione eximat, addidimus, *ex parte saltem :* nam utrum per consuetudinem ita præscribere possit Episcopus contra præfatam obligationem, ut nunquam et in nullis rebus teneatur capituli consilium adhibere, speciali propositione infra expendimus.

Propositio 2ª. — *Dantur speciales casus in quibus jura expresse decernunt requirendum ab Episcopo esse Consilium capituli : ast etiam in his casibus potest Episcopus a tali obligatione per consuetudinem contrariam legitime præscriptam*

Digitized by Google

eximi. — Hujusmodi casus aliquos, prout a Ferrario (loco supra citato) exponuntur, transcribimus :

« In processionibus decernendis, dirigendis, atque deducen-
« dis consilium capituli est requirendum, non autem consensus
« exigendus. (Sacra Congregatio rituum in Elborensi, 28
« martii 1628 ; et in Comensi, 7 februarii 1632 : ubi declaravit
« ad Episcopum pertinere, cum capituli tamen consilio, indi-
« cere publicas processiones, et præscribere quomodo et quo sint
« dirigendæ.) Quod per vicarium generalem, absente Episcopo,
« requirendum quoque esse ab eodem capitulo, censuit eadem
« Sacra Congregatio. (In Vigiliensi, 28 septembris 1630.)

« Consilium capituli requirere tenetur Episcopus casu quo
« canonicatus et portiones omnes suæ ecclesiæ cathedralis ali-
« quem ordinem presbyteratus vel diaconatus annexum non
« habent ; ut scilicet cum prædicti sui capituli consilio desi-
« gnare et distribuere valeat, quibus quisque ordo in posterum
« debeat esse annexus.

« Episcopus antequam indicat et publicet synodum diœcesa-
« nam, requirere debet saltem consilium capituli juxta regulam
« capitis *Quanto, De iis quæ fiunt a Prælatis sine consensu ca-*
« *pituli.* Rota, in Barbastrensi coram Pamphilio, 7 junii 1585.
« Episcopus enim prudens antequam decreta synodi promulget,
« debet prius in privatis congressibus a viris doctrina, pruden-
« tia et pietate præstantibus, et deinde ex obligatione a capitulo
« collegialiter coadunato consilium exquirere, licet solus potes-
« tatem legislativam statuendi habeat, et consilium sequi non
« teneatur. (Sacra Congregatio concilii, in Hispalensi 26 no-
« vembris 1689.) Et sic, quod Episcopus in decernendo et sta-
« tuendo ea quæ sibi bene visa fuerint in synodo diœcesana,
« teneatur requirere consilium capituli, non autem illud sequi
« in casibus in jure expressis, decrevit eadem Congregatio. (In
« dicta Hispalensi, 15 januarii 1695.) Requisitio tamen consilii
« capituli facta per edictum sufficit ad sustinendam validitatem
« synodi, prout censuit Sacra Congregatio concilii. (In Osta-
« nensi 15 decembris 1696.) »

Addit Ferraris, et ita etiam tenent veteres canonistæ, necessario requirendum esse capituli consilium in judiciis criminalibus et condemnationibus clericorum et sacerdotum, et in beneficia-

Digitized by Google

torum exauctoratione : at parte VI, capite 3, ostendimus id jam verum non esse ; et posse Episcopum, ob generalem consuetudinem quæ in jus commune jamdudum transiit, absque capituli consensu, atque etiam consilio, procedere in judiciis criminalibus omnium suorum subditorum. Quod nempe possit absque capituli consensu procedere, tanquam certum tradimus ; quod vero id possit absque consilio capituli, saltem valde probabile videtur ; quia videtur illa etiam consuetudo *generaliter* invaluisse et in jus commune transiisse. Si tamen constaret eam alicubi nondum esse legitime præscriptam, ibi remaneret requirendi capitularium consilii necessitas. Item addit Ferraris : « Re« quiritur capituli consilium in clericorum ordinationibus. » (Cap. *Episcopus sine consilio* 6, dist. 24, ibi : Episcopus sine consilio clericorum suorum clericos non ordinet.) Id quidem olim verum erat ; sed hanc juris communis dispositionem immutavit Tridentina synodus ; ita ut jam minime in ordinandis clericis requiratur capituli consilium.

Licet autem quoad prædictos, et quosdam forsan alios casus, capituli consilium jura expresse requirant, remanet semper certum, et a doctoribus communiter admissum principium, posse consuetudinem contrariam in favorem Episcopi prævalere. Unde in hac re valde attendenda est consuetudo, utpote quæ jus capituli de quo agimus in multis restringere potest. An autem legitima censenda foret consuetudo nunquam omnino requirendi consilium capituli, breviter expendendum venit.

Propositio 3ª. — *Non videtur valida consuetudo, etiam quadragenaria, nunquam et in nullis rebus capituli consilium expostulandi.* — Id quidem expresse tractatum apud auctores non reperio ; ideo forte quod hujusmodi casum chimericum existimaverint. Mihi tamen videtur ejusmodi consuetudo posse sat validis argumentis invalida demonstrari. Tali enim consuetudine fraudaretur Ecclesia scopo ab ipsa principaliter intento in capitulorum institutione. Siquidem ideo vult existere capitula, ut sint *Consilium Episcopi et ecclesiæ senatus, ut provideatur consilio Episcoporum.* Porro si capitularium consilium in nullis adhibet Episcopus, inutile redditur ad principalem hujusmodi finem capitulum. Ergo non potest Sedis Apostolicæ legitime præsumi consensus in prædictam consuetudinem ; ergo

Digitized by Google

consuetudo hæc, utpote consensu etiam tacito legislatoris destituta, nunquam poterit legitime præscribere.

§ 4

AN IN STATU PRÆSENTI ECCLESIARUM GALLIÆ TENEANTUR EPISCOPI CAPITULORUM CONSILIUM REQUIRERE

1. Certum videtur ante novarum Galliæ ecclesiarum erectionem, per bullam Pii VII quæ incipit *Qui Christi Domini*, constanter viguisse in illa regione jus commune, Episcopos obligans ad exposcendum in multis capitulorum consilium. Id innuunt priscorum Episcoporum mandata et varia statuta, quæ semper hanc aut similem præmissam exhibent formulam, *de consilio venerabilium fratrum nostrorum canonicorum.* Sed hoc ad præsentem quæstionem non refert, cum, etiamsi contraria viguisset consuetudo, perempta fuisset per dictam bullam Pii VII, utpote quæ suppressit omnes Galliæ ecclesias *cum omnibus juribus, privilegiis et prærogativis cujuscumque generis.* Expendenda ergo quæstio est, ex jure ab ista bulla vel a subsecuta consuetudine introducto.

2. Certum est etiam per constitutionem *Qui Christi Domini* nullo modo derogatum fuisse juri communi quo tenentur Episcopi consilium capitularium exposcere. Nulla enim in ea, neque in decreto executionis a legato Sedis Apostolicæ, cardinali Caprara, promulgato, neque in ulla alia Summi Pontificis subsecuta ordinatione, reperitur phrasis, quæ talem derogationem exprimat, aut ex qua concludi possit.

Imo contrarium expresse eruitur ex bulla concordati; cum ibi dicat Pius VII, ideo statuenda capitula, quod *necesse sit Episcoporum consilio consulere.*

3. Videtur præterea per plures annos post dictum concordatum anni 1801, consuevisse Episcopos Galliæ capitulorum consilium requirere, ut testatur servata in eorum mandatis et statutis vetus formula, *de consilio venerabilium fratrum,* etc. Vix enim crediderim a venerandis istis Præsulibus adhibitam fuisse formulam, quæ merum expressisset mendacium.

4. A paucis tamen annis plures Galliæ Episcopi prædictam

Digitized by Google

formulam abjecerunt, quod satis indicat eos se liberos voluisse ab obligatione requirendi capitulorum suorum consilii, in casibus a jure communi præscriptis.

5. Quæ cum ita se habeant, duo concludenda veniunt.

Primum, subjacere hodiernos Galliæ Episcopos juri communi consilium capitulorum requirenti, nisi contraria consuetudo post concordatum alicubi introducta jam legitime præscripserit. Nam per bullam *Qui Christi Domini* positæ sunt recentes Galliæ ecclesiæ sub jure communi, iis exceptis in quibus ipsa bulla, aut recentiora Sedis Apostolicæ decreta illi juri derogarunt. Antiqua vero privilegia sedibus annexa, suppressis sedibus hoc ipso interiere. Et præterea, in re de qua agimus, jus commune generatim in Gallia vigebat toto retro tempore ante concordatum. Ergo nisi consuetudo concordato posterior jus commune de quo agimus alicubi sustulerit, ipsum hodiedum vigere necessario fatendum est.

Secundum, consuetudinem contrariam, nempe non requirendi capituli consilium, nullibi in Gallia legitime præscriptam videri. Nam, ut dictum est, a paucis tantum annis Episcopi in Gallia ab obligatione consulendi capituli videntur sese exemisse. Præterea etiamsi statim a concordato anni 1801 alicubi incœpisset illa consuetudo, non valeret si capitulum reclamaverit. Nullibi autem existere videtur in Gallia consuetudinem de qua agimus, quæ non aliquo ex istis defectibus laboret.

Unde, salvo doctiorum et præsertim superiorum judicio, nobis non videtur legitime et sine aliqua erga capitulum injuria, posse etiam hodie Episcopos Galliæ obligationem consulendi capituli abjicere, in casibus a jure communi præscriptis.

6. Nihilominus tamen si duret adhuc in posterum dicta consuetudo, non reclamantibus capitulis, aliquando legitimam evasuram negari nequit. Versatur enim in materia præscriptibili.

Quæ de Gallia modo adnotavimus, valent pro ecclesiis Belgii et aliarum regionum, quæ concordato anni 1801, aut concordatis similibus subjectæ sunt.

Digitized by Google

§ 5

QUANDO EPISCOPUS TENETUR CAPITULI CONSILIUM REQUIRERE, AN TENEATUR ETIAM ILLUD SEQUI

« Respondeo : non tenetur sequi consilium, sed satisfactum « præcepto petitione consilii et expectatione responsi congruo « tempore. Si capitulum petitum consilium dare noluerit, « valent acta a Prælato sine illo, si contra illa nihil aliud ra- « tionabile opponatur. » (Leurenius, *Forum eccl.*, l. III, tit. 10, quæst. 106). Ita communis sententia canonistarum contra paucissimos ea in re non attendendos. Ita sæpius respondisse Sacram Congregationem concilii testatur Fagnanus (in cap. *Cum ex eo, De rel. et venerat. Sanctorum*, n. 20).

« Non tamen propterea, ait Leurenius (loco citato), frustra « exigitur consilium, et illud in certis casibus adhiberi man- « darunt jura ; cum vel sic occurratur præcipitantiæ Prælati, « isque auditis rationibus, ad tractandum maturius et cautius « negotium disponatur, ac sæpe ad statuendum prudentius et « utilius quam sine illo statuisset, moveatur. »

CAPUT III

DE JURE CAPITULI UT REQUIRATUR IPSIUS CONSENSUS

§ 1

IN QUIBUS GENERATIM REQUIRATUR CONSENSUS CAPITULI

Primo, « Consensus capituli Episcopo necessarius (ita ut non « sufficiat adhiberi consilium) in omnibus in quibus ecclesiæ « obligatio aliqua notabilis imponitur, verbi gratia, ex deposito, « fideijussione, mutuo, donatione. Item in omnibus negotiis in « quibus ecclesiæ et successoribus notabile præjudicium gene- « rari potest. » (Leurenius, *Forum eccl.*, l. III, tit. 10, quæst. 108.) Requiritur etiam capituli consensus generatim in iis quæ ad Prælatum simul et capitulum spectant, et in iis de quibus capituli specialiter interest. (Vide Leurenium, ibid.)

Digitized by Google

Secundo, non requiritur consensus capituli in prædictis negotiis quando sunt minora, aut non creant notabile præjudicium capitulo vel successoribus, supposito tamen non vigere contrariam consuetudinem (ita Leurenius, loco citato; — Engls, in titulum *De his quæ fiunt*, 10, tertii libri Decretalium, n. 5; — Wiestner, in eumdem tit., n. 26). Diximus: *supposito non vigere contrariam consuetudinem:* « Quemadmodum enim « (ait Leurenius, loco citato) alicubi vigere potest consuetudo « legitime præscripta juri communi contraria, ut etiam in ne- « gotiis arduis Prælatus procedere possit sine consensu capituli, « ita etiam e contra vigere potest consuetudo, ut etiam in mi- « noris præjudicii negotiis hic consensus sit necessarius. Estque « talis consuetudo, tam stans pro libertate Prælati, quam pro « necessitate consensus etiam in minoribus, diligenter atten- « denda, præsertim ubi ex rationabili causa introducta. » Ita etiam Reiffenstuel, in tit. 10, tertii libri Decret., n. 25.

Tertio, in iis, quæ jure devolutionis agit Episcopus, consensum capituli requirere non tenetur. Vidimus enim in præcedenti capite, ne consilium quidem tunc requiri; ergo a fortiori nec requiritur consensus. Quod tamen intelligendum cum restrictione ibi apposita.

Quarto, « in iis in quibus procedit Episcopus auctoritate « delegata, non eget consensu capituli. Siquidem Episcopus qua « delegatus Sedis Apostolicæ nullam cum capitulo habet com- « municationem. Distinguit tamen hoc ipsum Fagnanus « (in cap. *Ad audientiam, De eccles. ædif.*, n. 54); ut proce- « dat dum Episcopus agit speciali jure *specialis* delegationis, « seu vi et potestate delegationis sibi hic et nunc specialiter de- « legata. Secus, si procedat jure ordinario delegationis, hoc est, « potestate sibi constanter pro certis causis delegata a Papa vel « vigore concilii Tridentini. » (Leurenius, loco supra citato.)

Quinto, omissio consensus capituli, quando ille consensus de jure requiritur, actum Episcopi invalidum reddit et nullius effectus. Excipitur tamen casus in quo Episcopus impediret ne bonum aliquod acquireretur. Repudiatio, verbi gratia, donationis oblatæ ecclesiæ, facta a Prælato sine consensu capituli, valida est, ut tenent communiter canonistæ. (Vide Leurenium loco citato, quæst. 108.)

Digitized by Google

Hæc in genere de requisito capituli consensu: nunc deveniendum ad præcipuos casus speciales in quibus consensus ille de jure communi requiritur.

§ 2

DE REQUISITO CONSENSU CAPITULI PRO ALIENATIONE RERUM ECCLESIÆ

1. Ad alienationem rei pertinentis ad ecclesiam cathedralem, immobilis, aut mobilis pretiosæ, requiritur consensus capituli: *Sine exceptione decernimus ne quis Episcopus de rebus ecclesiæ suæ quicquam donare, vel commutare, vel vendere audeat; nisi forte aliquid horum faciat ut meliora prospiciat, et cum totius cleri tractatu atque consensu id eligat quod non sit dubium profuturum ecclesiæ... Episcopus rebus ecclesiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur. Irrita enim Episcoporum venditio et commutatio rei ecclesiasticæ erit absque conniventia et subscriptione clericorum* (cap. *Sine exceptione*, 12, q. 2). *Irrita erit Episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei ecclesiasticæ, absque collaudatione et subscriptione clericorum* (cap. 1, tit. 10, lib. III Decretalium). *Possessiones vero, quæ ecclesiæ tuæ minus sunt utiles, pro aliis utilioribus de fratrum tuorum et sanioris partis consilio et assensu alienandi seu commutandi liberam concedimus facultatem* (cap. *Ut super*, tit. 13, lib. III Decretalium). In eodem capite memorat Cœlestinus III jusjurandum ab Episcopis Sanctæ Sedi factum de non alienandis rebus ecclesiæ. His juribus fundati docent unanimiter canonistæ non posse alienari res ecclesiæ cathedralis sive immobiles, sive mobiles pretiosas, sine consensu capituli. (Vide Leurenium, *Forum eccl.*, in tit. 10 libri III Decret., quæst. 109.)

2. Idem dicendum de bonis ecclesiæ collegiatæ. Requiritur nempe consensus capituli collegialis.

3. Si existant sive in ecclesia cathedrali, sive in collegiata, præter canonicos, beneficiati, non requiritur consensus illorum beneficiatorum, sed sufficit consensus capituli.

4. In ecclesiis inferioribus, requiritur consensus clericorum illarum ecclesiarum.

5. « In alienatione rei pertinentis ad ecclesiam inferiorem,

Digitized by Google

« præter consensum clericorum talis ecclesiæ, si plures præter « prælatum habeat, et præter consensum etiam Episcopi, re- « quiritur consensus capituli cathedralis et tractatus cum eo, « si Episcopus est principalis auctor alienationis; idque ne « alias tam facile alienentur bona illius ecclesiæ. » (Leurenius, loco citato.)

6. « Porro consensus debet esse a capitularibus collegialiter « seu simul congregatis. Et quidem expressus, ita ut tacitus seu « præsumptus non sufficiat: arguitur ex capite *Irrita* (*supra* « *transcripto*) ubi consensus ille vocatur *collaudatio*, quæ « approbationem simul congregatorum significat... Quod tamen « de consensu expresso distinguunt alii: nimirum ut is requi- « ratur ad alienationem rei ecclesiasticæ, quæ nomine ecclesiæ « in perpetuum... vel ad longum tempus, verbi gratia, per « locationem, alienatur; sufficiat vero consensus tacitus et præ- « sumptus ex scientia et taciturnitate capituli, ad alienationem « ad breve tempus, puta, infra decennium.

« Requiritur quoque ut consensus ille sit præstitus prævio « tractatu, et quidem diligente et solemni, habito cum capitula- « ribus in unum congregatis, quo Prælatus cum capitulo seu « conventu de proposita rei alienatione deliberat, juxta caput « *Sine exceptione* (*supra transcriptum*). Sufficere autem unum « tractatum tenet Abbas, Covarruvias, Wiestner... Hic tamen « tractatus non requiritur ad alienationem in rebus modicis: « sed neque in iis ipsum consensum, multoque minus expres- « sum requiri tradunt Rebuffus et Reiffenstuel. » (Leurenius, loco citato.)

7. Quæri potest an et qualis requiratur subscriptio capituli in exprimendo suo consensu. — « Subscriptio capituli... ita est « necessaria, ut nisi fiat, alienatio sit irrita. » (Leurenius, loco citato.) Expresse enim ita habetur in cap. 1 tit. 10 libri III Decretalium: *Irrita erit Episcoporum donatio vel venditio vel commutatio rei ecclesiasticæ absque collaudatione et subscriptione clericorum.* « Universalis tamen hæc regula, ut volunt aliqui, « non est ita ut ad omnes actus et contractus alienativos rei « ecclesiasticæ requiratur scriptura et subscriptio;... sed solum « procedit responsio de tribus hisce alienationis speciebus, ven- « ditione, donatione, permutatione. Porro consuetudo plurium

Digitized by Google

« locorum obtinuit, ut etiam in venditione, donatione, permu-
« tatione, subscriptio fiat, non manu propria singulorum capi-
« tularium alienationi consentientium; sed ut sufficiat eam
« fieri manu notarii publici, in instrumento de adhibito trac-
« tatu et obtento consensu capitularium testificantis. Necessarium
« autem non est ut in eo instrumento notarii manu confecto
« exprimantur singulorum capitularium nomina; sed satis est
« ut dicat notarius factam alienationem de consensu majoris
« partis capituli. Quod si autem notarius adhibitus non fuit, solet
« instrumento alienationis apponi sigillum capituli, una cum
« subscriptione præsidis, senioris et aliorum saltem nomine
« collectivo designatorum. » (Leurenius, loco citato.)

Posset tamen fieri, ut alicubi ex consuetudine legitime præscripta nulla requireretur capituli subscriptio.

8. « De cætero alienatio facta a Prælato sine consensu capituli,
« multoque magis eo reclamante, est irrita, et a successore non
« servanda. »

9. « Quod si vero ob bellum aliamve causam urgentem capi-
« tulum absit, Prælatum debere loco capituli substituere alios
« clericos, quibuscum tractet et consultet de re alienanda, et
« eorum consensu requisito et obtento et non aliter rem alienare,
« cum Abbate et Molina tradit Delbene. » (Leurenius, loco citato, quæst. 109.)

10. In iis quæ præcedunt, abstraximus a quæstione utrum pro alienandis bonis ecclesiasticis requiratur Sanctæ Sedis beneplacitum. Sed plane erraret qui Episcopo tribueret potestatem, absque obtenta a Summo Pontifice facultate, et cum solo capituli consensu, alienandi bona ecclesiastica. Extat enim inter *Extravagantes communes* decretalis *Ambitiosæ* quam edidit Paulus Papa II, anno 1468, in qua omnino statuitur beneplaciti Apostolici necessitas : *Omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium transfertur... hac perpetuo valitura constitutione præsenti fieri prohibemus... Si quis autem contra hujus nostræ prohibitionis seriem de bonis et rebus eisdem quidquam alienare præsumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio et infeudatio hujusmodi nullius omnino sint roboris vel momenti. Et tam qui alienat, quam is qui alienatas res et*

Digitized by Google

bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat. Alienanti vero bona ecclesiarum, monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet inconsulto Romano Pontifice, si pontificali aut abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus ecclesiæ sit penitus interdictus, etc. Decretalis autem illa facit jus commune. Sunt et aliæ posteriores de prohibita bonorum ecclesiasticorum alienatione decretales, quas enumerat Cardinalis Petra in Commentario constitutionis primæ sancti Leonis. (Sect. 1, n. 52, t. I.)

11. « Igitur post extravagantem citatam Pauli II quæ novum « jus in hac materia induxit, duo tantum regulariter requi- « runtur ad validam alienationem bonorum Ecclesiæ, scilicet « causam, necnon beneplacitum apostolicum ; nec una sine « altero actum validum facere potest... Ita ut per dictam extra- « vagantem fuerit avocata potestas Episcopis concedendi placi- « tum hujusmodi, reservatis casibus ibidem non contentis. » (Card. Petra in const. 1 sancti Leonis Magni, sect. 3, n. 60.)

12. An beneplacitum Papæ suppleat solemnitates ante Paulum II requisitas, ac proinde etiam consensum capituli? — « Dictum beneplacitum Apostolicum in dicta extravaganti re- « quisitum supplet omnes et quascumque juris antiqui solem- « nitates supra enunciatas... Et eo magis supplet, si adsit in « beneplacito clausula *supplentes*.

« Hic autem agitari solet, an dictum beneplacitum suppleat « quoque consensum capituli, antiquo jure, ut dixi, requi- « situm? Et juxta opinionem veriorem Rotæ, supplet quoque « dictum consensum... quod tamen intelligendum est si con- « sensus capituli requiratur pro solemnitate ; nam si sit pro « interesse, erit requirendus et obtinendus. » (Cardinalis Petra, Comment. in const. 1 sancti Leonis, sect. 3, n. 3 et seq., in tomo I.) « Beneplacitum tamen nequit supplere causam... Nam « causa, et nihil aliud, movet Pontificem ad concedendum « beneplacitum... Nisi tamen Papa ageret de plenitudine potes- « tatis, nam eo casu esset validus actus alienationis factus sine « causa : nam Papa non est simplex administrator rerum Ec- « clesiæ, sed habet in illis administrationem dominicalem pro- « fluentem ex jure monarchico... Hinc si Papa alienet sine « justa causa, etsi peccet contra religionem, de quo videbitur

Digitized by Google

« alio loco, nunquam tamen contra justitiam, et sic actus est sem-
« per validus; imo semper præsumitur actus gestus cum causa,
« ita ut ulterius non sit inquirendum. » (Petra, ibid., n. 65.)

13. An requiratur etiam beneplacitum Apostolicum et consensus capituli ad alienationem rerum valoris minimi? — Certum est non requiri. Sic habet canon *Terrulas*, 12, q. 2 : *Terrulas aut vineolas exiguas et ecclesiæ minus utiles aut longe positas et parvas, Episcopus sine consilio fratrum* (*si necessitas fuerit*) *distrahendi habeat potestatem.* Casus de quibus agitur in hoc canone et alios quosdam excepit Paulus II a prohibitione decretalis suæ *Ambitiosæ*. Unde sic cardinalis Petra : « In alie-
« natione rerum modici valoris, seu inutilium, procedit limi-
« tatio, ut possit fieri alienatio sine beneplacito Apostolico... Et
« declaravit Sacra Congregatio concilii.

« Plures tamen conditiones concurrere debent ut habeat
« locum dispositio hæc canonis *Terrulas*. Et primo valor mo-
« dicus. Secundo ut res non sit utilis ecclesiæ... Tertio auc-
« toritas ac decretum Ordinarii, causa cognita, interpositum.

« Hinc respectu dictarum conditionum plures controversiæ
« excitantur; et primo quoad valorem modicum diversimode
« a doctoribus accipi solet... Sacra Congregatio Episcoporum,
« anno 1611, 22 martii, censuit dictum canonem *Terrulas*
« intelligi debere de valore viginti quinque scutatorum auri...
« Adduntque doctores ita servari in praxi Romanæ Curiæ. Et
« secundum cursum, dicta scuta viginti quinque auri, consti-
« tuunt scuta 37 monetæ romanæ (1). Unde juxta hanc praxim
« videtur tute procedendum... Ultra dictam praxim Curiæ Ro-
« manæ non possunt neque debent Episcopi uti arbitrio, cum
« nihil valeat circa id eorum arbitrium, attento quod versamur
« in his quæ certa lege definita reperiuntur, ac declarata per
« Sacram Congregationem, et Curiæ Romanæ praxim recepta. »
(Petra, Comment. in Decretalem *Ambitiosæ* Pauli II, sect. 2, n. 59 et seq.) Addit idem auctor non valere consuetudinem in contrarium, qua nempe sine beneplacito Apostolico Episcopus alienare soleret bona valorem 37 scutatorum monetæ romanæ excedentia, et ita decisum a Congregatione concilii.

(1) Monetæ Galliæ circiter 188 francos.

Digitized by Google

14. In Gallia administrationem bonorum ecclesiasticorum exercet potestas civilis : at non ex ullo quoad hoc cum Sancta Sede concordato, aliove jure. Variis Gubernii decretis quæ illam administrationem regulant ex necessitate coguntur Episcopi et cæteri de clero sese subjicere, donec meliora elucescant tempora, et sua Galliarum ecclesiis restituatur legitima libertas. Quod autem Gubernium talia sibi tribuenda duxerit, non parum effecit erroneum gallicanismi systema.

§ 3

AN ET QUALITER DE JURE COMMUNI REQUIRATUR CONSENSUS CAPITULI AD ERECTIONEM NOVÆ PAROCHIÆ, CANONICATUS, VEL DIGNITATIS, ET AD CONCEDENDAM ALICUI MONASTERIO ECCLESIAM PAROCHIALEM

1. « Episcopus non tantum consilium capituli sui cathedra-
« lis, sed et consensum illius adhibere tenetur in erectione
« novæ parochiæ intra fines alterius parochiæ ; cum hæc divisio
« parochiæ et dismembratio redituum ad matricem ecclesiam
« pertinentium, sit quædam alienatio rerum Ecclesiæ (Fagna-
« nus ad c. *Ad audientiam, de eccles. ædific.*, n. 50) : his non
« obstante quod facultas constituendi novam parochiam dicatur
« a Tridentino (sess. 21, c. 4) concessa Episcopis, etiam tan-
« quam Sedis Apostolicæ delegatis ; ad hoc enim responsum est
« supra (*hujus capitis* § 1, *ad* quarto), nimirum quod in-
« structus duplici potestate, ordinaria et delegata, si procedat
« jure ordinario delegationis, adhuc indigeat consensu capituli ;
« secus tamen, ubi procedit speciali jure delegationis, in casu
« nimirum in quo jure ordinario procedere nequit. Atque ita
« non egebit consensu capituli in erectione novæ parochiæ
« intra fines parochiæ subjectæ regularibus exemptis, quam
« facere non potest jure ordinario, potest autem facere jure
« speciali delegationis : ea ratione quod sicut Papa non restrin-
« gitur ad hunc consensum exquirendum, ita nec ejus vices-
« gerens seu delegatus. Egebit e contra consensu capituli in
« erectione tali intra fines parochiæ non exemptæ. Ita Fagnanus,
« loco citato. »

2. « Quidquid sit de eo, num sicut olim poterat, sic et ho-

Digitized by Google

« diedum possit ecclesiam parochialem concedere monasterio, « non obstante Tridentini sessionis 24 capite 13 (*de quo disputari ait Leurenius*), illud indubitatum, non posse Epi- « scopum ecclesiam parochialem aut etiam ejus proventus, « concedere religiosis seu monasterio, sine consensu capituli « sui. »

3. « Consensus capituli necessarius est, non tantum in erec- « tione novi canonicatus aut dignitatis, sed etiam in applicatione « alterius beneficii pro dote illius. » (Leurenius, *Forum eccles.*, in tit. 10 libri III Decret., quæst. 113.)

§ 4

IN EXIGENDO SUBSIDIO CARITATIVO INDIGET EPISCOPUS CONSENSU CAPITULI

« Extraordinarium tributum est subsidium caritativum, scili- « cet pensio, quam Episcopus caritatis nomine exigit a clericis, « et ecclesiis sibi subjectis, ad periculum aliquod depellendum, « gravemque necessitatem evitandam. Justa autem et gravis « causa requiritur, ac præterea capituli consensu opus est, ut « recte hoc subsidium ab Episcopo indicatur. Sed nunc, saltem « in Italia, jus viget ab Innocentio XI constitutum, quo san- « citum est, ut semel tantum Episcopus, videlicet in primo « ingressu suo, hoc subsidium exigat; et vero tantum accipiat « quantum antea per annos quadraginta dari consuevit. Quare « si qua postea gravis exoriatur causa, quæ subsidium flagitet, « Sedis Apostolicæ venia opus est. » (Devoti, *Institutiones canon.*, l. II, tit. 15, n. 4.)

§ 5

AN REQUIRATUR CONSENSUS CAPITULI AD UNIENDA VEL DISJUNGENDA BENEFICIA, ET AN AD IPSA SUPPRIMENDA ?

1. « Necessario requiritur consensus capituli ad faciendam unionem ab Episcopo; propter maximam conjunctionem Episcopi cum capitulo, ratione cujus majoris momenti negotia exigunt tractari cum capitulo et de consensu illius expediri. Ita

Digitized by Google

tenent cum communi, Garcia (p. 12, c. 2, n. 145), Azor (p. 2, l. VI, c. 28, q. 12), Castropalao (tract. 13, d. 6, p. 12, § 2), Corradius (*De benef.*, l. II, c. 15, n. 67), Cardinalis de Luca (l. c, d. 45, n. 3) : ita ut omissa hac requisitione consensus, unio sit omnino nulla, etiam capitulo nihil opponente. Et quidem requiritur consensus capitulariter præstitus ; nec sufficit tacitus, sed requiritur expressus. » (Leurenius, loco citato.)

« Pro sustinendo decenti canonicorum statu (ait Scarfantonius, *De canonicis*, t. I, pag. 32, edit. Lucæ, 1723) provide sacrum concilium Tridentinum (sess. 24, c. 15 *De ref.*) indulsit Episcopis facultatem augendi fructus præbendarum canonicalium, quoties nimis tenues essent, mediante unione beneficiorum simplicium... Quatenus pertinet ad formam seu solemnitatem unionis faciendæ præbendæ canonicali, debet primo intervenire expressus capituli consensus. »

Illa autem regula quam unanimiter tradunt canonistæ fundatur hoc decreto Clementis V in concilio Viennensi anni 1311 : *Si una ecclesia alteri ecclesiæ seu dignitati alicui vel præbendæ per Episcopum, suo consentiente capitulo uniatur, aut religioso loco donetur..., nequaquam id poterit impugnari. Quod si Episcopus, sui etiam capituli accedente consensu, mensæ suæ, vel ipsi capitulo aliquam duxerit ecclesiam uniendam, hoc irritum esse decernimus et inane ; contraria quavis consuetudine non obstante.* (Clementinarum lib. III, tit. 4, c. 2.)

2. Cum prædicta Clementina irritet tantum unionem factam *capitulo*, id est, mensæ capitulari, non autem unionem factam alicui *præbendæ* capituli, sequitur concilium Tridentinum permittendo præbendis nimis tenuibus beneficia uniri, non derogasse decreto Clementis V. Si ergo vellet Episcopus beneficium unire toti capitulo, cum hoc non permittat Tridentinum, et vetet supradicta Clementina, non sufficeret consensus capituli, et ad Sanctam Sedem esset recurrendum. Ita Scarfantonius (t. I, pag. 32, n. 11 , edit. Lucæ, 1723).

3. « Quod si beneficium esset de jure patronatus, sive laicali, sive « ecclesiastico, requireretur ultra consensum capituli etiam con- « sensus patronorum. Quinimo non sufficeret consensus majoris « partis (*nempe patronorum, si plures essent*), sed requireretur « omnium ; alias esset nulla. » (Scarfantonius, loco citato, n. 13.)

Digitized by Google

4. Requiritur adhuc hic consensus, dum Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, concessa illis a Tridentino hac facultate, unionem faciunt beneficii, verbi gratia, seminario; cum concilium concedat illis facultatem hanc uniendi *servata forma juris*, quæ inter cætera est ut requiratur hic consensus. Ita Leurenius (loco citato, quæst. 115) cum multis aliis canonistis, contra Navarrum.

5. Potest tamen Episcopus sine consensu capituli prædictas beneficiorum uniones aut disjunctiones efficere in duplici casu : *primo*, quando sic se habet loci consuetudo; quam tamen consuetudinem debere esse immemorialem, vel quadragenariam cum titulo, tenent canonistæ plures quos citat Leurenius. *Secundo*, quando capitulum recusaret consentire absque rationabili causa. (Leurenius, ibid., quæst. 115.)

6. Etiam legatus apostolicus *a latere* indigeret consensu capituli ad prædictas beneficiorum uniones aut disjunctiones, si procederet ex potestate sua ordinaria. Secus, si procedat ex speciali commissione. (Leurenius, ibid., q. 116.)

7. « Sicuti unio requirit *de forma* capituli consensum, ita « pariter quatenus Episcopus unionem dissolvere vellet, præter « causæ cognitionem, requiritur etiam ejusdem capituli con- « sensus. » (Scarfantonius, loco citato, n. 34.)

8. « In suppressione canonicatuum, etiam collegiatæ ecclesiæ, « ob tenuitatem redituum, præter consensum illius collegiatæ, « requiritur quoque consensus capituli cathedralis, ita ut, illo « deficiente, suppressio (quæ est extinctio tituli beneficialis, per « quam beneficium desinit esse in rerum natura, ejusque reditus, « si quos habet, applicantur aliis beneficiis vel piis locis) et unio « illorum redituum sit ipso jure nulla. Requiritur enim tunc « consensus capituli cathedralis tanquam solemnitas et veluti « forma ; consensus vero ecclesiæ collegiatæ tanquam personæ « interesse habentis. » (Leurenius, *Forum eccles.*, in tit. 10 lib. III Decretalium, quæst 119.)

9. Notat Scarfantonius non posse quidem Episcopum ex sola facultate a Tridentino tributa supprimere beneficia unita, ita ut extinguatur eorum titulus; posse vero ex aliis juribus. (Loco citato, n. 15 et 28.)

Digitized by Google

§ 6

AN REQUIRATUR CONSENSUS CAPITULI UT EPISCOPUS POSSIT PUNIRE SUBDITORUM EXCESSUS

Sic habet canon *Episcopus nullius* 15, quæst. 7 : *Episcopus nullius causam audiat absque præsentia suorum clericorum : alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi clericorum præsentia confirmetur.* (Concil. Carthag., IV, c. 23.)

In libro autem V Decretalium, titulo 31, capite *Pervenit*, sic decernit Alexander III : *Cum autem presbyteros quasi filios et fratres benigna ac fraterna debeatis charitate fovere, mandamus quatenus in eos tallias et exactiones indebitas exercere nullatenus præsumatis, nec de cætero irrationabiliter gravetis, vel inhoneste tractetis eosdem, aut sine judicio capituli suspendere, vel eorum ecclesias interdicto subjicere attentetis..; scituri pro certo, quod si hujusmodi rumores de vobis iterum ad aures nostras pervenerint, pro tantis excessibus vos taliter puniemus, quod timore pœnæ vestræ cæteri a similibus abstinebunt.*

Ex duobus illis textibus sic arguit Leurenius (*Forum eccles.*, in tit. 10 libri III Decret., quæst. 121) : « Spectato jure com-
« muni, in puniendis et corrigendis excessibus ab Episcopo,
« requiritur consensus capituli cathedralis, ita ut sine illo lata
« sententia Episcopi esset nulla (can. *Episcopus nullius*, 15,
« q. 7) ; et arguit c. 1, *De excessibus Prælatorum,* ubi prohi-
« betur ne Episcopi presbyteros sine judicio, id est consensu
« capituli, suspendere aut eorum ecclesias interdicto supponere
« attentent. Idem est de excommunicatione, quæ est pœna
« gravior. »

De eadem quæstione sic disserit Pirhing (in tit. 31 libri V Decretalium, § 1, n. 2) : « Notandum secundo : Episcopus non
« potest excommunicare, vel suspendere clericos, vel eorum
« ecclesias interdicere sine *judicio*, id est consensu capituli...
« idque procedit quando de re gravi et severa pœna imponenda
« agitur ; quia generatim in arduis negotiis expediendis per Epi-
« scopum requiritur consensus capituli : in levioribus autem
« causis vel delictis, satis est requiri consilium capituli, quamvis
« id Episcopus sequi non teneatur. Hodie tamen valet consue-

Digitized by Google

« tudo legitime præscripta, ut Episcopus in inquirendis ac « puniendis criminibus subditorum, capituli sui consensum re- « quirere non teneatur. »

Hoc ultimum concludit Pirhing ex capite *Non est*, de consuetudine, in *sexto*.

In citato autem capite *Non est*, sic decernit Bonifacius VIII : *Non est* (*dum tamen alias sit præscripta canonice*) *consuetudo, quam allegat Episcopus reprobanda : quod in inquirendis, puniendis et corrigendis subditorum excessibus, consilium sui capituli requirere minime teneatur.*

Hæc præmittere voluimus ad intelligentiam eorum quæ sequuntur. Adeo enim gravis est illa quam nunc tractamus quæstio, et periculis fœta si erronee decidatur, ut accuratiorem discussionem duxerimus instituendam. Sequemur autem eximiam tribunalis Rotæ dissertationem (decis. 866, coram Molines in Giennensi, 15 junii 1703). Probandam scilicet aggredimur sequentem thesim :

Licet cum præcitatis auctoribus multi alii generatim sustineant Episcopum de jure communi indigere consensu capituli in puniendis et corrigendis clericorum excessibus, hoc non est verum generatim, sed tantum in tribus casibus in jure expressis : in aliis requiritur tantum capituli consilium : imo ob consuetudinem generalem quæ præscripsit, jam nec consensu nec consilio capituli indigent Episcopi in causis criminalibus quibuscumque.

Porro illud probat citata Rotæ dissertatio hoc modo : « Nulla « existit in universo juris pontificii corpore sanctio canonica « præscribens Episcopis talem judicandi modum in causis cri- « minalibus canonicorum (*nempe quod Episcopus teneatur « adhibere judices a capitulo nominatos et ipsi Episcopo ad- « junctos*). Imo per contrarium quamplurimæ leges pontificiæ « adesse noscuntur tribuentes Episcopis liberam et absolutam « potestatem in inquirendis, ulciscendis et individuandis causis « criminalibus omnium suorum subditorum, nullo facto discri- « mine inter presbyteros, diaconos et clericos (nisi in gravis- « sima degradationis causa), ex ea originaria et fundamentali « ratione, quod omnes universaliter subjiciuntur illorum ordi- « nariæ jurisdictioni, etiam ab ipso divino jure procedenti. »

Digitized by Google

Ut autem illud generale assertum probet Rota, allegat 1° cap. *De persona*, 38, *causa* 11, *q.* 1, in quo statuitur clericos non ab alio quam ab Episcopo esse judicandos. 2° cap. *Si quis presbyter*, 4, *causa* 2, *quæst.* 5, decernens causam presbyteri a solo Episcopo esse absolvendam ; et ibi agitur de causis criminalibus. 3° caput primum, *De officio Ordinarii.* 4° cap. *Irrefragabili* ejusdem tituli. 5° cap. *Episcopus, De officio Ordinarii*, in 6. Et confutatis quæ contra istorum textuum juris allegationem objici possent, sic pergit :

« Nulla porro adest sanctio canonica generaliter demandans « ut Episcopi in causis criminalibus subditorum procedant de « consensu capituli. » Quod ut probet, percurrit omnes textus qui citari solent in contrarium, ostendens illos non probare. « Omnes quippe illæ (canonicæ sanctiones) quæ ad id pro- « bandum allegari solent, et quæ congeruntur a Sarvia (*De* « *adjunctis*, c. 1), loquuntur de *consilio* et *præsentia*, et non de « consensu. » Illud probat 1° quoad canonem *Si quid vero*, distinctionis 86. 2° Quoad caput *Episcopus nullius* ex concilio Carthaginiensi, supra a nobis citato, de quo sic admonet : « Non « fuit concilii generalis sed provincialis Carthaginiensis, et non « constat unquam admissum fuisse in universa Ecclesia. Quo- « cumque modo res se habeat, determinat solum ut nullus Epi- « scopus audiat causas clericorum absque *præsentia* cleri, et « nullum adjicit verbum de consensu. » 3° Quoad decretales insertas sub titulo *De his quæ fiunt a Prælatis sine consensu capituli ;* quas ostendit vel requirere tantum consilium, vel loqui de aliis causis quam de criminalibus. Et in fine examinis horum textuum, affert Rota insignem istam glossam (in c. *Non est*, 3, *De consuetud.* in 6) : *Præsupponitur quod licet Episcopus solus habeat jurisdictionem in subditos, illam tamen jurisdictionem debet exercere ipse Episcopus cum consilio canonicorum : non dico cum consensu, quia Episcopus non tenetur sequi eorum consilium, nisi velit.*

« Ex quibus remanet satis clare verificatum quod præcitati « textus qui solent allegari ad probandum quod in causis crimi- « nalibus sit necessarius consensus capituli, revera vel exigunt « solam præsentiam, vel expresse et litteraliter exposcunt consi- « lium. »

Digitized by Google

Monet postea Rota relinquendam esse sententiam Imolæ, qui vult *consilium* requisitum a lege intelligendum esse de *consensu*. Refutat etiam objicientes inutile fuisse injungi Episcopo adhibitionem consilii, nisi simul illud sequi teneretur ; ostendens quantæ utilitatis sit illud consilium, licet remaneat Episcopo illud non sequendi libertas. Sic stabilita thesi, concedit Rota, et enumerat tres casus in quibus requiritur capituli consensus, nempe : *degradationem, suspensionem perpetuam, et interdictum Ecclesiæ*. Concludit tandem auctores plures errare dum requirunt consensum capituli in *omnibus* causis criminalibus *gravibus*.

Refert postea quomodo idem tribunal Rotæ aliquando hæsitaverit (nempe in decisione 9, parte 1, recent.) : « Tunc Rota, ob « gravitatem articuli et varietatem aliquorum doctorum loquen- « tium in causis arduis et magnis modo de consensu, modo vero « de consilio, nihil determinare voluit, injunxitque ut informa- « retur, primo super auctoritatibus doctorum et illorum nu- « mero, et secundo super rationibus ; quibus dubiis postea pro- « positis, nulla capi potuit resolutio, *quia doctores confuse* « *loquebantur*... Verum introspiciendo viscera quæstionis, ea « certe pendet a dignoscendo quænam causæ *arduæ* et quales non « arduæ. Et in hoc passu illud absolutum est pontifices arduas « existimasse causas degradationis, interdicti Ecclesiæ, et « suspensionis perpetuæ ; dum in istis noluerunt ut Episcopi soli « procederent, sed in primis adhibendum esse præscripserunt « judicium plurium Episcoporum, et in secundis illud capituli. « Quapropter si aliqui interpretes elicuerunt conclusionem quod « in *arduis* requiratur consensus capituli,... dicendum est intel- « lexisse de illis arduis, quorum casus sunt expressi in jure ; « absque eo quod exinde trahenda sit consequentia generalis quod « in omnibus aliis arduis a jure non expressis idem requiratur « assensus. Juxta enim hanc intelligentiam conciliantur omnes « juris canonici textus, conciliantur doctores, et arcentur lites « continuæ super cognitione causarum arduarum, quæ est diffi- « cillima. Eamdemque opinionem sequitur Sacra Congregatio « concilii Tridentini quæ in illa quæstione frequenter in eadem « agitari solita, an Episcopus in decernendo et statuendo ea quæ « sibi bene visa fuerint in synodo diœcesana debeat adhibere et « sequi consilium capituli, semper respondere solet, quod

Digitized by Google

« tenetur illud adhibere, et non sequi, nisi in quibusdam casibus « a jure expressis.

« Cæterum consuetudo plura præscripsit favore Episcoporum « circa potestatem procedendi sine consilio et cum plenaria « libertate, etiam in casibus in quibus jura requirebant consen- « sum. Praxis namque *fere generalis est hodie*, ut Episcopi pro- « cedant in causis criminalibus omnium subditorum etiam sine « consilio... Itaque consuetudo procedendi sine consilio cœperat « etiam præscribi usque de tempore Bonifacii VIII, qui consul- « tus an hujusmodi consuetudo sustineatur, respondit affirma- « tive. » (C. *Non est*, 3, *De consuet.*, in 6.)

Auctoritati Sacræ Rotæ adjungenda est altera multo major; bulla nempe XI Urbani VIII quæ incipit *Decet Romanum Pontificem* (*Bullarium R.*, partis V tomo V, pag. 166), qua dirimitur controversia inter Atrebatensem Episcopum ipsiusque capitulum. Contendebant canonici Atrebatenses exemptos se esse a jurisdictione Ordinarii, in vim præcipue cujusdam pacti sive concordiæ olim cum quodam Atrebatensi præsule initæ; quam exemptionem dicebant a concilio Tridentino minime fuisse sublatam. Die vero 20 februarii 1623, prodiit responsum Sacræ Congregationis concilii, declarans prædictam concordiam seu concessionem capitulo Atrebatensi olim factam, a Tridentina synodo *fuisse sublatam*. Postea ad melius præcludendam contentionibus viam, supplicatum est eidem Sacræ Congregationi, ut dignaretur sequens dubium specialiter declarare, videlicet : *An Episcopus Atrebatensis suam cathedralem ecclesiam, ejusque capitulum et personas visitare possit ad præscriptum dicti concilii* (*c.* 4, *sess.* 6) ; *et extra visitationem, capitularium causas criminales, cum adjunctis ; aliorum vero qui nec dignitates obtinent nec sunt de capitulo, per se ipsum cognoscere valeat ex decreto dicti concilii* (*c.* 6, *sess.* 25) ; *asserta concordia, exemptionibus, vel consuetudine etiam immemorabili contraria non obstantibus.* — Die 17 maii 1623, Sacra Congregatio declaravit, *Episcopum Atrebatensem posse ecclesiam suam cathedralem ejusque capitulum visitare ; et extra visitationem causas criminales capitularium, una cum adjunctis ; aliorum vero qui nec dignitates obtinent nec sunt de capitulo, per seipsum cognoscere et definire ; non obstante asserta con-*

Digitized by Google

cordia, privilegiis vel consuetudinibus etiam immemorabilibus. Postquam hæc memoravit in dicta bulla Urbanus VIII, confirmat præmissas declarationes his verbis : *Nos inviolabili declarationum seu decretorum eorumdem observationi quantum cum Domino possumus consulere volentes, motu proprio... declarationes seu decreta præfata, cum omnibus et singulis in eis contentis Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus et confirmamus.* Ergo apostolica auctoritate decisum remanet posse Episcopum ex decretis Tridentinis *per seipsum*, ac proinde absque consensu capituli, cognoscere et definire causas criminales eorum qui non sunt de capitulo.

Mirum est hanc tanti momenti bullam in hac quæstione non citari neque a Rota, neque ab auctoribus : ideo forte, quia ante editum bullarium Romanum hujusmodi documenta facile præ manibus doctores non habebant.

Valde autem notatu dignum est per eam bullam simul declarari, Episcopum causas criminales canonicorum et dignitatum cognoscere non posse nisi cum *duobus adjunctis ;* idque dum agitur de capitulo quod declaratur *non exemptum.* Id probare videtur, tempore Urbani VIII, decretum Tridentinum de duobus adjunctis (cap. 6, sess. 25), intellectum fuisse de capitulis etiam non exemptis; et revera nullum est verbum in textu Tridentino quod dispositionem limitet ad capitula exempta. At vero, ut monuimus parte III, cap. 1, § 6, prævaluit sententia opposita, hanc scilicet præscriptionem Tridentini concilii de adhibendis ab Episcopo duobus canonicis cojudicibus, respicere tantum capitula exempta ; atque certa, et extra *omnem controversiam*, ut ait Cardinalis de Luca, evasit sententia eadem, utpote a congregationibus Cardinalium et praxi Romanæ Curiæ canonizata, id est, in regulam recepta.

Ex adductis auctoritatibus sequitur tenendam omnino esse expositam doctrinam de non requisito capituli consensu in puniendis ab Episcopo subditorum excessibus. Quæ doctrina sic breviter resumi potest :

1° De jure communi non eget Episcopus in puniendis excessibus clericorum consensu cujuscumque, excepto casu degradationis, pro quo requiritur plurium Episcoporum judicium, et casibus perpetuæ suspensionis et interdicti in ecclesias, pro

Digitized by Google

quibus consentire debet capitulum. 2° In cæteris causis criminalibus arduis eget tantummodo Episcopus præsentia aut etiam consilio sui capituli. 3° Ex consuetudine, quæ propter generalitatem a multo tempore transiit in jus, jam non egent Episcopi neque consensu, neque etiam consilio capituli in causis criminalibus quibuscumque judicandis; ita ut etiam sine capituli assensu et consilio possint suspensiones perpetuas et interdicta in ecclesias fulminare. 4° Hinc, nisi capitulum sit exemptum, nullum omnino habet jus sese intromittendi, quando Episcopus in causa criminali procedit sive contra aliquem canonicum, sive contra alium quemlibet clericum aut laicum. Dicimus *nisi sit exemptum*, quia in hoc casu ex decreto Tridentino non potest contra aliquem de capitulo procedere Episcopus, nisi cum duobus canonicis cojudicibus a capitulo ipso electis, et habentibus unam vocem dum Episcopus habet alteram. 5° Prædictæ conclusiones applicari etiam debent recentibus Galliæ et Belgii ecclesiis. Quamvis enim per bullam concordati anni 1801 cum veteribus ecclesiis extinctæ fuerint particulares ipsarum consuetudines juri communi contrariæ, et noviter erectæ diœceses sub jure communi ipso facto ortæ sint, non tamen extincta fuit consuetudo procedendi in criminalibus absque assensu et consilio capituli; quia illa consuetudo jam multo ante concordatum generalis evaserat et in jus commune transierat; ita ut novæ Galliarum ecclesiæ, hoc ipso quod ortæ sint sub jure communi, ortæ sunt sub vi prædictæ universalis consuetudinis.

Non ergo fundatæ et prudentes, sed valde temerariæ habendæ sunt hodiernæ quorumdam sacerdotum Galliæ querelæ, quibus Episcopos hujus regionis tyrannidis et injustitiæ insimulant, eo quod in reprimendis clericorum excessibus capituli consensum et etiam consilium omittant. Nam ita agendo illi Præsules utuntur jure suo. Nec accusetur Ecclesia quod talia probet et toleret, quasi juri naturali repugnarent: sufficienter enim providetur justitiæ, tum ex eo quod Episcopi teneantur regulariter procedere, tum quia condemnatis patet semper appellatio vel recursus. Et in hunc quidem errorem incidisse non miramur quosdam (alioquin optimos viros), qui in jure canonico parum versati, in quædam antiquitatis monumenta offenderunt, aut in illos auctores quos de præsenti quæstione *confuse locutos* testatur Rota.

Digitized by Google

§ 7

NECESSITAS CONSENSUS CAPITULI IN CONSTITUENDIS EXAMINATORIBUS PROSYNODALIBUS

Contingit aliquando ut impedita vel neglecta synodi diœcesanæ celebratione, nulli electi fuerint examinatores synodales qui, juxta decretum Tridentinum, examinent promovendos ad parochiales vacantes. Tunc vero Episcopus, cum non possit absque dicto examine parochiales illas valide conferre, non aliud medium habet quam ut indultum obtineat a Sacra Congregatione concilii, ad substituendos alios examinatores qui *prosynodales* nuncupantur. Sacræ autem Congregationis stylus est ut in eligendis hujusmodi examinatoribus requirat consensum capituli.

§ 8

QUALIS ESSE DEBEAT CAPITULI CONSENSUS, QUANDO REQUIRITUR

« Respondeo primo : debet esse præstitus a capitularibus legi-
« time in unum congregatis. Cum enim singuli seorsim sumpti
« non faciant capitulum, etiam consensus singulorum nonest
« consensus aut decretum capituli vel conventus. Ita Delbene,
« Layman, Pirhing, Wiestner, Hostiensis, et alii cum commu-
« niore, contra Sylvestrum, Tamburinum, Bonacinam et alios,
« censentes quod consensus etiam seorsim præstitus a capitula-
« ribus sit vere consensus capituli. Sed neque verum est, ut
« volunt hi auctores, quod consensus simul congregatorum sit
« proprius electionibus; cum etiam ad alios actus universitatum
« et collegiorum requiratur consensus collegialis seu collaudatio,
« hoc est, ut omnes simul juncti laudent aut approbent actum;
« adeoque toties quoties jura requirunt consensum capituli,...
« de hoc consensu membrorum illius, in unum congregatorum
« intelligenda, ita ut non sufficiat ad validitatem actus consen-
« sus a singulis seorsim membris exquisitus et præbitus.

« Atque ita recte statuerunt jura; cum alias si actus, verbi
« gratia alienatio, suffragiis singulorum seorsim rogatis decerni
« posset, minus sæpe liber, aut etiam communitati, verbi gratia

Digitized by Google

« ecclesiæ, monasterio, etc., noxius evaderet, Prælato seu supe-
« riore hæc omnia facilius obtinenti in favorem sui et juxta vo-
« luntatem suam decerni.

« Respondeo secundo : debet esse præstitus a majore parte
« capituli congregati, seu capitularium in capitulo præsentium ;
« sufficitque talis consensus, nulla habita ratione absentium. »
Hæc Leurenius (*Forum eccles.*, l. III, tit. 10, quæst. 107) plures auctores citans.

CAPUT IV

DE JURE CAPITULI CONDENDI STATUTA

Circa hanc summi momenti quæstionem, falsæ opiniones quædam hisce ultimis temporibus irrepsere ; nec non plures ortæ sunt lites Episcopos inter et capitula. Hinc non tantum sedulo investiganda et exponenda vera atque recepta doctrina, sed quammaxima simul auctoritatum vi munienda atque vallanda est. Quapropter ante omnia selectam quamdam auctoritatum seriem præmittemus : tum jus commune determinabimus : tandem quid juris particularis in Gallia admittendum sit a tempore concordati anni 1801 expendemus.

§ 1

PRÆMITTUNTUR VARIÆ AUCTORITATES

I

Insignis glossæ textus qui per communem doctorum sententiam et Curiæ Romanæ praxim transiit in regulam juris.

Sic fert glossa in caput *Constitutionem, de verborum significatione, in sexto,* ad verbum *Statutum : Ex hoc, et ex eo quod dicitur in fine, videbatur quod canonici possunt facere statuta, dummodo alias sint licita. Solet dici quod capitulum sine Episcopo statuta facere non potest quæ tangant generalem statum ecclesiæ vel tangant Episcopum, vel ejus jura... ; est enim Prælatus caput, a quo non licet membrum recedere... Et hæc vera sunt etiamsi capitulum talia statuat cum archi-*

Digitized by Google

diacono suo, vel præposito, vel alio qui post Episcopum præsit capitulo. Si vero statuat super iis quæ non tangunt Episcopum, vel statum ecclesiæ, sed sua singularia negotia (puta quod certis modis quotidianas obventiones distribuant, vel quod certo modo ad capitulum vocentur : puta per talem campanam, vel alio modo : vel quod certis temporibus etiam non vocati veniant ad capitulum, vel his similia), satis potest dici quod super his tenet ipsius capituli constitutio sine Episcopo, alias licita et legitima.

Hanc glossam accipi tum a Rota, tum *communiter* a doctoribus advertit Rubeus in suo opere cui titulus *Singularia ex Rotæ decisionibus* (parte 5, ad verbum *Glossa*, tom. II, pag. 528, edit. Romæ, 1637); ex qua glossa prædictus auctor tamquam regulam concludit : « Quod capitulum non potest sta- « tuere sine Episcopo in pertinentibus ad statum ecclesiæ, « secus in non spectantibus ad Episcopum vel statum ecclesiæ. »

II

Sacræ Rotæ Romanæ decisiones variæ.

Explorati juris est capitulum posse statuere super his quæ ad ipsum pertinent. (Rota, decisio 707, coram Seraphino, in causa Ilerdensi, 30 octobris 1585.)

Licet capitula ecclesiarum super his quæ tangunt negotia sua singularia, puta quod certis modis quotidianæ obventiones distribuantur, vel quod certo modo ad capitulum vocentur, vel his similia statuta condere possint ; sine Episcopi tamen vel Papæ auctoritate non possunt constituere aliquid circa illa quæ tangunt generale statutum (1) *ecclesiæ, Episcopum, vel ejus jura.* (Rota, decis. 39, coram Pegna, in causa Bobiensi, 8 julii 1589.)

Licet capitula et canonici possint facere statuta sine auctoritate superioris, concernentia sua singularia negotia, non tamen possunt statuere super statu ecclesiæ sine consensu Episcopi... Et fuit decisum in causa Ilerdensi, 3 *decembris* 1593, *coram Corduba, et in causa Lucana,* 23 *februarii, et* 9 *aprilis*

(1) Putamus legendum esse *generalem statum.*

Digitized by Google

1601, *coram Pamphilio*. (Rota, decisio 1129, coram Pegna, in causa Verdunensi, 5 julii 1604.)

De jure, in iis quæ non concernunt statum universalem ecclesiæ, capitulum etiam sine consensu Episcopi potest facere statuta. (Auctoritates vero ad firmandam hanc doctrinam hæ adducuntur: Glossa in caput 2, *De verborum significatione*. — Calderus, cons. 2, n. 2. — Abbas in caput *Cum accessissent*, n. 4. — Imola in caput *Cum omnes*, n. 4. — Præpositus in caput *Catholica* distinctionis 11. — Ferrettus, const. 286, n. 1, etc.) Addit Rota: *Et in specie de concernentibus ordinationem chori fuit dictum in causa Ilerdensi* (19 *martii* 1597, *coram Corduba*). *Hoc autem multo magis potest facere capitulum consentiente Episcopo, quia tali casu potest statuere etiam ardua et concernentia universalem statum ecclesiæ, ut tradunt omnes...; et fuit dictum in Ilerdensi causa* (*coram Corduba*), *de qua supra*. (Rota, in causa Paduana, 26 januarii 1618, parte 4, recent.)

De jure communi potestas ferendi leges, seu statuta condendi, super rebus et negotiis ad ecclesiam spectantibus, et pro ipsius tranquillo regimine, residet penes capitulum; cui tamquam corpori mystico Pontifices contulerunt jurisdictionem, cujus essentialis actus est lex; et statutum vel consuetudo ipsa eam tribuit, favente tacito ipsorum Pontificum consensu (*ut colligitur ex capite* Cum omnes, *De const.*, *et capite unico* Ne sede vacante *in* 6...; *et bene disserit Suarez*, *De legibus*, l. 4, c. 6, n. 11 et 12). *Clerici autem et beneficiati non sunt de capitulo, nec sub capituli appellatione comprehenduntur...; et propterea ad ipsos beneficiatos jus statuendi spectare nullatenus potest.* (Rota, parte 7, decisio 76, 3 decembris 1635, recent.)

Neque enim dubium est, quin ea auctoritate, qua canonici et capitulum valent condere statuta in utilitatem ac honorificentiam ecclesiæ, præsertim annuente Episcopo, eadem potestate valeant antiquiori derogare. (Rota, parte 17, decis. 37, n. 11, 30januarii 1671, recent.)

In iis quæ concernunt mutationem seu innovationem antiqui status et statutorum ecclesiæ, necessario requiritur consensus Episcopi, quo secluso, remanet quodcumque statutum etiam capitulariter gestum absque robore. (Rota, in causa Ratisbo-

Digitized by Google

nensi 13 martii 1684, relata a Scarfantonio in *Collectione decisionum*, tomo II, adjecta, pag. 140, n. 11.)

Quidquid sit an capitulum sine jurisdictione posset facere statuta pœnalia..., cessat quæstio cum jurisdictio capitulo competit ex consuetudine. Planum est enim posse jurisdictionem acquiri vel concessione, vel præscriptione, vel consuetudine... Sufficit consensus Episcopi per longam tolerantiam... eaque consuetudo expresse comprobatur...; nec titulum exigit, sed sola longi temporis possessione inducitur...

Quin imo, submota consuetudine jurisdictionem tribuente (1), *capitulum adhuc haberet juris assistentiam pro ejusmodi animadversione in canonicos refractarios: potest etenim capitulum, etsi nullam habeat jurisdictionem* (2), *particularia sibi condere statuta pro sui regimine, dummodo neque statum ecclesiæ generalem tangant, nec Episcopi jura, ut omnes fatentur... Itidemque potest inobservantes, perturbatores et contumaces compescere per subtractionem fructuum et distributionum, seu vocis in capitulo ad tempus; non per viam contentiosæ jurisdictionis et in forma judicii, sed per modum domesticæ disciplinæ: quemadmodum sine usu et exercitio jurisdictionis pater castigat filium, magister discipulum, senior propinquum...*

Omne collegium habet, si non propriam jurisdictionem, impropriam saltem et œconomicam pro collegii directione; qualem in casu præsenti capitulum exercuit, procedendo sine strepitu et figura judicii, per modum domesticæ correctionis, quam unicuique capitulo competere dixit etiam Rota, parte 19, *recent. decisione* 254, *n.* 12; *et in Ilerdensi,* 16 *martii* 1705, § Non attenta, *coram Muto.* (Rota, decisio 22, coram Falconerio, 10 januarii 1721, in causa Barcinonensi.)

Præfatum statutum... non solum ex dictis rationibus de illegalitate redargui non posse videbatur...; sed nec etiam ex defectu facultatis capituli statuentis, quod ex juris dispositione non præpeditur statuta condere, etiam absque aucto-

(1) Nempe ad condenda statuta *pœnalia*, de qua jurisdictione agitur in casu; nam jurisdictionem ad condenda alia statuta capitulo aperte tribuit Rota, ut videre est in supra relata decisione anni 1635.

(2) Intellige semper quoad statuta *pœnalia*.

Digitized by Google

ritate Episcopi, quoties in illius præjudicium non vergant, ut docent, Barbosa (*c.* 42, *n.* 73), *Pignatelli* (*Consult.* 35, *n.* 32, *tom. IV*).

Attento jure pontificio, capitulis ecclesiarum veluti corpori mystico facultatem permittente statuta edendi, ac consuetudines illorum regimen concernentes inducendi. (Rota, parte 17, decis. 210, n. 9 in causa Avenionensi, 1671. Ubi citantur cap. 1, *De his quæ fiunt a majore parte capituli,* et omnes canonistæ de hoc capite disserentes. — Cap. unicum *De clericis non residentibus.* — Rota, decis. 229, coram Bellamera, et decis. 371, coram Pegna.) *Eadem facultate, qua in iis quæ ecclesiæ regimen concernunt, licet capitulis ecclesiarum statuta condere, licet quoque condita abrogare.* (Rota, parte 17, decis. 308, n. 9, recent.)

Capitulum in concernendo rem et personas capitularium potest etiam sine auctoritate Episcopi statuere. Quin imo concurrente scientia et longa patientia Episcopi (*ex quibus colligitur ejus consensus*), *potest capitulum statuere circa ea quæ etiam tangunt statum ecclesiæ suæ* (Rota, parte 3, recent., decis. 20, n. 6.)

Dubium non est (*capitulum*) *posse statuere circa obedientias et temporalitates suas certis modis et formis inter canonicos distribuendas.* (Rota, partis 4 tom. III, decis. 571, n. 5.)

III

Sacra Congregatio concilii, et concilium Romanum sub Benedicto XIII

Inutile duximus per longum citare sacram Congregationem concilii. Quis enim putet dum Rota doctrinam expositam adeo firmiter teneret, aliam in Congregatione concilii viguisse? Etiam ultimis temporibus utrumque tribunal constat idem sensisse; quod una aut altera tantum citatione palam facere satis erit :

« Tandem inest capitulo facultas propria decreta immutandi, « declarandi, revocandi, dummodo in his eadem quæ anteactis « decretis solemnitas intercedat. — Sacra Congregatio Episco- « porum et regularium 13 martii 1615. — Gavantus, t. II, *Ma- « nuale Episcoporum*, v° Capitulum — et Monacelli, *Formul. « leg.*, tit. 3, for. 2, n. 35. » (Votum secretarii sacræ Congregationis concilii, in Senegaliensi causa, 9 maii 1829; *The-*

Digitized by Google

saurus, pag. 49, t. LXXXIX.) « Cum vero collegia indubia « facultate polleant constituendi sibi jura normasque quibus « pareant, poterunt pariter *consensu tacito et longo usu* le- « ges inducere quibus legitime devinciantur. — Reiffenstuel, « t. IV, l. 1. n. 111 et 112. » (*Thesaurus resolut.*, tom. XCIII, pag. 130, anno 1833.)

Concilium autem Romanum anni 1725 memoramus, quia luculenter sua agendi ratione patefecit eidem se doctrinæ adhærere, quam supra vidimus a Sacra Rota pluries decisam. Cum enim Episcopi in illo concilio provinciali adunati non parvum æstimassent detrimentum quod sua cathedralia et collegialia capitula nulla fere certa statutorum norma regularentur, voluerunt huic malo mederi. Non tamen ipsi statuta illa condiderunt et capitulis imposuerunt, sed a capitulis ipsis condenda præceperunt, hoc modo : *Ecclesiarum capitulis... definite præcipimus ac mandamus, ut antiqua si qua habent statuta et capitulares constitutiones, depromant; et ubi non adsint, sex infra saltem menses post præsentis concilii publicationem, sub ecclesiastici interdicti pœna, omnino conficiant, et utraque, antiqua scilicet et nova... suos respective per Episcopos accurate examinanda et corrigenda deducant, atque approbanda præsentent.*

Episcopi igitur in iis examinandis, si quid contra jus, vel Tridentini concilii decreta aut pontificias constitutiones irrepsisse cognoverint, super eo Sedem consulant Apostolicam, a qua juris remedia expectent. Consuetudines autem non nisi rationabiles et honestas admittant; et si quas a ratione declinasse, vel contra breviarii vel missalis, cæremonialis Episcoporum, pontificalis vel ritualis romani rubricas inolevisse, ac proinde indebitam legis speciem usurpasse compererint, eas vel corrigant, vel omnino delenda decernant. (Tit. 2, c. 4.) In sequenti autem capite, dicit Benedictus XIII, se extendere illud decretum extra synodum ad *omnes metropolitanos*. (Conc. Rom. anni 1725, tit. 2, cap. 4.)

Digitized by Google

IV

Doctrinæ Suaresii analysis. (*De Legibus*, l. 4, c. 6.)

1. « Potest esse sermo vel de statutis obligantibus tantum « ipsummet capitulum, vel de pertinentibus ad totum Episco- « patum vel clerum. *Primo* ergo est certum, capitulum nihil « posse, vivente Episcopo, statuere de his rebus quæ ad alios « pertinent, quia nullam habet jurisdictionem. *Secundo* conve- « niunt omnes posse aliqua statuta facere pertinentia ad sei- « psum seu capitulares suos. Dubitant autem doctores an possit « ea facere per se sine consensu Episcopi, vel illum requirat. » Expositisque rationibus dubitandi, sic pergit Suaresius :

2. « Communis tamen resolutio est, minora quædam, quæ so- « lum pertinent ad bonum ordinem et regimen capituli, posse « ab ipso statui sine confirmatione Episcopi... In gravioribus « autem quæ spectant ad suæ ecclesiæ commoda, et ad obser- « vantiam antiquarum consuetudinum, necessarium esse con- « sensum Episcopi. » Exponit simul auctoritates quæ *communem* illam doctrinam firmant.

3. Refert postea objectionem, contra prædictam communem sententiam fieri solitam : « Capitulum nullam habet jurisdic- « tionem, neque magnam, neque parvam ; ergo nullam legem « omnino facere potest, quia lex essentialiter est actus jurisdic- « tionis. » Refert item responsionem quæ solet huic objectioni fieri, nempe : « Quod statuere in decisione causarum et super his « quæ pertinent ad jurisdictionem, est jurisdictionis proprie. At « vero statuere non esse jurisdictionis, quia universitates possunt « facere statuta in negotiis ad eas spectantibus, licet jurisdictio- « nem non habeant. » Tum quid ipse sentiat aperit hoc modo :

« Sed jam in superiori libro (c. 2) dixi, sine jurisdictione « non esse propriam legem, licet possit esse quædam regula « operandi ex conventione partium, habens aliquam vim obli- « gandi ex vi promissionis vel pacti, non legis. Unde in « præsenti dicendum est, vel capitulum habere jurisdictionem « ad condenda statuta proportionata tali communitati et tali « materiæ, vel ista statuta non esse proprias leges, sed ordina- « tiones quasdam sub aliqua fidelitate obligantes. Et si primum

Digitized by Google

« dicatur, consequenter asserendum est illam jurisdictionem « manare a Papa, haberique ex consuetudine, favente jure « communi et tacito consensu Pontificis. Neque id involvit ali- « quid repugnans, vel incommodum aliquod, sed potius valde « probabile est; quia capitulum clericorum capax est spiritualis « jurisdictionis... Si vero dicatur secundum, quod etiam est « satis probabile, dicendum consequenter est talia statuta non « obligare, nisi in vi juramenti quod fieri solet, et in vi pacti « et promissionis quæ solet etiam intercedere. »

4. Confutat distinctionem inter statuta *directiva* et *coactiva* seu pœnam imponentia, ad quam recurrunt aliqui auctores, asserentes coactiva non posse fieri a capitulo, bene vero directiva : « Non video esse necessariam differentiam illam de lege « pœnali vel non pœnali : nam cum jurisdictione utraque fieri « potest, et sine jurisdictione neutra ferri potest tanquam vera « lex : in vi autem promissionis utroque etiam modo fieri po- « test; sicut quotidie fiunt pacta pœnalia... Verum tamen est « hanc privatam correctionem non posse extendi ad pœnas « quæ ex jurisdictione pendent, ut sunt censuræ. »

Hæc Suaresii doctrina sic resumi posse videtur : 1° Certum est capitulum posse condere aliqua statuta; 2° potest sine consensu Episcopi statuere de minoribus quæ pertinent ad bonum ordinem et regimen capituli, non de gravioribus; 3° incertum remanet an statuta a capitulo condita sint veræ leges ex jurisdictione quam haberet capitulum manantes, an tantum obligent vi pacti et promissionis; 4° possunt autem ista statuta esse etiam pœnalia.

V

Citantur nonnulli alii doctores.

1° Rubeus. — Sic habet in opere suo cui titulus *Singularia ex Rotæ decisionibus* (tom. I, pag. 303, edit. Romæ, 1624), disserens in decisionem diei 3 decembris 1593, coram Corduba, in causa Ilerdensi :

« Ubi dicitur quod capitulum non potest statuere super resi- « dentia, vel super statu ecclesiæ sine consensu Episcopi, « maxime quando statuit impositionem pœnæ, quia est juris-

Digitized by Google

« dictionis, quæ non cadit in capitulares, nisi sede Episcopali « vacante... Agebatur autem in ista decisione de residentia « succentoris cum pœna.

« Et in Ilerdensi, 19 martii 1597 : quod capitulum regula- « riter statuere potest in ecclesia sua, in rebus quæ non concer- « nunt statum ecclesiæ, etiam sine Episcopo, juxta glossam « receptam in caput 2, *De verborum significatione*, in sexto ; « ad quam, uti notabilem recurri dicit Imola (in caput *Cum* « *omnes*, *De constitutionibus*), Abbas..... et Calderus... dicens, « in omnibus casibus in quibus de jure expressum non est quod « capitulum cum Episcopi consensu statuat, posse solum statuere. « Agebatur autem de statuto capituli circa vestes in choro. »

2° Pitonius. — « Ex juris dispositione non præpeditur (capi- « tulum) statuta condere, etiam absque auctoritate Episcopi, « quoties in illius præjudicium non vergant. » (Controversia patronorum, allegatio 90, n° 63, t. II.)

3° Pignatelli. — « Capitula possunt aliqua decernere circa ea « quæ pertinent ad capitulum, ut docent communiter doctores; « quia seorsum ab Episcopo est quoddam corpus (ex cap. unico « *Ne sede vacante*, in 6); et ideo potest habere proprium « motivum quo se dirigit secundum propriam exigentiam. » (T. X, Consult. 138, n. 16.)

4° Ceccoperius. — « Capitulum sive collegium non debet esse « exlex, id est, sine lege; et propterea canonicis capitulariter « congregatis, unum corpus mysticum constituentibus, a jure « communi, statim facta erectione, confertur facultas per se « libere condendi quædam statuta de rebus minoribus, ad « bonum ordinem et regimen capituli pertinentibus, nullo facto « verbo cum Episcopo. » Ita Ceccoperius (l. 4, tit. 10, n. 43), qui jus illud commune ingenti auctoritatum serie confirmat. Postea objectum hujus facultatis capitulo competentis sic in specie determinat :

« Ad hujusmodi jurisdictionem reducitur, canonicos posse « per se statuere circa administrationem bonorum capituli et « mensam grossam ; ac modum bene distribuendi distribu- « tiones; et quomodo sit conveniendum et faciendum capitu- « lum; et quod certis temporibus et horis canonici, vel non « vocati, accedant ad locum capitularem; et similia. » Et ad-

Digitized by Google

ductis iterum multis auctoritatibus, sic pergit laudatus auctor : « Possuntque canonici, absque alia facultate, statuere super « divisione oblationum; circa ordinationem chori et modum « distribuendi officia inter capitulares; quando, quo loco et « quomodo debeant congregari; quo pacto ibi suffragium ferant; « quo ordine sedere, et quas vestes chorales deferre debeant in « capitulo.

« Atque iisdem canonicis liberum est hujusmodi statuta et « ordinationes juramento vallare; ac pœnas contra transgres- « sores adjicere, dummodo omnes et singuli capitulares con- « sentiant.

« Nec urget, si dicatur nullum corpus sive collegium posse « aliquid decernere sine suo capite principali, ut desumitur ex « capite *Cum esset, de constit.* ; nam hoc intelligitur in rebus « gravioribus, non in minoribus insinuatis et similibus, in qui- « bus capitulum est distinctum ab Episcopo.

« Atque prædicta capituli et canonicorum auctoritas hujus- « modi statuta et decreta condendi, procedit tam de canonicis « collegiatæ quam cathedralis ecclesiæ.

« Hujusmodi tamen decreta non inducunt perpetuum statu- « tum in successores, sed obligant tantummodo statuentes, nisi « illi in eorum receptione juraverint observare.

« Capitulum non potest ab Episcopo privari ante dicta fa- « cultate statuendi circa minora; nec jam edita statuta similia « auferre (potest Episcopus), nisi fuerint ecclesiasticis institutis « contraria.

« De his tamen decretis et ordinationibus bonum erit, ad « majorem obligationis nexum, petere ab Episcopo ipsorum « confirmationem, licet non sit de necessitate. Ita Suarez (*De* « *legibus*, l, 4 , c. 6).

« Possunt etiam canonici absque scitu Episcopi, de per se « statutum ferre circa ea quæ de jure communi reperiuntur « disposita, innovando canonis, sive pontificiæ constitutionis « ordinationem. Et licet quibusdam videatur tale statutum ad « nihilum valere et frustra occupare membranam, nil secius « arbitror non esse dicendum supervacaneum : namque opera- « tur *primo*, quod multi nescientes jus commune, audientes « statutum sic disponens, illud addiscunt. *Secundo*, plus solet

Digitized by Google

« compescere statutum quam jus commune, siquidem magis « timetur quod specialiter jussum reperitur. *Tertio* producit « saltem effectum paternæ monitionis. *Quarto*, si fuerit jurata « ejus observantia, addit vinculum juramenti. Et majorem « habebit obligationem, si insuper ejus transgressoribus adji- « ciatur aliqua pœna pecuniaria. *Quinto* et ultimo, quia sublato « jure communi, non remanet abrogatum statutum.

« Juxta hæc summopere adnotandum, capitulum et cano- « nicos non posse circa ardua et graviora, quæ non concernunt « debitum suæ ecclesiæ servitium, nova statuta edere, nisi acce- « dente consensu Episcopi, tam in vestibulo collegiatæ, quam « deinde. Ratio est quia hæc decernenda sunt saniori judicio « Episcopi, in quo non præsumitur ignorantia juris, sed « habere omnimodam scientiam ad gubernationem tempora- « lium et spiritualium omnium ecclesiarum sibi subjectarum, « in quibus est caput. »

« Quod si capitulum et canonici hujusmodi statuta, quæ de « consensu Episcopi possunt condere, absque ejus scitu condi- « derunt, dicuntur imperfecta et nullum jus producunt, quia « in statuentibus deest auctoritas. »

« Iste Episcopi consensus, qui dicitur essentialis, *non exigi-* « tur necessario in ipso actu. »

Addit auctor non ita esse de *licentia* quæ de jure præcipitur obtinenda ab Episcopo in aliis actibus. Non sufficit illam subsequi dictos actus, sed requiritur, et quidem expressa, ut actus isti fiant capitulo liciti. « In statutis vero quæ fiunt a canonicis, « satis est postea consensum præstari ; atque, Episcopo ratifi- « cante, convalescunt statuta de rebus gravibus peracta, quæ « antea nullius erant roboris. Atque hujusmodi confirmatio « operatur ne ulterius de actus invaliditate quæratur. »

« Imo, Episcopo præsente in capitulo in quo conditum fuit « aliquod statutum, si taceat, videtur tacite consentire : nec opus « est alia approbatione vel consensu, cum sufficiat tacitus. »

« Ad hæc si vicarius generalis Episcopi fuerit consentiens « hujusmodi statutis, præsumitur Episcopus de his notitiam « habere ac approbare.

« Capitulum potest, ut indicavimus, statuta etiam de arduis « condere irrequisito Episcopo, reservato ejus beneplacito et

Digitized by Google

« consensu ; quem si postulatus dare in statutis licitis et honestis « recusaverit, adeundus est Archiepiscopus qui consentiat, et « in eventu quo Episcopus nulli Archiepiscopo sit subjectus, « recurrendum est ad Summum Pontificem. »

« Ut canonicorum statuta sint valida, non solum debent esse « capitulariter peracta et publicata, sed debent esse in scriptis « redacta. » Et licet Suarez et alii communiter doceant scripturam non esse de substantia legis, sustinet Ceccoperius illam esse necessariam pro statutis quæ fiunt ab inferioribus principis et specialiter a canonicis.

« Omnes consuetudines ecclesiæ bonum etiam erit in libro « describere, ne sit in potestate alicujus falso allegare consue- « tudinem ; sed hoc non est necessarium, quia obligant licet « non sint scriptæ. »

« Consuetudines scriptæ non vocantur statuta, sed semper « remanent in sua specie, nisi statutum mandaret servari talem « consuetudinem, quia tunc assumit vim statuti. »

« Ne aliquis ex canonicis noviter receptis possit conqueri se « realiter non habuisse statutorum notitiam, solent in capitulo « bis in anno legi... Et propterea in canonico allegante statuto- « rum ignorantiam, præsumitur dolus. »

« Capitulum etiam de expresso Episcopi assensu non valet « quidquam statuere quod cum jure pontificio pugnet (cap. *In* « *sancta*, 2, quæst. 2). Nec ipse Episcopus potest constitutiones « facere juri canonico adversantes. (Fragosi l. 1, dub. 1, « n° 48, t. II.)

« Possunt vero canonici, annuente Episcopo, contra synodicas « sanctiones, juri canonico non contrarias, statuere, et statutum « esset servandum. »

« Quamvis capitulum statuere nequeat contra leges pontifi- « cias, potest tamen adversus eas consuetudinem introducere. »

« Ad præscribendam consuetudinem contra jus canonicum « exigitur tempus quadraginta annorum quando lex fuit « ab initio recepta. Sufficiunt vero decem anni si lex, sta- « tutum aut constitutio non fuerint ab initio recepta. »

« Capitulum et canonici possunt introducere consuetudinem « multo fortius præter jus ; et hæc decem annorum intervallo « inducitur. »

Digitized by Google

« Canonici, consentiente Episcopo, possunt capitulariter per-
« agere rationabilia statuta præter jus... Unde possunt statuere
« canonicos infirmos extra locum residentiæ non participare
« de distributionibus. »

« Capitulum potest, imo deberet statuere ut canonici, legi-
« time non impediti, interveniant concionibus quæ in eorum
« ecclesia fiunt in Quadragesima ; quibus adempto etiam statuto
« tenentur assistere sub pœna amissionis distributionum illius
« diei, ex iterato Sacræ Congregationis decreto. »

« Similiter per statutum possunt disponere quod nemo reci-
« piatur in canonicum, nisi prius juret quamdam majorem
« residentiam quam sit a jure statuta. » (*De canonicis*, lib. 4, tit. 10.)

5° Andreucci : « Capitulum sede plena, licet habeat jurisdictionem habitualem, id est, in habitu, in diœcesim, nullam tamen habet actualem; hinc nihil potest decernere de his quæ non pertinent ad ipsummet capitulum, verbi gratia ad diœcesis et diœcesanorum gubernationem.

« Potest minora quædam, quæ pertinent ad bonum ordinem et regimen capituli statuere, etiam sine expresso consensu ac confirmatione Episcopi : eaque statuta non erunt in rigore *leges*, sed ordinationes quædam sub aliqua fidelitate obligantes. Ita ex variis textibus ac doctoribus apud Suarez (*De legibus*, l. 4, c. 6). Arguitur ex capite *Cum omnes, De constitutionibus.* »

« Graviora autem quæ spectant ad ecclesiæ cathedralis commodum, et ad observantiam antiquarum consuetudinum, non potest capitulum, nec decernere, nec immutare, aut quidquam circa illa statuere sine consensu Episcopi. Arguitur ex capite *Cum accessissent, De constitutionibus,* apud Suarez loco citato.

« Quænam vero sint et cujus generis ea minora, quæ possunt a capitulo statui sine confirmatione Episcopi, referuntur ab Anacleto Reiffenstuel (tit. 2, *De constitutionibus*), eaque sunt hujusmodi : v. g. quod certo modo quotidianæ obventiones distribuantur, quod tali ordine aut ad pulsum hujus vel illius campanæ canonici ad chorum, aut capitulum vocentur, vel determinatis temporibus canonici etiam non vocati ad capitulum compareant, etc. Et úniversim ea fere omnia quæ con-

Digitized by Google

cernunt ordinationem chori, ex Rota (3 decembris 1593, coram Corduba).

« Hæc porro de his rebus statuta potest capitulum condere absque participatione beneficiatorum, qui tanquam ministri ecclesiæ tenebuntur illis parere, ex Rota (decis. 67, coram Merlino), et ex Pignatello (consult. 49, tom. VI).

« Imo contra clericos delinquentes in choro vel non recte pronuntiando, vel non assistendo, vel recedendo ab eodem choro absque licentia decani vel præpositi, poterit capitulum aliquas salutares pœnitentias leves extrajudicialiter et ad correctionem injungere. (Ex Rota, decis. 432, part. 3. Apud Clericatum part. 3, discurs. 6). Dixi extrajudicialiter; nam capitulum nullum habet jus procedendi judicialiter contra clericos delinquentes suæ ecclesiæ, etiamsi delicta sint levia et ejusmodi ut non mereantur pœnam corporalem, ut constat ex Trid., sess. 24, c. 20, *De ref.*

« Huc revoces quod Nicolius (in *Flosculis*) refert decisum a Sacra Congregatione (in Fundana, 1602), non posse canonicos affigere in ecclesia vel sacristia scripturam aliquam concernentem servitium ecclesiæ sine consensu Ordinarii.

« Ea vero graviora quæ nequeunt statui a capitulo, sed necessario requirunt consensum Episcopi, universim explicuit Suarez per ea verba : *Quæ spectant ad ecclesiæ cathedralis commodum, et ad observantiam antiquarum consuetudinum :* verbi gratia, non potest capitulum concedere ut canonici absint ultra tres menses a residentia : non potest permittere extinctionem seu affrancationem, quam vocant, pensionis relictæ fabricæ, sacristiæ, vel ecclesiæ, et alia ejusmodi : sicuti nec abstrahere commodando, vel locando, mobilia aut supellectiles pretiosas ejusdem ecclesiæ vel sacristiæ, etc. Nam regimen et administratio ecclesiæ cathedralis et bonorum ejusdem ecclesiæ spectat cumulative ad Episcopum et capitulum. (Felinus, in cap. *Edoceri.* — Pignatellus, tom. VI, cons. 49.) Notat Barbosa (*De jure eccl.*, l. 1, c. 32) fuisse olim, die 23 augusti 1631, decisum a Sacra Congregatione concilii (in una *Naxien.*), quod paramenta nova et antiqua mutare possint canonici absque consensu Episcopi, sicuti etiam de aliis mobilibus non pretiosis disponere, dummodo non adsit consuetudo ut de consensu Episcopi id fiat. Hinc

Digitized by Google

etiam nequit capitulum admittere sine consensu Episcopi fundationes missarum, et anniversariorum; imo probabilius videtur quod sine tali consensu et sine solemnitatibus, nec valide, nec licite possit repudiare rerum immobilium sive pretiosarum hæreditatem, vel legatum, vel donationem factam ecclesiæ, ut bene docent Azor, Molina, Engel, etc., contra Barbosam, Sanchez, Reiffenstuel.

« Illud etiam sciendum quod capitulum potest sine consensu Episcopi donare jus patronatus sibi competens jure proprio in beneficio, alteri ecclesiæ vel loco pio, vel clerico, nomine ecclesiæ seu dignitatis quam obtinet... tradunt communiter doctores... Verum non potest illud donare laico, aut etiam clerico tamquam personæ privatæ, sine consensu Episcopi.

« De reliquiis existentibus sub dominio et potestate ecclesiæ cathedralis, puto quod capitulum possit aliquod earum frustulum, pietatis causa, personæ exteræ et bene meritæ elargiri, ita tamen ut pietas dilatetur quidem, sed ecclesiæ decor non deficiat...; nisi aliter ferat consuetudo aut expressa Episcopi prohibitio. Sanctus Carolus Borromæus, ut extat in ejus vita, l. 8, c. 2, obtinuit breve pontificium quo prohibebatur, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne reliquia ulla amoveretur e sua ecclesia sine consensu Summi Pontificis. »

Generatim nequit, etiam consentiente Episcopo, quæ repugnant juri communi.

« Sic capitulum, etiam de consensu Episcopi, nequit statuere quod descendentes ex genere infecto, verbi gratia, judæorum, cæteroquin tamen digni, non admittantur ad beneficia ecclesiastica; quia est contra caput *Eam te, De rescriptis.* » (Andreucci, part. 3, n. 142.)

Item statuere nequit « quod non admittantur canonici, nisi probata nobilitate, quia est contra caput *Venerabilis* 87, *De præbendis.* Excipias illas ecclesias in quibus ex primæva fundatione nobilitas exigitur. Limites etiam, nisi hæc aut ejusmodi statuta fuerint a Sede Apostolica approbata. » (Idem, ibid.)

« Demum nec de consensu Episcopi potest capitulum statuere quod capiens possessionem canonicatus aut beneficii, teneatur aliquid solvere convertendum in commodum aliorum canonico-

Digitized by Google

rum ; hoc enim tamquam simoniacum reprobatur in canone *Si quis præbendas*, 1, q. 3. »

In his quæ tangunt interesse beneficiatorum, nequit capitulum statuere sine eorumdem beneficiatorum assensu. (Ex Rota, decis. 57, coram Cavallerio.)

« Quamvis capitulum, ut diximus, quædam leviora possit statuere sine consensu Episcopi, quatuor tamen conditiones requiruntur ut valeat conditum a capitulo statutum ; sicuti notat Barbosa (*De jure eccles.*, l. I, c. 2). *Primo* scilicet, ut capitulares consentiant in tale statutum, non quovis in loco, sed in domo seu conclavi ad capitula celebranda deputato, canonicis non quomodocumque vel singulariter, sed per modum communitatis astantibus. *Secundo*, quod duæ saltem partes capitularium adsint. *Tertio*, ut omnes fuerint vocati ; alioquin unus contemptus seu non vocatus cum vocari debuisset, posset reclamare actumque irritare, nisi ob bonum pacis postea consentire voluerit. *Quarto*, ut major et sanior pars illorum qui adsunt statuto consentiat. Quod de statuto diximus, intelligas etiam de mandato, commissione, etc. »

« Dixi superius statuta quæ fecerit capitulum de rebus levioribus non esse in rigore leges, sed meras obligationes, ordinationes, etc., ob defectum nempe jurisdictionis in capitulo sede plena : nam quamvis eam illi inesse pro his levioribus decernendis velint nonnulli, sive ex communi consuetudine, sive ex tacito consensu Pontificis, contraria tamen opinio videtur probabilior : unde ejusmodi capituli statuta non habent vim obligandi ex præcisa potestate et voluntate ea ferentis, sed ex vi pacti, promissionis et juramenti, quo singuli capitulares promiserint quod illa acceptabunt et observabunt, ut notat Sylvester (voce *Lex*, q. 4). »

« Hinc fit locus dubitationi, an capitularis teneatur ad observantiam talium statutorum, quando major pars capituli ea non observat. Respondeo cum Sanchez (*De juram.*, c. 15) negative, dummodo de opposita jurantis aut promittentis mente non constet. Ratio est quia in tali casu inobservantiæ, non putatur quis se obligasse, sed duntaxat se obligasse pro casu quo statutum in ea universitate observaretur : constat autem quod in ea universitate non observetur, quando de facto a majori ejus parte non ob-

Digitized by Google

servatur. Propterea quærit Azorius (Part. I, l. II, cap. 8), quid censendum sit de iis qui in capitulum admittuntur ac jurant se statuta servaturos? Et respondet eorum jusjurandum interpretandum eo sensu, nimirum se servaturos ea prout sunt in more posita, hoc est prout solent a toto capitulo vel majori ejus parte servari.

« Dubitatur etiam an statutum factum a capitulo obliget successores? Respondeo : vel tale statutum fuit ab Episcopo confirmatum confirmatione essentiali... vel non. Si fuerit ita confirmatum, certum est quod obliget successores, quia censetur tale statutum emanasse a jurisdictione et auctoritate Episcopali. Si vero non fuerit ita confirmatum, certum est adhuc quod obliget; sed non facile de hoc redditur ratio, supposita carentia omnis jurisdictionis in capitulo sede plena... Existimo quod successores teneantur illud servare, tum ex vi pacti quod tacite intercedit inter successores et capitulum..., tum ex eo quod capitulum semper unum et idem numero perseverat, tam in omnium existimatione, quam juris fictione... Unde si semel capitulum per statutum se obligavit, semper remanet obligatum, donec illud statutum non revocetur.

« Dixi supra, si fuerit confirmatum confirmatione *essentiali*, ab Episcopo; nam est aliud genus confirmationis quod dicitur « accidentale.

Ut valeant statuta capituli, semper necesse est ut Episcopus non contradicat. « Nam quoad hoc ille semper habet superiorem auctoritatem et jurisdictionem. » (Andreucci, part. 3, n. 150, *De tuenda concordia episcopum inter et capitulum.*)

§ 2

DETERMINATUR JUS COMMUNE CIRCA POTESTATEM LEGISLATIVAM CAPITULI

Propositio 1ª. — *Capitulum potest statuta aliqua sibi condere.* — Illa potestas capitulo tribuenda est, quam ad ipsum pertinere canonistæ atque theologi communiter tamquam certum ex jure communi tenent; et quam pariter capitulo constanter tribuunt romana tribunalia a Summis Pontificibus ad declarandum jus canonicum et ad decidendas circa idem jus

Digitized by Google

controversias instituta : atqui, ex modo collectis auctoritatibus, potestas aliqua condendi statuta, et a communi doctorum sententia, et a prædictis tribunalibus capitulis omnino tribuitur : ergo certissima est ex jure communi ea quam in propositione enuntiamus capitulorum potestas.

Præterea, capitulum est aliqua species universitatis seu collegii legitime existentis ; atqui omne collegium seu omne corpus sociale existentiam legitimam habens, hoc ipso de jure communi potestatem habet sibi aliqua condendi statuta, quorum ope et seipsum apte ordinet, et finem sibi proprium efficaciter attingat. Id pariter tenent doctores communiter et pluries habetur in decisionibus Rotæ : idem præterea dictat recta ratio, ita ut ex jure naturali concludi possit ; nam hoc ipso quod aliquibus hominibus confertur facultas in societatem aliquam coeundi, id est, sese constituendi in forma collegii et efficiendi aliquod corpus sociale distinctum, ad prosequendum aliquem finem sibi proprium, collata simul ipsi censenda est facultas sese regulandi in ordine ad dictum finem, quod absque statutis nequit fieri ; unde etiam repugnat in terminis legitime existere aliquod collegium proprie dictum, aliquam societatem distinctam, et non posse per se ipsam quidquam statuere.

Propositio 2ª. — *Capitulum potest aliqua statuta sibi condere absque Episcopi auctoritate aut consensu.* — Hæc propositio certa demonstratur iisdem omnino argumentis ac præcedens. Eadem scilicet quoad ipsam occurrit doctorum unanimitas ; eadem tribunalium Romanorum in ipsa firmanda constans praxis ; eadem ex jure naturali rationum momenta.

Propositio 3ª. — *Capitulum potest absque Episcopi consensu statuere generatim circa ea quæ nec statum generalem ecclesiæ, nec ipsum Episcopum aut ipsius jura concernunt.* — Hanc propositionem certam facit glossa superius relata : illa enim glossa, utpote canonizata per communem doctorum sententiam et per Romanorum tribunalium decisiones, in regulam juris transiit : porro ipsius verba omnino perspicua sunt : *Si vero statuat super iis quæ non tangunt Episcopum, vel statum ecclesiæ* (1), *sed sua singularia, satis potest dici quod super*

(1) Per illa verba *Statum ecclesiæ*, textus juris et doctores intelligunt, non diœcesim, sed ipsammet ecclesiam cathedralem seu collegiatam, in qua extat capitulum.

Digitized by Google

his teneti psius capituli constitutio, sine Episcopo. Item certam faciunt propositionem variæ decisiones Rotæ quas modo retulimus, et quæ idem omnino exprimunt. Tandem certa etiam probatur propositio ex communi doctorum sententia; quod autem communis revera sit inter canonistas illa doctrina, testatur Rota, testantur magni nominis doctores, ut videre est in collectis supra auctoritatibus; et præterea lector ex collectis eisdem auctoritatibus idem concludere potest.

Objectio : — Andreucci et alii quidam auctores concedunt tantum capitulis potestatem statuendi *in minoribus :* sed si ita sit, non affirmandum est generatim ipsi competere facultatem circa ea, quæ nec statum generalem ecclesiæ, nec Episcopum concernunt. — Respondeo: 1° Rota quæ multo accuratius loqui solet quam plerique privati canonistæ, in octo relatis decisionibus non utitur distinctione inter *leviora et ardua* negotia, sed inter ea quæ concernunt, vel non, statum ecclesiæ et Episcopum. 2° Glossa citata, quæ pro regula juris habenda est, concedit pariter potestatem statuendi in iis *quæ non tangunt Episcopum vel statum ecclesiæ.* 3° Auctores qui dicunt capitulum posse tantum statuere in minoribus, non negant ipsum posse statuere circa ea quæ non concernunt Episcopum aut statum generalem ecclesiæ, sed hoc ipsum, *statuere in iis quæ non tangunt statum ecclesiæ et jura Episcopi,* vocant *statuere in minoribus ;* quia revera quæ non tangunt, nec statum cathedralis, nec Episcopum, sed tantum ipsum capitulum, inter minora reputanda sunt. Unde duæ illæ formulæ in re synonymæ sunt; ac proinde non est oppositio inter eos qui una utuntur, et eos qui altera. Aptior tamen illa quam in propositione posuimus, quia minus vaga, et potestatem legislativam capituli magis determinate definiens.

Propositio 4ª. — *Potest capitulum etiam pœnalia statuta condere, modo pœnæ eæ sint quæ non excederent jurisdictionem mere œconomicam seu improprie dictam.* — 1° Quod possit statuta pœnalia condere, est constans doctrina Rotæ, quam veluti certam tradit Suaresius, ut videre est in præmissa, sub paragrapho præcedenti, collectione textuum; et haberi debet tamquam communis doctorum sententia. Si quem enim reperire est qui neget posse pœnas a capitulo infligi, interpretandus est

Digitized by Google

eo sensu, quod capitulum non possit per modum judicii et viam contentiosæ jurisdictionis pœnas in delinquentes statuere; non autem eo sensu quod non possit pœnas aliquas sancire et applicare extrajudicialiter et per viam disciplinæ œconomicæ.

2° Quod tamen non possit excedere pœnas illas quas legitime infligeret jurisdictio improprie dicta seu mere œconomica, est etiam doctrina inter doctores communiter recepta. Licet enim plures capitulo tribuant (ut nos etiam infra tribuimus) jurisdictionem proprie dictam, illam tamen ita limitatam esse dicunt (ob finem ad quem ipsi ab Ecclesia conceditur), ut, quoad pœnas suis membris infligendas, non magis valeat quam si esset mere œconomica seu improprie dicta.

Propositio 5ª. — *Licet Episcopus statutis a capitulo conditis contradicere possit, non tamen potest contradicere ex alio titulo quam quod capitulum excesserit potestatem ipsi a jure communi concessam.* — Si enim ex mero beneplacito suo posset Episcopus quodlibet statutum a capitulo conditum irritare, falsum omnino esset capitulo competere potestatem aliqua statuendi sine consensu Episcopi; atqui ex secunda ac tertia propositione certum est e contra posse capitulum sine consensu Episcopi aliqua statuere; ergo... Unde potest quidem et debet Episcopus invigilare ne capitulum aliquid statuat, vel nocivum, vel juri communi contrarium, et etiam ne absque sua auctoritate decernat de rebus statum generalem ecclesiæ aut jura Episcopalia tangentibus: sed in casu quo capitulum contenderet se non excessisse suam potestatem, nulloque vitio suum statutum laborare, et contrarium existimaret Episcopus, ad tribunal superius res deferenda esset; quod expresse admonet supra citatum concilii Romani decretum. Et ideo jus habet Episcopus capitulares cogendi ut omnia sua statuta et decreta ipsi ostendant; quia nempe jus habet invigilandi ne capitulum illegitima attentet, et, si excesserit, ipsum juridice plectendi et coarctandi intra proprios limites.

Propositio 6ª. — *Potest capitulum, inconsulto Episcopo, statuere etiam circa ardua et statum ecclesiæ et jura Episcopi tangentia: sed nulla et irrita remanent talia statuta donec accesserit consensus Episcopi, saltem tacitus, et saltem ex longa tolerantia suppositus.* — Ita collectæ in præcedenti paragrapho

Digitized by Google

auctoritates. Unde non sine præjudicio suæ auctoritatis negligenter hac in re agerent Episcopi. Si enim non curent de iis quæ statuuntur a capitulo, poterit condi aliquod decretum jura Episcopalia tangens. Cui nisi contradicant, jam elapso sat longo tempore, valebit de jure communi ex tacito Præsulum consensu; ita ut licet initio irritum fuerit, tamen postea valeat.

Propositio 7ª. — *Regimen et administratio ecclesiæ cathedralis pertinet simul ad Episcopum et ad capitulum: unde et ad utrumque pertinet statuta de his condere.* — « Sacrosancta « Tridentina synodus decrevit (sess. 22, c. 3, *De ref.*) Episcopos « etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegatos formam choralis « servitii posse statuere... Si igitur forma servitii ab Episcopo « est præscribenda, et de horario disponat oportet; cui consonat « et Clementina I (*De celebratione miss.*) quam exornat Mona- « celli (parte I, tit. 5, nº 32): *Cura erit Episcopi visitatoris re- « cognoscere tabellam horariam, et quatenus non adesset, aut « inordinatam inveniat, illam præfinire seu reformare non « negligat.* » (*Thesaurus resol.* S. Congregationis concilii.)

Inspecto jure communi, jus condendi statuta respicientia statum ecclesiæ competit soli Episcopo et capitulo. (Rota, decis. 423, n. 1, partis IV, tomo I, recent.)

Cum capitulum una cum Archiepiscopo in concernentibus divinum cultum et servitium ecclesiæ facultatem habeat statuendi. (Rota, partis IV, tomo I, decisio 494, n. 6, recent.)

Cum in concernentibus administrationem et regimen ecclesiæ, capitulum habeat a jure amplissimam potestatem..., et in specie circa respicientia ordinationem chori fuit decisum in Ilerdensi (3 *decembris* 1593, *coram Corduba*); *possitque desuper leges et statuta condere, etiam absque ulla participatione beneficiatorum et capellanorum.* (Rota, decisio 1675, coram Caprara, in Ilerdensi, 9 junii 1704.)

Ex juris dispositione et receptissima doctorum sententia statuitur, regimen et administrationem ecclesiæ cathedralis pertinere ad capitulum cumulative cum Episcopo (hic citantur plures aliæ Rotæ decisiones et plures auctores inter quos Pignatelli consult. 49, tom. VI, et consult. 86, t. IX; Barbosa, *De canonicis*, c. 42, n. 3 et 15): *Prout cumulative etiam pertinere administrationem capellaniarum cathedralis dixit Rota*

Digitized by Google

(*dec.* 455, *n.* 4, *part.* 4, *rec.*). *Quamobrem fundationes missarum et anniversariorum de quibus agitur, cum respiciant administrationem et regimen ecclesiæ, recipi nequeunt per Dignitates cum solo consensu Episcopi et sine illo simultaneo capituli; nam quoties requiritur consensus duorum, sufficiens non est consensus unius, sed amborum intervenire necesse est.* (Rota, decis. 1620, coram Caprara, in Gerundinensi, 15 decembris 1702.)

Notanda sunt valde verba hæc Tridentini de servitio chori: *juxta formam ab eisdem Episcopis præscribendam.* Tribuitur quidem Episcopis potestas determinandi formam servitii choralis; sed non excludi potestatem capituli circa idem statuendi, ac proinde non tribui Episcopo prædictam facultatem nisi cum assensu capituli exercendam, concludendum est ex allatis Rotæ decisionibus: secus enim falsæ essent illæ decisiones, et falsa esset *receptissima doctorum sententia.*

Propositio 8ª. — *Circa regimen et administrationem ecclesiæ cathedralis, nec capitulum sine consensu Episcopi, nec Episcopus sine consensu capituli, potest valide statuere, aut iam mutuo assensu stabilita mutare.* — Videtur sequi ex propositione præcedenti, ex eo scilicet quod in tali materia capitulum habeat ex jure communi potestatem statuendi *cumulative cum Episcopo.* Unde etiam, in tali materia, si quid nondum determinatum fuit, poterit Episcopus in statuendo prævenire capitulum, et vicissim capitulum prævenire Episcopum; et qui ab altero præventus est, debet statuto assentire, nisi ob irrationabilitatem rejiciendum contendat. In casu autem contentionis, non valebit statutum, nisi sententia tribunalis superioris validum declaretur.

Propositio 9ª. — *Statim ac erectum fuit aliquod capitulum, ad ipsum de jure communi pertinet sibi statuta condere.* — Sequitur ex eo quod habeat jus, etiam sine assensu Episcopi, statuendi in iis quæ non tangunt statum ecclesiæ nec præjudicant Episcopo. Et cum ad rectum capituli regimen omnino conferant aliqua certa statuta ab omnibus observanda, poterit Episcopus capitulum cogere ut hujusmodi statuta sibi condat. Imo vidimus supra concilium Romanum, sub Benedicto XIII, id sub pœnis capitulis injunxisse. Illius tamen concilii provincialis

Digitized by Google

Præsules non ipsi statuta condiderunt et canonicis imposuerunt. Non enim potuissent ea decernere quæ jus commune exclusive capitulis statuenda permisit.

Propositio 10ª. — *Ad eosdem pertinet statutorum correctio et mutatio ad quos pertinuit de jure communi confectio.* — Ea scilicet quæ capitulum potuit absque Episcopi auctoritate statuere, a capitulo solo erunt corrigenda et immutanda. Ea quæ Episcopus potuit absque consensu capituli injungere, poterunt a solo Episcopo abrogari et corrigi. Ea vero quæ utriusque consensu debuerunt edi, non poterunt nisi ex utriusque consensione pati reformationem.

Propositio 11ª. — *Videtur potestatem condendi statuta quæ capitulis competit esse jurisdictionis proprie dictæ, licet ad leviora quædam restrictæ.* — Vidimus in præcedenti paragrapho sententiam illam a Suaresio habitam fuisse tamquam *valde probabilem;* oppositam autem tamquam sat probabilem. Porro quod Suarezio *valde probabile* fuerat, tanquam omnino certum habuit Rota : *De jure communi potestas ferendi leges seu statuta condendi, super rebus et negotiis ad ecclesiam pertinentibus et pro ipsius tranquillo regimine, residet penes capitulum; cui, tamquam corpori mystico, Pontifices contulerunt jurisdictionem... ut bene disserit Suarez.* (*De legibus*, l. iv, c. 6, n. 11 et 12.)

Propositio 12ª. — *Statuta a solo capitulo legitime confecta, et a fortiori si ab Episcopo vel a Sede Apostolica fuerint approbata, obligant singulos capitulares, etiam successores eorum qui statutum condiderunt.* — « Canonici in comitiis coacti contrariam antiquæ consuetudini subscripserunt legem; ac propterea nunc, velint nolint, eidem parere obstringuntur, siquidem constitutiones et statuta collegii peculiare constituunt jus ab omnibus de gremio ejusdem collegii inviolabiliter observandum. » (*Thesaurus resolutionum* Congregationis concilii, tomo anni 1829, pag. 200.) Ibidem citantur duæ Rotæ decisiones in eumdem sensum, nempe *in Neapolitana*, 9 *februarii* 1753, *coram Bussi*, et in *Barcinonensi*, 21 *januarii* 1752, *coram Canilliac.*

« Statutum namque, veluti privata lex, venit semper religiose « servandum per quoscumque de gremio collegii vel capituli exis-

Digitized by Google

« tentes, ut per glossam communiter receptam (in cap. 2, *De* « *verborum significatione*) passim dixit Rota; et signanter coram « Pamphilo, decisione 265, n. 5; et coram Peutingero, deci- « sione 161; et coram Alexandro VIII, decisione 46, n. 1; « et 6 februarii 1696, atque 28 januarii 1697, coram Pio. » (Rota, decisione 101, n. 2, tom. II, coram Ansaldo.)

« Juxta formam præfati statuti, quod tanquam conditum pro « felici statu et gubernio ecclesiæ Gerundinensis, constanter « servari debet. » (Rota, decis. 115, coram Lancetta, in Gerundinensi, 11 decembris 1699.) Idem repetit Rota fere iisdem terminis, decisione 193, coram eodem Lancetta.

Præterea, propositio hæc sequitur ex præcedenti. Si enim statutum capitulare rationem habeat legis proprie dictæ, eo quod capitulum habeat jurisdictionem proprie dictam, sequitur illud in perpetuum obligationem inducere, ac proinde attingere successores. Et ita quidem nobis dici posse videtur; sed res est inter doctores controversa, ut supra adverti potuit.

Propositio 13ª. — *Capitulum potest statutorum suorum transgressores punire.* — « Capitulum, etiam sede plena, « potest pœnas imponere transgressoribus statutorum suorum. « (Pirhing, ad tit. *De majoritate et obed.*, n. 43. — Layman « in c. *Cum omnes*, *De constit.*, n. 1.) Tametsi enim capi- « tulum cathedrale absolute loquendo non habeat jurisdic- « tionem in ecclesia, vivente Episcopo, adeoque nec sine Episcopi « auctoritate condere possit leges et statuta quibus ecclesiæ sta- « tus, antiquæ consuetudines aut jura mutentur, habet tamen « partem aliquam, seu usum potius jurisdictionis, sive a supe- « riore, sive per consuetudinem acquisitum, secundum modum « administrationis suæ; dum capitulum separatim ab Episcopo « consideratum, constituit collegium seu universitatem aliquam « cui præest decanus aut præpositus juxta diversas ecclesiarum « consuetudines; adeoque jam potest intra terminos potestatis « suæ statuta facere. Et consequenter iis (etiam sine Episcopo, « seu licet Episcopus statutum non approbaverit) pœnam seu « mulctam adjicere (verbi gratia, pecuniariam); et per substra- « ctionem fructuum transgressores compellere ad pœnam sta- « tuto decretam solvendam. Quia id connexum est et necessa- « rium ad executionem legis aut statuti; et regula recepta est,

Digitized by Google

« quod quicumque statuta condere possunt, ii etiam pœnam « intra terminos potestatis suæ adjicere possunt. Adeoque jam « utrumque et statuta condere et transgressores punire poterit « capitulum cathedrale (Layman hæc ipsa extendit ad capitula « ecclesiarum collegiatarum); quidquid sit de eo num condere « possit statutum pœnale quod obliget vi jurisdictionis, an « solum per modum alicujus conventionis seu pacti. » (Leurenius, *Tractatus de capit.*, sede vac., quæst. 471.)

Ex his auctoritatibus videntur deserendi quidam canonistæ, qui putaverunt statutis non ligari nisi eos capitulares qui illa condiderunt, non vero successores, nisi et ipsi observationem promiserint aut juraverint. Et hoc satis patet si admittatur in capitulo jurisdictio proprie dicta : tunc enim statuta sunt veræ et proprie dictæ leges, ac proinde obligant pro semper, nisi revocentur aut contraria consuetudine abrogentur. Si vero non admittatur in capitulo nisi jurisdictio improprie dicta seu mere œconomica, difficile quidem est probare successores statutis prædecessorum ligari ; sed tunc dicendum esset Ecclesiam capitulis tribuisse potestatem legislativam multis obnoxiam malis : nemo enim non videt quibus commotionibus et perturbationibus convelli possunt capitula, si statuta nutent quoties e vivis tolluntur ipsorum auctores. Supponendum ergo potius est Ecclesiam capitulis dedisse jurisdictionem seu potestatem legislativam proprie dictam, licet quoad objectum suum, ut decebat, valde restrictam.

At vero quando capituli statuta ab Episcopo aut a Sancta Sede fuerunt confirmata, nullatenus dici potest ipsis non subjici successores, si quidem tunc vim induunt Episcopalis aut Pontificiæ legis.

§ 3

QUODNAM JUS PARTICULARE ADMITTENDUM SIT IN ECCLESIIS GALLIÆ A TEMPORE CONCORDATI ANNI 1801

Punctum I. — *Colliguntur textus ex quibus determinari debet jus particulare ecclesiarum Galliæ quoad capitula.* — I. In bulla concordati *Qui Christi Domini*, 29 novembris 1801, § IX, sic statuit Summus Pontifex Pius VII :

Digitized by Google

Mandamus igitur dilecto filio nostro... Cardinali Caprara... Apostolicæ Sedis de latere legato, ut is juxta has nostras prædictarum ecclesiarum erectiones, procedens ad eas constituendas..., decernat,... tum dignitates et canonicos cujuscumque capituli juxta præscriptionem sacrorum conciliorum efformandi, tum singularum diœcesium circuitum... Ad quod præstandum amplissimas ei quasque facultates, etiam subdelegandas, impartimur necessarias atque opportunas ad probanda statuta respectivorum capitulorum, ad concedendum eisdem choralia insignia quæ iis convenire arbitrabitur ;... ac generatim ad ea omnia efficienda quæ per nos ipsos effici possent. (Bullarium Rom. continuatum, tom. XI, p. 247.)

II. In suo decreto, 9 aprilis 1802, sic ex sibi delegata auctoritate Apostolica sanxit Cardinalis Caprara :

Inter cætera quæ nobis a Sanctissimo Domino Nostro... mandata sunt, alterum illud est, ut suppressis jam a Sanctitate sua antiquis omnibus gallicani territorii capitulis, nova in singulis metropolitanis et cathedralibus ecclesiis, qua ratione fieri poterit, constituantur. Quod cum ita nobis commissum sit, ut facultas quoque has partes subdelegandi... nobis ipsis tributa fuerit; ideo hujus facultatis vigore Archiepiscopis et Episcopis Galliarum primofuturis facultatem concedimus, ut posteaquam canonice instituti ecclesiarum suarum regimen actu consecuti erunt, capitulum in metropolitanis et cathedralibus respective ecclesiis suis erigere ipsi possint, juxta formam a sacris canonibus conciliisque præscriptam, et ab Ecclesia huc usque servatam, cum eo dignitatum et canonicorum numero, quem ad earumdem metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum utilitatem et honorem, attentis rerum circumstantiis, expedire judicabunt.

Ut vero iisdem metropolitanis et cathedralibus ecclesiis, in iis quæ ad capitula, ut supra erigenda spectant, ecclesiastica disciplina servetur, iisdem Archiepiscopis et Episcopis primofuturis curæ erit, ut quæ pertinent ad eorumdem capitulorum sic erigendorum prosperum et felicem statum, regimen, gubernium, directionem, divinorum officiorum celebrationem, cæremonias ac ritus in iisdem ecclesiis earumque choro servandos, ac alia quæcumque per eorumdem capitulorum dignitates

Digitized by Google

et canonicos obeunda munia, pro eorumdem Archiepiscoporum et Episcoporum arbitrio et prudentia definiantur et constituantur; relicta tamen eorum successoribus statutorum illorum respectivorum immutandorum facultate, requisito prius capitulorum consilio, si attentis circumstantiis id utile et opportunum judicaverint. In ipsis autem statutis vel condendis vel immutandis, religiosa sacrorum canonum observantia retineatur, usuumque ac consuetudinum laudabilium antea vigentium, præsentibusque circumstantiis accommodatarum ratio habeatur. Quam quidem capitulorum erectionem, cæteraque omnia ad ipsa capitula pertinentia singuli Archiepiscopi et Episcopi cum primum perfecerint, erectionis hujusmodi, omniumque hanc in rem constitutorum acta, authentica forma exarata, nobis reddenda curent, ut ad perfectam Apostolicarum litterarum executionem huic nostro decreto inserere possimus. (Bullarii Romani cont. tom. XI, pag. 263.)

III. In bulla concordati *Commissa divinitus*, 25 julii 1817, sic decernebat Pius VII :

Archiepiscopis et Episcopis sedium mox erectarum (1) *committimus et mandamus, ut quanto citius fieri possit eadem capitula et seminaria rite constituant... Ut felici eorumdem capitulorum statui ac regimini prospiciant, peculiaria a singulis canonicorum collegiis statuta decerni curent, sibique postea sancienda ac probanda proponi; quibus cumprimis de recto divini cultus servitio, de sacris officiis ordinandis, de propriis muneribus rite obeundis opportuna præcepta, ad legum ecclesiasticarum atque ad synodalium decretorum præstituta, imponantur. Curent præterea, ut in unoquoque capitulo duo adsint canonici, quorum alter pœnitentiarii, alter theologi officio fungatur. Volumus autem, ut cum primum capitulorum erectionem perfecerint, erectionis hujusmodi documentum, designato dignitatum et canonicorum numero, ad nos mittant.* (Bullarium R. continuatum, t. XI, pag. 372.)

IV. Bulla *Paternæ pietatis sollicitudo*, 6 octobris 1822. — De illo concordato prænotandum est, illud fuisse quamdam

(1) Hoc concordato anni 1817 erigebat Summus Pontifex novas sedes; et tum ex ipsis terminis, tum ex contextu, quæ dicuntur de capitulis videntur ad sola capitula harum novarum sedium referenda.

Digitized by Google

revocationem præcedentis, nempe anno 1817 habiti. Varia enim obstacula prohibuerant ne conventio anni 1817 ad effectum et executionem adduceretur quoad erectionem novarum sedium in illa sancitam. Quare Pius VII prædictas sedes addendas alio minori numero et alia circumscriptione in bulla *Paternæ pietatis* determinat; et hoc ultimum concordatum effectum habuit. In cæteris autem non derogavit Pontifex suæ constitutioni anni 1817, ut ipse testatur his verbis : *Porro cætera in iisdem Apostolicis litteris anni* 1817 *statuta et ordinata, præsertim pro capitulorum et seminariorum erectione... firma et integra perstare volumus. Utque expeditius prospiciatur, Archiepiscopi et Episcopi pro singulis canonicorum collegiis statuta decernent, et ab ipsis observari curabunt. Cum primum vero capitulorum formam et erectionem perfecerint, omnium hanc in rem gestorum documentum ad nos mittent.*

Punctum II. — *Determinatur jus particulare ecclesiarum Galliæ quoad capitula.*

Propositio 1ª. — *In ecclesiis erectis anno* 1802, *decretum Cardinalis Capraræ contulit Episcopis primo futuris potestatem statuta capituli absque ullo ejusdem capituli interventu condendi; Episcopis vero successoribus potestatem ea statuta mutandi, requisito prius capituli consilio.* — Confert enim eis facultatem determinandi omnia quæ spectant ad capitulorum *felicem statum, regimen, gubernium, directionem, divinorum officiorum celebrationem, cæremonias in choro servandas, ac alia munia per canonicos obeunda.* Porro talis statuendi facultas omnino invadit et complectitur illam potestatem condendi statuta quam jus commune capitulis tribuit; ergo revera Cardinalis Caprara juri communi derogavit, et in favorem Episcoporum constituit jus particulare, vi cujus capitula, statim ac extitere, debuerunt statuta sua recipere a respectivis suis Episcopis; et Episcopi potuerunt, pro suo judicio et prudentia, statuta hæc condere, etiam non requisito canonicorum consilio.

Notabilis fuit et omnibus forte retro sæculis inaudita hæc juri communi derogatio. Sed ad restaurandam tunc temporis in Gallia religionem catholicam plurimi intererat ut quam citissime hujusmodi ecclesiarum et capitulorum erectio et ordinatio absolverentur. Porro si capitulorum deliberationibus permissa

Digitized by Google

fuisset statutorum confectio, ita ut accidente Episcopi dissensu recurrendum fuisset ad superius ecclesiasticum tribunal, nemo non videt quantum detrimenti passæ fuissent Galliarum ecclesiæ. Et hac (ut autumare fas est) præcipue de causa, recedere a jure communi æstimavit opportunius prædictus legatus; ita forsan innuente Sede Apostolica.

Certum est etiam illum decrevisse, ut statuta hujusmodi possent a successoribus immutari, *requisito prius* capituli *consilio*, non autem consensu. Ita enim fert ejus decretum expressis terminis.

Ergo, dum capitulum regulariter, ex disciplina communi, jus habet ut in quibusdam requiratur ejus consensus, et in pluribus aliis ejus consilium, capitula sub primis Episcopis, anno 1802 constitutis, hoc jure caruerunt. Licet enim Cardinalis Caprara valde commendet illis Præsulibus ut, talia exequendo, sacros canones præ oculis habeant et sequantur, tamen ipsis solis integram prorsus executionem et statutorum confectionem relinquit; et a successoribus exigit tantum ut, prædicta statuta immutare volentes, consilio quidem capituli indigeant, non autem consilium illud sequi teneantur.

Hoc autem jus particulare non viguit ex decreto Cardinalis Capraræ nisi quoad priorem ecclesiarum erectionem anni 1802. In posteriori enim erectione anni 1822, jus aliorum capitulorum tunc erectorum ab ipsa Sancta Sede determinatum fuit eo quo mox dicemus modo.

Propositio 2ª.— *Quod decrevit Cardinalis Caprara de successoribus primorum Episcoporum videtur intelligendum de successoribus proximis, non autem de successoribus in perpetuum.* — Quod enim prædicti successores adstricti tantum fuerint ad requirendum capituli consilium, non vero consensum in iis in quibus de jure communi consensus ille requiritur, fuit derogatio juri communi; atqui omnis derogatio juri communi stricte interpretanda est. Jam vero Cardinalis Caprara non dixit, relicta *successoribus in perpetuum* statutorum immutandorum facultate, sed dixit tantum, *successoribus;* quod ex præsumpta in illis circumstantiis ejus mente, de successoribus immediatis, aut his proximis, commode interpretari potest. Ipsius enim intentum videtur fuisse ut ecclesiarum et capitulorum ordinationi absque

Digitized by Google

mora provideret in præsenti tunc rerum statu. Ad quem finem opportunum quidem fuit ut tota statutorum pro capitulis conficiendorum provincia primofuturis Episcopis committeretur, et ut proxime succedentes Præsules requisito tantum capitularium consilio necessarias mutationes introducere possent. Quod autem postea et pro semper, rebus omnino pacatis, ordinarius juris communis cursus præpediretur, nec opportunum erat, nec ipse id in mente habuisse existimandus est; et insuper ad talia futura tempora non extensam fuisse delegationem ipsi datam sustineri etiam posset. Cui interpretationi non parum favet quotidiana Sanctæ Sedis tendentia in variis hujusmodi decidendis controversiis, ut ad jus commune reducat quæ pro arduis temporum circumstantiis aliter componi permissa sunt.

Hinc concludendum hodie jam vigere jus commune quoad capitula in iis ecclesiis quæ anno 1802 erecta sunt. Ita ut nempe statuta istorum capitulorum ejusdem conditionis sint, ac statuta quæ juxta jus commune a capitulis primum confecta, ab Episcopo dein confirmationem accepissent. Unde ad supprimenda, augenda, mutanda prædictorum Galliæ capitulorum statuta, non procedi jam potest ex vi decreti Cardinalis Capraræ, sed omnino ex jure communi. Quam tamen conclusionem, utpote de re inter canonistas nondum agitata, doctiorum et superiorum crisi pro more nostro subjicimus.

Propositio 3ª. — *In ecclesiis anno* 1822 *erectis omne jus condendorum statutorum pro capitulis earumdem ecclesiarum Episcopis a Sancta Sede commissum est.* — Falsa videri posset illa propositio, si attenderetur ad concordatum anni 1817, in quo Sancta Sedes, jus commune restituens, mandabat *statuta peculiaria* non jam ab ipsis Episcopis, sed *a singulis canonicorum collegiis decerni;* ita tamen ut eadem statuta a capitulis decreta, Episcopis proponerentur *sancienda ac probanda.* Sed illi concordato, nunquam ad executionem deducto, derogatum est per subsequens anni 1822; et licet non derogatum sit in omnibus, tamen expresse derogatum est quoad jus capitulorum sua condendi statuta. Nam summus Pontifex, ut res citius procederet, sic decrevit: *Archiepiscopi et Episcopi pro singulis canonicorum collegiis statuta decernent et ab ipsis observari curabunt.* Unde, sicut in ecclesiis anno 1802 erectis, ita et in iis

Digitized by Google

quæ anno 1822 erectæ sunt, jus statuta pro capitulis condendi ad primos Episcopos exclusive pertinuit.

Propositio 4ª. — *In ecclesiis anno 1822 erectis statuta capitulorum supprimi, augeri et mutari nequeunt nisi juxta jus commune.* — Nam Pius VII in sua bulla *Paternæ caritatis* anni 1822, juri communi tantum derogavit quoad statutorum confectionem, quam exclusive tribuit primis novarum sedium Præsulibus ; de successoribus vero eorum nihil decrevit. Unde hoc ipso quoad successores illos jus commune intactum relictum est. Notandum autem est discrimen illud inter ecclesias anno 1802, et ecclesias anno 1822 erectas. Nam quoad priores decretum Cardinalis Capraræ providit ut statuta capitulorum possent a successoribus primorum Episcoporum immutari, requisito capituli consilio; quod de proximis, non vero de omnibus in perpetuum successoribus interpretandum supra diximus : quoad posteriores vero nullum omnino successoribus Episcopis peculiare jus attribuitur.

Propositio 5ª. — *Ergo jus particulare quoad capitula in Galliæ ecclesiis fuit transitorium seu ad tempus, cum primis nempe novarum ecclesiarum Episcopis aut eorum proximis successoribus extinguendum et extinctum* — sequitur ex præcedentibus. Unde generatim tenendum videtur hodie Episcopos et capitula Galliæ respective sub jure communi constitui. In expendendo autem jure communi, habenda est ratio statutorum existentium quatenus ab Episcopo, aut etiam quædam a Sancta Sede, approbatorum, et legitimas ecclesiæ consuetudines constituentium : aliter enim, ut vidimus, jus commune statuit circa hujusmodi statuta, ac circa illa quæ sola capituli auctoritate absque Episcopi consensu confecta fuissent.

CAPUT V

DE JURE CAPITULI QUOAD SYNODUM ET SYNODALIA STATUTA

1. Certum est Episcopum non tantum sine consensu sed etiam sine consilio capituli indicere et cogere posse diœcesanam synodum. Vide probationem apud Scarfantonium (t. II, pag. 124, ubi plurimas congerit auctoritates). Decisum etiam est pluries a

Digitized by Google

Sacra Congregatione concilii ; quæ verbi gratia (in Oriolensi, 17 maii 1599) respondit : *Licere Episcopo, ad eumque pertinere cogere synodum diœcesanam absque consensu et consilio capituli.* Item (in Fulginatensi, anno 1639, libro XVI Decretorum, pag. 150) ad dubium : *An Episcopus possit synodum diœcesanam consuetis temporibus congregare non requisito assensu vel consilio capituli,* respondit : *posse non requisito assensu vel consilio capituli.* « Grande absurdum foret, ait Scarfantonius « (loco citato), quod id, quod sub pœna Episcopis imponitur, « penderet a suorum capitulorum consensu. » .

2. Certum est in condendis statutis sive constitutionibus synodalibus Episcopum non indigere consensu capituli. Est unanimis canonistarum doctrina (vide tractatum meum *De Episcopo,* ubi et *De synodo diœcesana* ex professo disserui). Ratio est, quia solus Episcopus habet jurisdictionem; quod jus monarchicum Episcopi scinderetur, si jus statuendi penderet etiam a capituli consensu, ut tradunt Suarez (*De legibus*, l. IV, c. 5, dub. 2), et fuse Lotterus (*De re benef.*, l. I, quæst. 21, n. 42 et 89).

3. Citra controversiam est, constitutiones synodales faciendas esse *cum consilio capituli.* « Alioquin, non requisito consilio « capituli, decreta synodalia non valerent ; » ita Scarfantonius (t. II, p. 125, edit. Lucæ, 1723), qui plurimas affert auctoritates, inter quas Pignatellum (cons. 187 seu 180, n. 6, t. I) ; Gavantum (*Praxis diœcesanæ synodi*, cap. VI, § 3, n. 1), et duas decisiones Sacræ Congregationis concilii.

4. An valere censenda sit consuetudo, si alicubi vigeret, non requirendi prædictum capituli consilium? Affirmative olim Ancaranus; sed talem consuetudinem esse irrationabilem, nec proinde servandam tenet Scarfantonius (loco citato) cum Hostiensi, Massobrio et Gavanto.

5. An Episcopus teneatur quoad statuta synodalia non tantum requirere, sed etiam sequi consilium capituli? — Magna olim inter canonistas extitit hac de re controversia. Postea tamen prævaluit et communis evasit opinio quæ docet, Episcopum non teneri nisi in casibus in jure expressis. Et ita pluries decisum est a Sacra Congregatione concilii; verbi gratia, in Hispalensi, 26 novembris 1699, ad dubium : *An Archiepiscopus sine sui capituli consensu possit in diœcesana synodo condere statuta de rebus*

Digitized by Google

arduis et gravibus, respondit affirmative, addendo: *debere tamen Archiepiscopum requirere consilium capituli, licet jure non teneatur sequi, nisi in quibusdam casibus jure expressis.* Unde jamdudum causa illa finita est. Præcipua ratio quam urgebant ii qui obligatum volebant Episcopum ad sequendum capituli consilium, desumebatur ex illa pontificalis Romani præscriptione, qua statuitur constitutiones quæ in synodo publicantur, a patribus congregatis esse comprobandas per verbum *placet.* Sed Sacra Congregatio concilii objectionem hanc pro semper expugnavit per datas suas ad patriarcham Venetianum litteras, die 27 aprilis 1592, tenoris sequentis: *Sacra Congregatio illustrissimorum patrum qui Tridentino concilio interpretando a S. S. D. N. præfecti sunt, per libellum amplitudinis tuæ nomine porrectum consulta respondit, eamdem amplitudinem tuam in synodo diœcesana facere posse constitutiones absque consensu et approbatione cleri: debere tamen requirere consilium capituli, licet illud non teneatur sequi nisi in casibus a jure expressis: non obstante quod ex forma Romani pontificalis in celebranda diœcesana et provinciali synodo expresse habeatur, ut constitutiones in synodo publicandæ a Patribus per verbum* placet *confirmentur. Cui Congregationis sententiæ amplitudo tua inhærens in suam synodum peragendam naviter incumbat et bene valeat in Domino; quem ut illi in hujusmodi pastoralibus ac salutaribus muniis sua gratia semper adsit, ex animo rogamus. Romæ, 27 aprilis* 1592. Ita reperitur in regesto autographo litterarum S. Congregationis concilii, libro VIII, fol. 32. Idem S. Congregatio declaravit in suis litteris ad Episcopum Oriolensem, 17 maii 1599, tenoris sequentis: *Reverendissime, etc. Sacra Congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum sæpius consulta respondit: licere Episcopo, ad eumque pertinere cogere synodum diœcesanam, absque consensu et consilio capituli. In ea autem constitutiones eumdem Episcopum edere ac promulgare posse absque consensu et approbatione cleri, debere tamen requirere consilium capituli, tametsi illud sequi non teneatur præterquam in quibusdam casibus a jure expressis. Quæ amplitudini tuæ in synodo celebrationem incumbenti idcirco significare voluimus, ut ex Patrum sententia quid sibi liceat, quantaque hac in re*

Digitized by Google

sit ejus facultas agnoscens, impedimentis omnibus sublatis, synodum celebret et absolvat, ex qua plurimum utilitatis ad animas sibi creditas perventurum speramus; quippe qui pastoralem ejus sollicitudinem, acremque zelum ac solertiam, et sacrarum litterarum cognitionem qua eminet, optime compertam habemus. Deus amplitudinem tuam incolumem servet. Romæ, die 7 *maii* 1599. Ita reperitur in regesto autographo litterarum Sacræ Congregationis concilii, libro IX, folio 22 a tergo.

Prædictas litteras refert Sarnelli (*Lettere eccles.*, tomo II, lettera 20), qui ad objectionem desumptam ex verbo *placet* pontificalis Romani, respondet præterea duobus modis: 1° illud *placet* esse mere cæremoniale, non autem indicare assensum legislativum; 2° illam rubricam intelligendam esse de concilio provinciali, non de synodo diœcesana; cum enim ordo descriptus in pontificali Romano communis sit et provinciali et diœcesanæ synodo, quædam sunt quæ priorem, alia quæ posteriorem tantum spectent.

6. « Etiam tota dissentiente synodo, validæ sunt constitutiones « Episcopi, et condi et publicari possunt. » (Scarfantonius, t. II, pag. 125, edit. Lucæ, 1723, citans plures auctoritates.) Nec impediri aut retardari valet celebratio synodi per quamcumque appellationem, ut decidit Sacra Congregatio concilii (27 martii 1632, in Oriolensi), cujus decretum retulit Scarfantonius, loco citato.

« Decreta tamen seu constitutiones synodales, antequam usu « recipiantur, debent ostendi capitulo et aliis interessatis, eisque « duorum mensium præfigi terminus, ut si se senserint gravatos, « recurrere possint ad ipsum Episcopum, vel ad Sedem Apo- « stolicam. Sacra Congregatio Episcoporum, in Fundana, 4 de- « cembris 1592, apud Nicol. in *Flosculis*, verbo *Synodus*, « n. 5. » Ita Ferraris, verbo *Synodus*, n. 44.

7. Nec deputati capituli, nec capitulum ipsum, us habent subscribendi constitutiones synodales; sed illa subscriptio ad solum Episcopum pertinet; quia solus Episcopus est legislator; capitulares autem sunt tantummodo consiliarii et non conjudices. Sequitur ex præcedentibus.

8. Illud tamen remanet grave dubium, utrum consensus capituli requiratur, non tantum in casibus a jure expressis, sed

Digitized by Google

præterea in omnibus *causis arduis*. Decisio Rotæ fuerat primum affirmativa, juxta sensum multorum canonistarum (in causa Barbastrensi, 7 junii 1595, coram Pamphilo). Postea, re iterum proposita, eadem Rota dubia hæsit et noluit pronuntiare, ut videre est in decisione 9 partis 1 recentiorum decisionum. Cum tamen decisiones supra allatæ Congregationis concilii dicant, non requiri consensum capituli nisi *in casibus a jure expressis*, sufficienter hoc ipso videtur resolutum, illum consensum non requiri in omnibus causis arduis, nisi forte aliquis contenderet *causas arduas* esse unum ex casibus a jure expressis: quæ opinio utrum probabilis dici possit, doctioribus expendendum relinquimus.

9. Vicarius generalis Episcopi præcedit in synodo canonicos et dignitates non indutos sacris vestibus, ut statuunt plures Sacræ Congregationis rituum decisiones quas refert Scarfantonius (t. II, p. 126).

10. Sede vacante capitulum cathedralis potest, imo debet singulis annis synodum congregare. Quod tamen ita intelligendum est, ut congregatio synodi fiat per vicarium capitularem, quemadmodum a Sacra Congregatione concilii decisum refert inter alios Scarfantonius (loc. cit., n. 25).

11. Item ad vicarium capitularem, sede vacante, et non ad capitulum pertinet, curare ut in synodo approbentur saltem sex examinatores synodales pro examinandis iis quibus conferendæ sunt ecclesiæ parochiales. (Vide Massobr., *De synodo*, cap. 2, dub. 4; vide etiam pro tota quæstione in præsenti capite discussa Benedictum XIV, *De synodo diœcesana*.)

Diximus tantum de jure capituli, relative ad diœcesanam synodum. Quid vero relative ad concilium provinciale? Fuse disseruimus in tractatu *De synodo provinciali*. Habet nempe jus ut vocetur; potest interesse per procuratores; non habet nisi votum consultivum sede plena. Sed sede vacante, ipsum capitulum, vel vicarius capitularis habet votum decisivum.

Digitized by Google

CAPUT VI

POTESTAS CAPITULI QUOAD PÆNALIA

« Ad capitulum spectat facultas capellanos aliosque ecclesiæ (1) ministros ejusdem servitio mancipatos, quoties in aliquibus ex injunctis muneribus seu officiis delinquunt, per modum fraternæ correctionis mulctare, mediante fructuum seu distributionum moderata subtractione per modicum tempus, seu alia simili levi mulcta. » Ita cum sententia communi canonistarum Scarfantonius (t. I, p. 20, n. 37, edit. Lucæ, 1723).

« Mulcta vero quæ fit mediante subtractione fructuum sive distributionum, pro punitione beneficiatorum delinquentium in eorum officiis, nullatenus cedere debet in particularem statuentium, videlicet capitularium utilitatem, seu commodum, sed vel in communem, vel ecclesiæ, convertenda est. » (Scarfantonius, ibid., qui et refert ita decisum pluries a Rota.)

« Jus vero mulctandi venit in sequelam juris præsidendi in choro... Proinde dictam præsidentiam habens, per aliqualem modicam coercitionem et pœnam, ut diximus, inobedientes et contumaces ac in divinis ministeriis delinquentes, punire potest ac debet ;... quia alioquin inanis esset jurisdictio, si saltem jus modicæ coercitionis non haberet, ut optime in his terminis Rota (decisione 693, n. 8, — 66, n. 14, — et 253 per totum, — inter recentiores, part. VI). »

« Quod adeo verum est, ut licet ad Episcopum solum spectet correctio et punitio delictorum suorum subditorum, cum apud eum solummodo resideat vis coactiva, attamen respectu delictorum levium, commissorum circa divina officia in cathedrali ejusque ecclesiæ servitium per beneficiatos aliosque ministros, quæque non sunt punibilia in forma judiciali, sed per modum fraternæ correctionis, ut supra explicavimus, illorum punitio ac correctio spectat ad capitulum, quod in ecclesia cathedrali figuram domini facit. » (Scarfantonius, loco citato, n. 41.)

Hoc tamen intelligendum est tantum quando Episcopus non

(1) Intellige ecclesiæ *cathedralis* beneficiatos inferiores, nempe capellanos, portionarios, mansionarios, assistos et alios.

Digitized by Google

interest choro : « Nam (ait ibid. Scarfantonius) cum in eo præsens est, et assistit ad divina officia cum canonicis et aliis ecclesiæ ministris, dignior seu alius præsidentiam habens nomine capituli non exercet jus corrigendi et mulctandi delinquentes privative ad ipsum Episcopum, sed ad summum tantum cumulative cum illo; etiamsi nulla decani seu alterius deputati in corrigendo negligentia interveniret, vel etiamsi immemorabilis concurreret observantia quod solus deputatus a capitulo juberet in choro et corrigeret delinquentes; quia hæc non esset nisi corruptela et abusus, cum inferior excluderet ab exercitio jurisdictionis superiorem et caput. »

Hæc facultas in capitulo corrigendi delinquentes circa divina officia, exerceri potest etiam contra ipsosmet capitulares de gremio existentes. (*Pro quo citat Scarfantonius varios auctores et decisiones Rotæ.*)

« Eademque facultas extenditur etiam ad condenda statuta pœnalia contra eosdem capitulares et ecclesiæ ministros in officio delinquentes, dummodo non excedant modum fraternæ correctionis ac levis mulctæ, quia correctio et coercitio pro gravibus delictis est actus jurisdictionis, quam, præscindendo a speciali privilegio seu immemorabili consuetudine, non possunt nec etiam contra illos de gremio exercere capitula nisi sede vacante; nisi talia statuta pœnalia etiam excedentia præscriptam metam, robur accepissent a confirmatione Episcopi, in quo residet substantialiter jurisdictio et vis coactiva. » (Scarfantonius, t. I, pag. 20, n. 43 et seq., editio Lucæ, 1723.)

« Canonici non possunt a capitulo voce privari, neque ad « officia inhabiles declarari (Barbosa, *De canonicis*, c. 42, « n. 16. — Fagnan. in c. *Cum omnes*, n. 38, *De const.*); « et declaravit Sacra Congregatio concilii (in Pisana, 25 « junii 1695). » (Monacelii, tit. 2, formula 4, adnot. 16.)

Non inutile erit præmissam doctrinam de potestate capituli quoad pœnalia confirmare auctoritate Sacræ Congregationis concilii. Sic habetur in *Thesauro resolutionum*, VII, pag. 163 :

« Capitulum cathedralis ecclesiæ Civitatensis, utens prætenso « jure animadvertendi in suos capitulares, ob quoddam asser- « tum delictum a canonico Joanne Gonzalez admissum, nedum « eum mulctavit pœna tercentum triginta regalium, verum

Digitized by Google

« etiam ad biennium voce activa et passiva suoque stallo in choro « privavit, assignata ei sede in ultimis capellanorum subselliis, « posthabitis decretis vicarii generalis ad quem idem canonicus « reclamaverat. Quin et contemptis censuris sibi indictis, « nova 22 ducatorum mulcta præfatum canonicum affecit. « Quocirca promotor fiscalis ratus sui muneris esse curiæ Episcopalis jura tueri, ad causam admissus, eamdem propugnare « conatus est tam coram metropolitano, quam coram Nuncio « apostolico; a quo tandem, suspensis censuris, controversiæ « decisio remissa fuit ad Ordinarium. Verum quia memoratus « canonicus omnes præfatas mulctas sibi a capitulo impositas « subinde acceptavit, atque liti ut supra introductæ amplissime « renunciavit, idem promotor fiscalis, ne in posterum aliquod « ordinariæ Episcopi jurisdictioni detrimentum ex hujusmodi « renuntiationis actu illatum dici posset, obtinuit causam huic « Sacræ Congregationi delegari. » Postquam ita causam exposuit secretarius Congregationis concilii, hæc addit :

« Præter ea quæ in hanc rem late tradunt Scarfantonius, « Pignatellus..., ad decisionem nonnulla spectant Sacræ hujus « Congregationis rescripta, nimirum :

« In Tirasonensi, die 13 augusti 1729, editum fuit quoddam « decretum quo, inter cætera, cautum est quod, *reprobata* « *consuetudine etsi immemorabili, capitulum in futurum* « *omnino abstineat ab impositione cujusdam pœnæ nuncu-* « *patæ* MODICARUM; *sed tantum juxta casus mulctare possit* « *præbendatos pœna pecuniaria duntaxat, nempe duorum,* « *vel quatuor, et ad summum sex ducatorum; et, si casus* « *majorem exigat pœnam, recurrere debeat ad Ordinarium.* « (In libro LXXIX Decretorum, pag. 399.) — Et novissime in « Oriolensi propositis inter cætera hisce dubiis: 1° *An sus-* « *tineatur* 28 *decretum statuens quod capitulum non possit* « *mulctare curatos ob defectus commissos in functionibus* « *parochialibus, sed tantum ob illos quos commiserint circa* « *servitium chori et circa officia quibus capitulum assistit et* « *præsidet?* — 2° *An sustineatur* 33 *decretum mandans quod* « *in actibus et functionibus in quibus per antecedentia de-* « *creta cautum est præsidere debere curatos, isti possunt* « *etiam imponere mulctam quæ tamen non excedat unum*

Digitized by Google

« *regale?* — Responsum est: *Ad primum affirmative.* — *Ad* « *secundum affirmative, ita tamen ut mulcta erogetur in* « *usus pios.*

« Iis igitur perpensis una cum juribus circumferendis, dignabuntur Eminentiæ vestræ rescribere:

« I. *An capitulo competat jus mulctandi capitulares cæte-* « *rosque ecclesiæ ministros nedum pro levibus, sed etiam pro* « *gravibus excessibus?* Et quatenus affirmative quoad primam « partem, et negative quoad secundam.

« II. *An pro excessibus in choro, aula capitulari et ecclesia* « *duntaxat, vel etiam extra commissis?*

« III. *An mulctis pecuniariis tantum, et in qua summa?*

« IV. *An et quomodo a mulcta per capitulum imposita* « *competat appellatio ad Episcopum?* » Dubiis sic propositis Sacra Congregatio respondit hoc modo:

« *Ad I, affirmative quoad primam partem, negative quoad* « *secundam. Ad II, competere pro levibus excessibus etiam* « *extra chorum et ecclesiam commissis, in functionibus ta-* « *men ecclesiasticis tantum, in quibus capitulum procedit* « *sub cruce. Ad III, affirmative in mulctis pecuniariis tan-* « *tum, nempe duorum vel quatuor et ad summum sex duca-* « *torum juxta casus, ita tamen ut mulcta erogetur in usus* « *pios. Ad IV, affirmative ad utrumque.* »

CAPUT VII

DE JURE CAPITULIS PROPRIO SESE CONGREGANDI ABSQUE LICENTIA EPISCOPI, ET QUO CASU EXCEPTIONALI IDEM JUS ALIIS DE CLERO COMPETAT

Exponemus *primo* gravissimam quæstionem utrum licentia Episcopi indigeat capitulum ad sese congregandum. *Secundo,* probabimus cæteris de clero jus sese congregandi regulariter non competere. *Tertio,* memorabimus casum exceptionalem quo etiam aliis de clero absque licentia Episcopi sese coadunare licitum est.

Digitized by Google

§ 1

AN CAPITULA JUS HABEANT SESE CONGREGANDI ABSQUE LICENTIA EPISCOPI ?

Haberi potest hæc quæstio inter difficillimas juris canonici. Videtur tamen in favorem capitulorum absque hæsitatione solvenda. Exponemus quid senserit Rota, quid Sacra Congregatio concilii, quid doctores.

I. Quid tenuerit Rota satis patebit ex analysi decisionis 428 tomi IV, coram Ansaldo, 27 januarii 1708.

Capitulum Massafræ contendebat sibi competere jus sese coadunandi absque Episcopi licentia. In contrarium obnitebatur Episcopus. Lis ad Rotam devenit.

Rationes in favorem Episcopi sic exhibitæ sunt :

« Reverendissimus Episcopus dicebat se proculdubio assis-
« tentia juris communiri, non minus ex dispositione legum, sed
« ex intrinseca quoque naturali et politica ratione ; cum etenim
« in hisce comitialibus seu capitularibus adunantiis, valeant
« ordiri quoque machinationes et conventiculæ bono publico
« præjudiciales, et ne *quod minus poscunt singuli præsumant*
« *universi,* ut ait Seneca... ; non solum idcirco congruum et
« opportunum, ast etiam necessarium omnino videtur, quod
« inferior expostulet a suo superiore licentiam et potestatem
« congregandi hujusmodi adunantias, ita expresse sancientibus
« imperatoribus... Neque defuere quamplures qui reputarunt
« non solum expetendam fore licentiam, sed et quod etiam cer-
« tiorare obstringantur superiorem de re super qua disserendum
« veniat in illa coadunantia ; ita ut possit, si velit superior, sin
« minus alter officialis eum repræsentans, intervenire...,
« etiamsi Episcopus non sit canonicus. Quoniam ubi Episcopus
« fuisset quoque canonicus, ad ipsum primario spectat jus con-
« vocandi... Fallentibus tantum hisce regulis, quotiescumque
« peragatur de solitis adunantiis vigore statutorum certa die et
« hora præscriptis : in his non exigitur alia particularis licentia.

« Concludebant informantes pro Episcopo, quod nisi juridica
« adversaretur consuetudo, Episcopum infallanter posse injun-
« gere quod capitula non coadunentur absque ejus positiva

Digitized by Google

« licentia, sicuti concludebat etiam Pignatelli (Cons. 152, « t. IV). »

Rationes in favorem capituli :

« Ex opposito autem scribentes pro capitulo collegiatæ mor- « dicus sustinere conabantur quod hujusmodi licentia non erat « ullatenus expetenda, ex inappliçabilitate adductarum ex parte « Episcopi rationum. » Facile confutatur ratio desumpta e legibus imperatorum paganorum. Quoad timorem ne fiant machinationes, dici potest jura de hoc statuentia non respicere corpora ecclesiastica approbata, ut sunt capitula. Citantur postea textus juris et auctores e quibus concluditur non ad Episcopum (nisi esset canonicus) pertinere convocationem capituli. Tum adducitur textus Tridentini (sess. 25, c. 6) ubi, excepto casu criminalium inquisitionum, salva vult jura capituli : *Cæteris autem in rebus capituli jurisdictio et potestas si qua eidem competit et bonorum administratio salva et intacta omnino relinquatur*. Tandem citatur expressa declaratio Sacræ Congregationis concilii, 17 januarii 1584 : *La Sacra Congregazione ha risoluto, che il capitolo sia libero di congregarsi quando vuole, purchè non sia in pregiudizio del culto divino; onde non si può obbligare a domandar licenza.*

In quem sensum iverit Rota :

Postquam memoravit inter alia decisionem in favorem Episcopi a Rota datam (in Gerundinensi, 14 junii 1702, coram Priolo) sic concludit :

« Quamobrem pro recta concordatione tot tantarumque reso- « lutionum Sacrarum Congregationum, quæ invicem quodam- « modo de directo sibi contradicere videbantur, alia conciliatrix « via non adest quam illa interpretativæ consuetudinis. In illis « siquidem ecclesiis seu capitulis in quibus idem capitulum as- « sueverit se libere congregare in faciem Episcopi sine petitione « et impetratione licentiæ, vindicant sibi locum ea quæ pro « parte capituli ponderabantur. Ex diametro autem nisi constet « de hac consuetudine, procedunt resolutiones quæ militant pro « Episcopo. » Ad quam conclusionem firmandam adducitur decisio sequens Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium : *Essendo il capitolo in possesso di adunarsi senza licenza del Vescovo e del vicario, non si deve in ciò fare altra novità* (in

Digitized by Google

Neritonensi, 20 augusti 1601) ; et altera Sacræ Congregationis concilii : *Constitutionem sustineri juxta consuetudinem :* agebatur autem de constitutione synodali prohibente capitulum congregari sine Episcopi licentia (in Milevitana, 2 junii 1702).

Ex illa analysi satis patet tribunal Rotæ primum judicasse in favorem Episcopi, id est, necessariam esse ejus licentiam ad coadunationes capitulares. Postea tamen re melius perpensa, et præcipue videns sibi contrariam fuisse Congregationem concilii, priorem decisionem ex parte dereliquit, sustinens necessitatem licentiæ Episcopalis *quando non adesset consuetudo contraria in favorem capituli.*

II. Idem tenuisse videtur cardinalis Petra, qui sic rem exponit: « An Episcopi licentia requiratur in tali convocatione capituli ? « Ad primum dicendum regulariter Episcopi licentiam non « requiri, *si solitum sit sine illa congregari.* (Barbosa, *De* « *can.*, c. 35, n. 4, — citans declarationem Sacræ Congrega- « tionis concilii, 20 augusti 1601.) Sed hujusmodi solitum, an « debeat probari per Episcopum, vel capitulum, cuive illorum « videatur assistere jus ita ut refundatur alteri onus probandi « consuetudinem? Videtur deberi talem consuetudinem probari « a capitulo, cum jus assistat Episcopo, uti ex textu *lib.* II, « c. *De decurionibus*, *lib.* X, ubi de congregatione cujuscum- « que universitatis, ut non possit congregari sine licentia su- « perioris... Quæ consuetudo debet esse quadragenaria, cum « sit contra jus, et cum suis requisitis scientiæ Episcopi.

« Si tamen requiratur licentia Episcopi, non tenetur capi- « tulum declarare quæ negotia agere debet in capitulo, ut ex « declaratione Sacræ Congregationis concilii prosequuntur « Barbosa et Pignatelli (consult. 154, t. IV). » (Card. Petra, *Comm. in I const. S. Leonis Magni*, sect. 2, n. 48, tom. I.)

III. Nihilominus videtur omnino dicendum, de jure communi non requiri licentiam Episcopi. Nam quando Sacra Congregatio concilii aliquod juris dubium declarat, cum ipsius sententiæ sint decisiones papales (1), omnes iis decisionibus stare debent.

(1) « Declarationibus Sacrarum Congregationum cardinalitiarum ista prærogativa conceditur ut faciant auctoritatem necessariam apud inferiores magistratus, tanquam decisiones papales. » (Cardinalis de Luca, *Relatio Curiæ Romanæ,* discursu 32.)

Digitized by Google

Et ipsamet Rota, tanquam regulam Sacræ Congregationis concilii decisiones recipere solet, ut et ipsa passim profitetur. Si ergo reperiamus quæstionem a Sacra Congregatione concilii in favorem capitulorum decisam, huic decisioni potius standum erit. Porro claræ omnino videntur illius Congregationis in hunc sensum aliquæ decisiones, quas sic refert Scarfantonius :

« Habent autem capitula cathedralium, sive collegiatarum, « jus sese congregandi absque alicujus licentia, ac negotia « capitularia expediendi. (Barbosa, ad cap. 6, sess. 25, conc. « Trid. — Rota, decis. 112, n. 8, recent.). Et resolvit Sacra « Congragetio concilii (in Brundusina, 17 jan. 1684), scribens « Archiepiscopo dictæ ecclesiæ : *La Sacra Congregazione ha « risoluto, che il capitolo sia libero di congregarsi quando « vuole,... onde non si puote obbligare a domandar licenza.* « Idemque fuit definitum 9 maii 1637 : *Congregatio concilii « censuit posse canonicos convocare capitulum absque Episcopo « sine illius licentia, nisi agatur de rebus mensæ Episcopalis.* « Et ratio est quia licentia Episcopi requiritur in casu dumtaxat « quo velint se congregare personæ ecclesiasticæ quæ collegium « non constituunt. » (Scarfantonius, t. II, pag. 108, n. 14, edit. Lucæ, 1723.)

Ergo jus commune et regula generalis est posse capitula sese adunare absque licentia Episcopi. Hæc tamen regula ex duplici titulo exceptionem pati potest ; nempe ex contraria consuetudine et ex gravi causa, ut loco citato sic subjungit Scarfantonius :

« Quod tamen intelligendum est quatenus non adesset con- « traria consuetudo ut capitulum requireret Episcopi licentiam, « ut nuper censuit Sacra Congregatio (in Milevitana, 2 julii « 1707), in qua respondit sustineri synodalem constitutionem « per quam statuebatur quod capitula congregarentur de Epi- « scopi licentia, *juxta morem.*

« Quando autem capitulum est solitum congregari absque « dicta licentia, non potest Episcopus hujusmodi consuetu- « dinem immutare, ex decretis relatis a Barbosa (*De canonicis,* « c. 35, n. 4), Pignatello (consult. 154, n. 1, t. IV), Petra « (ad Constitutionem I Leonis Magni, sect. 2, n. 48, t. I).

« Sicuti quando consuetudo assistit Episcopo, non potest

Digitized by Google

« idem prætendere ut capitulum ipsi declaret de quibus negotiis « agendum sit (Barbosa et Pignatellus, locis citatis).

« Cæterum, non obstantibus prædictis, non prohibetur « Episcopus ex aliqua gravi et rationabili causa aliquando sus- « pendere vel prohibere convocationem capituli (Pignatelli, « consult. 156, n. 6, t. IV. — S. Congregatio Episcoporum, « in Rhegiensi, 4 junii 1704. — Sacra Congregatio concilii, in « Lauretana, 6 februarii 1700. — Monacelli in *Formular.* « *eccles.*, form. 4, tit. 2, n. 25, t. I). »

IV. Auctoritati Sacræ Congregationis concilii multæ addi possent doctorum citationes, sed supervacaneæ essent, cum inter eos etiam reperiantur qui contrarium cum Rota tenuerunt. Ceccoperium tantum subjicimus.

« Potestas non est Episcopo prohibendi canonicis, quin sese « capitulariter congregent, servata debita forma ; nec cogendi ad « ei revelandum quæ ibi velint resolvenda proponere. (Sacra « Congregatio apud Barbosam, collect. 126, n. 3.) Neque « tenentur canonici in negotiis capitularibus admittere Epi- « scopum in capitulo (Rota, part. VII, recent. decisio 112, n. 9). » (Ceccoperius, l. IV, tit. I, n. 52).

§ 2

RELIQUI DE CLERO REGULARITER NON HABENT JUS SESE CONGREGANDI ABSQUE LICENTIA EPISCOPI

« Soli canonici constituunt capitulum... Hujusmodi capi- « tulum non possunt constituere parochi, nec capellani, aliique « simplices presbyteri... Ratio est quia hi non faciunt unum « corpus, ut canonici, sed in ecclesiis considerantur ut singuli. « Ratio rationis est, quia nequeunt sibi caput efficere... Neque « possunt libere sese congregare, sed quando occurrit id agere « ob eorum negotia, tenentur licentiam petere ab Episcopo, ut « non ignoret quid isti agant... Iisdem parochis et capellanis « non convenit commune sigillum, prout competit capitulo... « Et quia prædictis considerabilibus præfati de clero sunt « expertes, merito postponendi sunt canonicis. » (Ceccoperius, apud Scarfantonium, t. I, p. 22, edit. Lucæ, 1723).

Digitized by Google

Addit Scarfantonius (p. 24):

« Ex his quæ supra notavimus, circa capellanos seu beneficiatos, nempe quod illorum officium est mere servitorium, et capitulis subsunt, profluit etiam quod ipsi considerantur tanquam singuli, proindeque corpus sive collegium non constituunt, nec in unum sese congregare possunt et capitula facere sine superioris licentia... Cum quodammodo monstrum præ se ferat, quod in una eademque ecclesia biceps corpus existat canonicorum et beneficiatorum; nisi prædicti beneficiati sive capellani speciale indultum et privilegium haberent congregationes faciendi et repræsentandi collegium; vel saltem immemorabilem, vel quadragenariam cum titulo.

« In dubium revocari solet an Episcopus possit sua ordinaria auctoritate indulgere beneficiatis facultatem sese coadunandi et constituendi collegium, sine consensu vel consilio capituli; et quamvis Rota hunc articulum indecisum reliquerit (in decis. 154, part. 1 — et decisione 126, n. 8, part. 6, recent.), videtur negativam esse probabiliorem; quia cum capitulo canonicorum jus assistat constituendi in ecclesia cathedrali collegium, ac resistat ne illud faciant beneficiati, hoc esset statuere quodammodo contra jus, quod Episcopo non *licet*, sed tantummodo hoc est reservatum Summo Pontifici. Aut saltem tanquam res gravis et ardua, et jus capituli tangens, sine ejus consensu vel consilio expediri non posset.

« Possunt tamen beneficiati considerari tanquam corpus, etiam quando sunt distincti et separati a capitulo, ad aliquem certum actum, veluti ad effectum interessendi funeralibus, vel incedendi in processionibus; quamvis ad reliquos effectus careant facultate constituendi collegium.

« Parochi similiter collegium facere non possunt, quia etiam ipsi considerantur tanquam singulares personæ, nisi habeant speciale indultum ab habente auctoritatem sibi concessum, una cum cæteris requisitis ad constituendum collegium necessariis (Rota, decis. 1879, n. 1, — et decis. 2081, n. 1, — et decis. 2174, n. 1, — et decis. 85, n. 9, — et decis. 156, n. 5, — et decis. 192, n. 10, — in parte XIV, recent.).

« Idem pariter, ac quidem majori ratione, statuendum est de reliquo clero civitatis seu diœcesis, cujus personæ conside-

Digitized by Google

« rantur ut singulæ, nec in unum corpus coalescunt, licet ex « aliqua justa causa in unum convenire possint et quamdam « universitatem repræsentare. »

§ 3

CASUS EXCEPTIONALIS QUO ALII DE CLERO PRÆTER CAPITULUM POSSUNT SESE CONGREGARE SINE LICENTIA EPISCOPI

« Quamvis, ut prædiximus, semper sit necessarius superioris « assensus, hoc tamen fallit quotiescumque ageretûr de coaduna- « tione facienda super negotio tangente interesse ipsius supe- « rioris, veluti de promovenda lite contra eumdem ; quia tunc « licentia petita, licet non obtenta, possent haberi congrega- « tiones per clerum, sive alias personas ex eodem clero quæ « regulariter tanquam singulæ considerantur ; quia in hoc casu « idem esset denegare facultatem sese congregandi ac extinguere « litem (Alciatus, cons. 103, n. 2, l. V, — cum aliis, apud « Rotam, decis. 148, n. 2, parte VII, recent.), et sic indirecte « adimere clero modum appellandi ac recurrendi ad superiores « ipsius Episcopi, pro reparandis gravaminibus, sibi forsan « cum constitutionibus sive edictis nimium rigorosis vel injustis, « illatis ; quod sane nulla æquitas patitur. Unde cum potissima « causa ex qua hujusmodi adunantiæ prohibentur absque supe- « rioris permissione, sit sola suspicio conspirationis, seu machi- « nationis, ea vero penitus propulsetur quando adest justa causa, « ut est litis pendentia, pro cujus prosecutione ac directione « sunt necessarii tractatus interesse habentium, pro capiendis « opportunis consiliis et resolutionibus, tunc potest indubie fieri « dicta convocatio ; cum regulariter pro excludenda præsum- « ptione prædicta, propter quam adunantiæ vetantur, satis sit « quod constet de interesse congregatorum.

« Quin etiam, in figurato casu litis promovendæ contra « superiorem, potest licite clerus exigere collectas a singulari- « bus personis ejusdem cleri per modum contributionis, etiam « inscio et invito superiore ; non tamen ab invitis, sed solum a « sponte contribuere volentibus ; cum non possit habere clerus « vim coactivam, quæ in sola episcopali seu quasi episcopali

Digitized by Google

« dignitate regulariter residet... Quamvis in casu victoriæ, « renuentes juris remediis compelli possent ad suæ ratæ solu- « tionem, ne alienis impensis commodum contra omnem æqui- « tatêm reportarent (ut firmat Rota, decisione 148, n. 6, et seq., « parte VII, recent.). » (Scarfantonius, t. I, p. 24 et 25, editio Lucæ, 1723.)

CAPUT VIII

JUS ADMINISTRATIVUM CAPITULI CIRCA BONA BENEFICIATOS SEU CAPELLANOS CATHEDRALIS SPECTANTIA

« Quoad materiam beneficiatorum seu capellanorum, illud « pariter est observandum quod ad capitulum, privative ad eos- « dem capellanos spectat administratio eleemosynarum, anni- « versariorum, aliarumque piarum oblationum ecclesiæ cathe- « dralis, potissimum illarum quæ pendent a jure parochiali; eo « quia cura habitualis dictæ ecclesiæ capitulo incumbit. (De « Luca, *De parocho*, discursus 32, n. 4, et *De jurisdict.*, dis- « curs. 42, n. 2.) Quod etiam verum est, licet prædicti capellani « in iisdem obventionibus habeant interesse ac de illis partici- « pent; cum in hisce administrationibus sese ingerere nullatenus « possint. (Lotterus, *De re beneficiali*, l. I, quæst. 17, n. 8.) « Quamvis respectu administrationis massæ distributionum « communis, seu etiam particularis ipsorum capellanorum, « ratione interesse quod habent in illius certa ac fideli adminis- « tratione, eisdem etiam ratio per capitulum administratorem « reddi debeat, ut discusso articulo Rota (decisione 24, parte XVII, « recent.).»

« Hæc tamen absoluta administratio quam dictarum obla- « tionum habet capitulum, limitanda venit in casu quo vellet « per novum statutum innovare et immutare antiquam ecclesiæ « consuetûdinem, alterando modum distribuendi, tam quoti- « dianas distributiones quam provenientes a dictis anniversariis « et exequiis, inter eosdem canonicos et beneficiatos, qui eisdem « anniversariis aliisque divinis officiis suam assistentiam præ- « stare consueverunt; cum hoc capitulo non liceat (caput uni- « cum *De clericis non resid.*, in 6. — Rota, decisione 32, n. 3 « et seq., part. VII, recent.), sed requiratur etiam auctoritas Epi-

Digitized by Google

« scopi, qui de consensu capituli novam consuetudinem in ec-
« clesiam inducere potest, si illa sit bona et laudabilis.

« Præfati capellani aliique clerici choro interessentes et de
« quotidianis distributionibus participantes, regulariter excludi
« non possunt ab emolumentis anniversariorum, nisi particularis
« obsistat consuetudo, seu statutum contrarium, aut aliter a tes-
« tatoribus cautum fuerit ex litterali dispositione; quia cum etiam
« ipsi ecclesiæ assistant, consequens est ut, regulando emolu-
« mentum ab onere, de dictis distributionibus participent.

« Nec relevat quod in legato relicto pro anniversario *capitulo*,
« non videantur comprehendi beneficiati aliique clerici cathe-
« dralis qui appellatione capituli non veniunt; quia ratione sub-
« jectæ materiæ, nempe anniversarii, cui solent cum canonicis
« assistentiam suam præstare cæteri cathedralis ecclesiæ clerici,
« præsumitur testatorem ab iis excludere noluisse eosdem. »
(Scarfantonius, t. I, pag. 21, editio Lucæ, 1723.)

CAPUT IX

DE JURE ET OFFICIO CAPITULI ADMONENDI EPISCOPUM SI QUANDO FORTE A RECTO TRAMITE ABERRARET

Duo hic expendenda veniunt: 1° quæstio generalis, an et quomodo inferiores possint et teneantur corrigere superiores; 2° quid particulare incumbat capitulis quoad illud officium caritativæ admonitionis erga Episcopum.

§ 1

QUOMODO JUXTA DOCTRINAM CATHOLICAM PROCEDERE POSSIT ET DEBEAT CORRECTIO AB INFERIORI AD SUPERIOREM

Sanctus Thomas (2. 2, q. 33, a. 4) : « Utrum quis teneatur
« corrigere Prælatum suum. — 1° Videtur quod aliquis non
« teneatur corrigere Prælatum suum. Dicitur enim Exodi 19, 12:
« *Bestia quæ tetigerit montem lapidabitur*... 2° Præterea super
« illud, *in faciem ei restiti*, dicit glossa... *ergo cum subditus*
« *non sit par Prælato, non debet eum corrigere*. 3° Præterea

Digitized by Google

« Gregorius dicit: *Sanctorum vitam corrigere non præsumat* « *nisi qui de se meliora sentit.*

« Respondeo dicendum, quod correctio quæ est actus justitiæ « per coercitionem pœnæ non competit subdito respectu Prælati; « sed correctio fraterna, quæ est actus charitatis, pertinet ad « unumquemque respectu cujuslibet personæ ad quam charita- « tem debet habere, si in ea aliquid corrigibile inveniatur. Sed « quia actus virtuosus debet esse moderatus debitis circumstan- « tiis, ideo in correctione qua subditi corrigunt Prælatos, debet « modus congruus adhiberi, ut scilicet non cum protervia et du- « ritia, sed cum mansuetudine et reverentia corrigantur. Unde « Apostolus dicit, *seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut pa-* « *trem.* Ad primum ergo dicendum quod tunc Prælatus inordi- « nate videtur tangi, quando irreverenter objurgatur... Ad se- « cundum, quod in faciem resistere coram omnibus excedit « modum fraternæ correctionis... Sciendum tamen est quod ubi « immineret periculum fidei, etiam publice essent Prælati a « subditis arguendi... Ad tertium dicendum, quod præsumere se « esse simpliciter meliorem quam sit Prælatus, videtur esse præ- « sumptuosæ superbiæ; sed æstimare se meliorem quantum ad « aliquid non est præsumptionis, quia nullus est in hac *vita qui* « non habeat aliquem defectum. Et etiam considerandum est, « quod cum aliquis Prælatum caritative admonet, non propter « hoc se majorem existimat, sed auxilium impartitur ei qui « *quanto in loco superiori, tanto in periculo majori versatur,* « ut Augustinus dicit in Regula. »

Castro Palao *De charitate*, tract. 6, disputatio 3: «Duplex est « correctio. Alia est correctio fraterna, alia juridica. Correctio « fraterna est, qua primo et per se intendis bonum proximi: « correctio vero juridica, qua spectas bonum aliorum qui per « peccatum unius scandalizantur, et bonum commune quod « turbari cujusque peccato solet: ideoque hæc correctio ad justi- « tiam vindicativam spectat. Correctio fraterna exerceri potest a « pari in parem, et ab inferiore in superiorem, et a superiore in « inferiorem; quia ad illius exercitium nulla requiritur jurisdic- « tio. At judicialis correctio non potest esse ab alio quam a su- « periore potestatem jurisdictionis habente (punctum 1, n. 2). « — Quæ personæ teneantur corrigere et quæ sint corrigendæ?

Digitized by Google

« Certum est omnes obligatos esse, cum sit præceptum naturale « et divinum omnes adstringens. Unicuique enim mandavit Deus « de proximo suo. Item omnes obligati sunt Deum et proximum « amare ; sed ex amore Dei et proximi nascitur malum utrius- « que impedire quantum fieri possit. Ergo nascitur obligatio « proximum corripiendi, quia sæpe ad impediendam inju- « riam Dei et malum proximi correctio est unicum medium « (punct. 7, n. 1). — Quod si de personis corrigendis loquamur, « omnes tam fideles quam infideles sunt corrigendi... Difficultas « est de Prælatis, an sint a subditis corrigendi? Et quidem de- « bere corrigi si delinquant est expressa decisio Gregorii (in cap. « *Sicut* 2, q. 7). Advertendum tamen est hanc correctionem fa- « ciendam esse cum magna prudentia et humilitate, et potius « obsecrando quam increpando; itemque secreto et non publice « (ex decreto Innocentii III, c. *Cum ex injuncto*, *De hæret.*) : « Quod intelligi debet, nisi peccata sint scandalosa et publica ; « tunc enim publice argui debent, etiamsi nulla speretur emen- « datio. » (Punct. 7, n. 9 et 10.)

Cornelius a Lapide (in Epistolam ad Galatas, in vers. 11, capitis 2): « Dices : Ergo Paulus utpote corripiens ac corrigens « Petrum, Petro auctoritate par fuit vel superior, ac consequen- « ter Petrus Pauli et apostolorum caput et princeps non fuit. « Respondeo, nego consequentiam: Nam ab inferioribus corrigi « posse superiores cum humili charitate pro veritate tuenda hinc « docet Augustinus (epist. 19), Cyprianus, sanctus Thomas et « alii, qui clare docent Petrum superiorem a Paulo inferiore « correptum esse. Unde apte Gregorius (hom. 18 in Ezech.): « *Tacuit Petrus, ut qui primus erat in apostolatus culmine,* « *primus esset in humilitate.* Et Augustinus (epist. 19 ad Hier.): « *Rarius,* ait, *et sanctius exemplum Petrus posteris præbuit,* « *quo non dedignarentur a posterioribus corrigi, quam Paulus* « *quo confidenter auderent minores majoribus pro defendenda* « *veritate, salva charitate, resistere.* »

Tirinus in versiculum 11, capitis 2 Epistolæ ad Galatas: « Dices: Ergo Petrus inferior erat Paulo. Respondeo, nego conse- « quentiam. Quia Paulus reprehendit Petrum non tanquam su- « perior, vel ex auctoritate, sed solum ex charitate tanquam « inferior, quia bonum publicum sic postulabat. Tali enim casu

Digitized by Google

« licere id inferiori, etiam in publico, sed adhibita cautela et ho-
« nore superiori debito, constat ex jure tum naturali, tum posi-
« tivo; et fuse demonstrat sanctus Augustinus. »

Suarez, *De charitate*, disputatio 8, sectio 5 : « Ad quos corri-
« gendos obliget hoc præceptum correctionis fraternæ? — Tria
« genera personarum considerare possumus: subditos, supe-
« riores et æquales. Dico primo: Hoc præceptum obligare ad
« corripiendas quaslibet ejusmodi personas, si egeant correptione.
« Probatur: quia præceptum hoc respicit miseriam spiritualem
« proximorum in universum: omnes autem prædictæ personæ
« proximi sunt proprie; et præterea sunt capaces miseriæ spi-
« ritualis, sive peccati: ergo respectu omnium illarum præcep-
« tum naturaliter obligat. Peculiariter autem respectu superiorum
« (quod difficilius videri posset), suadetur conclusio, quam etiam
« D. Thomas (2. 2, q. 33, art. 4) docet: Suadetur, inquam,
« primo ex usu Scripturæ: Isaiæ I : *Audite, principes Sodomo-*
« *rum, percipite auribus legem Dei;* et ex aliis testimoniis non
« raro. Idem sumitur, tum ex D. Augustino in regula seu in
« epistola 109 ad monachas quasdam: *Non solum vestri, sed*
« *etiam Prælati miseremini, qui inter vos quanto in loco supe-*
« *riori, tanto in periculo majori versatur.* Et in epistola 19,
« cap. 2, ad finem, laudat Petrum, quod a Paulo sibi inferiore
« non dedignatus est corripi: *Atque ita,* inquit, *rarius et sanc-*
« *tius exemplum posteris præbuit, quo non dedignarentur* (*sic-*
« *ubi forte recti tramitem reliquissent*) *etiam a posterioribus*
« *corrigi...* Tum etiam ex Gregorio statim citando. Ratio est:
« Quia ad hunc actum correptionis non requiritur jurisdictio;
« sed fundatur in conjunctione charitatis, quæ cæteris paribus
« debet esse major ad superiores quam ad alios. Item sæpe ipsi
« magis indigent; quia et in majoribus periculis versantur, et
« pauciores sunt qui audeant loqui : ergo non solum est hæc
« obligatio, sed major.

« Objicies: Sæpe Patres videntur reprehendere correctionem
« subditorum erga Prælatos : et ratio est, quia talis actio videtur
« esse contra reverentiam Prælatorum. — Respondetur, duo in-
« tendere Patres: Primum, in hujusmodi actibus cavendam esse
« omnem irreverentiam et audaciam, atque adeo accedendum
« esse simplici et humili animo, admonendo potius quam repre-

Digitized by Google

« hendendo. Unde Gregorius (ut habetur in cap. *Sicut* 2, « quæst. 7): *Sicut laudabile est debitam reverentiam exhibere « pastoribus, sic rectitudinis et Dei timoris est, ut si qui sint « in eis qui indigeant correptione, nulla dissimulatione postpo- « nantur; ne totum corpus morbus invadat, si languor non « fuerit curatus in capite.* Quam sententiam repetit Nicolaus I « in sua epistola ad Michaelem imperatorem. Secundo, inten- « dunt correptionem judicialem non pertinere ad subditos: imo « etiam Anacletus et Fabianus, uterque in epistola sua secunda « (quæ habentur in tomo I epistolarum Summorum Ponti- « ficum) volunt subditorum accusationem non facile esse ad- « mittendam in judicio contra Prælatos; quia est res valde sus- « pecta. »

Doctrina a citatis auctoribus tradita, unanimi assensu tanquam certa tenetur in scholis catholicis; ita ut supervacaneum sit plures adducere theologos, cum extra omnem omnino controversiam quæstio illa sit apud catholicos.

Neque conflata tantum est doctrina illa ratiociniis theologorum et deductionibus a jure naturali, sed a sanctis Patribus præsertim excerpta. Unum citabimus Augustinum:

Quamquam enim secundum honorum vocabula quæ jam ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus presbyterio major sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est: licet etiam a minore quolibet non sit refugienda vel dedignanda correctio. (Epist. 82, n. 33, edit. Benedictinorum.) Idem vero Augustinus, sic expressius, loquens de S. Paulo qui dicit se Petro in faciem restitisse: *Ipse vero Petrus, quod a Paulo fiebat utiliter libertate caritatis, sanctæ et benignæ pietate humilitatis accepit: atque ita rarius et sanctius exemplum posteris præbuit, quo non dedignarentur* (*sicubi forte recti tramitem reliquissent*) *etiam a posterioribus corrigi; quam Paulus, quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda evangelica veritate* (*salva fraterna caritate*) *resistere. Nam cum satius sit a tenendo itinere in nullo quam in aliquo declinare, multo est tamen mirabilius et laudabilius libenter accipere corrigentem, quam audacter corrigere deviantem. Est laus itaque justæ libertatis in Paulo et sanctæ humilitatis in Petro.* (Epist. 8, n. 22, edit. Bened., t. II, p. 198.)

Digitized by Google

Doctrinam illam, posse scilicet Prælatos quando errant ab inferioribus corrigi, probat præterea praxis Ecclesiæ perpetua; qua non tantum non reprehensi unquam sunt, sed e contra laudati ab Ecclesia semper illi viri, qui, licet gradu Episcopali inferiores, Episcopis in schisma aut hæresim, aliosve nocivos errores lapsis, scripto et facto fortiter restitere; quorum exemplis plena est historia ecclesiastica. Quis unquam, verbi gratia, vituperandum somniabit eruditum patrem Zaccharia, qui licet simplex sacerdos, Episcopum de Hontheim qui se orthodoxum totis viribus clamitabat, arguebat erroris in suo *Antifebronio,* et pestiferas pandens versutiarum jansenisticarum opiniones, ne latius serperent coercebat, atque ipsum Prælatum quantumvis reluctantem ad retractationem adigebat? Quod vero laudabiliter ille, innumeri in tota retro sæculorum serie viri sanctissimi perfecere. Quando vero heterodoxus Episcopus de Soanen antequam in concilio Ebredunensi damnaretur, totam diœcesim suam captiosis litteris pastoralibus a recta fide deturbare conaretur, quis ex ipsius clero sacerdos, quis etiam laicus, sufficienti doctrina instructus, non tantum potuit, sed etiam non debuit pro posse pesti obsistere, et notoriam sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ doctrinam contra errantis Præsulis ausus defendere?

Id ergo plane constat, nec a catholicis unquam doctoribus in dubium vocatum est, 1° procedere correctionem fraternam, non tantum a pari in parem, sed etiam ab inferioribus quibuscumque ad superiores; 2° fieri debere hujusmodi correctiones ea reverentia et humilitate quæ decet Episcopalis dignitatis culmen. Quod autem aliquando accidere possit ut inferior sibi falso persuadeat errasse superiorem, non officit, cum non desit in Prælato potestas ad procedendum contra falsam inferioris persuasionem, ita ut etiam juridice ad sensa sua rejicienda et retractanda possit compellere.

Digitized by Google

§ 2

QUID PARTICULARE CAPITULO INCUMBAT QUOAD OFFICIUM CARITATIVÆ ADMONITIONIS ERGA EPISCOPUM

Dici generatim potest, ubi ad hujusmodi officium tenerentur cæteri inferiores, a fortiori et primo loco teneri capitulum, cum ad id instituatur et erigatur ab Ecclesia ut sit consilium atque senatus Episcopi, atque in unum quoddam corpus ipsi adhæreat. Unde sub gravi ad Sanctæ Sedis notitiam deferre teneretur si quid contra orthodoxam fidem aut Ecclesiæ jura, aut animarum perniciem (quod Deus avertat) moliretur Episcopus; quæ obligatio, cæteroquin per se patens, pluribus textibus in corpore juris exprimitur. In particulari autem memorant canonistæ admonitionem a capitulo faciendam, si Episcopus residentiæ legem negligeret.

« Capitulum, quamvis non possit citare proprium Prælatum, « vel in eum animadvertere, potest tamen eum requirere vel « monere ut redeat ad residentiam. Monitio enim procedit etiam « de inferiori ad superiorem et de pari in parem. Et ex hujus- « modi monitione Episcopus videtur constitui in contumacia non « residendi, et habere ecclesiam pro derelicta; ut propterea « merito illa spoliari possit. » (Fagnanus in c. *Qualiter*, De clericis non residentibus, n. 2.) Sed his non videtur immorandum, cum, favente Dei gratia, adeo raro accidant, ut vix ad praxim spectent.

CAPUT X

JUS CAPITULI QUOAD SEMINARIUM

Sacrosancta Tridentina synodus, dum mirabilem illam atque tot jam fructibus commendatam seminariorum institutionem decrevit, non tantum de erigendis hujusmodi clericorum domibus mandatum edixit, sed earumdem regimen atque gubernationem sapientissimis legibus ordinavit. Atque inter alia, suas habere capitulum partes in seminario sive constituendo, sive administrando voluit atque sancivit. Porro in quibus et quomodo intervenire de jure communi capitulum possit et debeat, nunc

Digitized by Google

expendendum occurrit. Exposito autem communi jure, de præsenti statu seminariorum Galliæ quæstionem instituemus.

§ 1

LEGIS TRIDENTINÆ TEXTUS EXPENDITUR

I. Quidnam statuerit Tridentina synodus. — *Quæ omnia* (1) *atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria, Episcopi singuli cum consilio duorum canonicorum seniorum et graviorum quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituent; eaque ut semper observentur, sæpius visitando operam dabunt. — Et quia ad collegii fabricam instituendam, et ad mercedem præceptoribus et ministris solvendam et ad alendam juventutem, et ad alios sumptus certi reditus erunt necessarii; ultra ea quæ... sunt aliquibus ecclesiis et locis destinata..., iidem Episcopi cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur, itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertineat; ex fructibus integris mensæ Episcopalis, et capituli... et hospitalium... et beneficiorum quorumcumque... partem aliquam vel portionem detrahent: et eam portionem sic detractam... huic collegio applicabunt et incorporabunt. Rationes autem redituum hujus seminarii Episcopus annis singulis accipiat, præsentibus duobus a capitulo, et totidem a clero civitatis deputatis. In ecclesiis autem amplas diœceses habentibus, possit Episcopus unum vel plura in diœcesi, prout sibi opportunum videbitur, habere seminaria: quæ tamen ab illo uno, quod in civitate erectum et constitutum fuerit, in omnibus dependeant.* (Sess. 23, c. 18.)

II. Per decretum istud, Tridentini Patres, pro regimine seminariorum, triplicem constituerunt consultorum seu deputatorum classem; quam nos *commissionis* nomine designabimus. Prima ergo commissio clare reperitur instituta his verbis: *Quæ omnia atque alia ad hanc rem opportuna, Episcopi singuli*

(1) Nempe quæ respiciunt seminariorum regimen immediate antea in hoc decreto descriptum.

Digitized by Google

cum consilio duorum canonicorum quos ipsi elegerint constituent. Illorum scilicet canonicorum consilio Episcopus uti debet generatim pro universali regimine seminarii, excepta administratione rerum temporalium, cui alio modo per synodum providetur. Hæc vero prima commissio, utpote ab aliis pro administratione temporali constitutis diversa, vocari potest commissio *pro administratione spirituali seminariorum.* Alteram hujusmodi commissionem invenimus non minus clare constitutam his ejusdem decreti: verbis: *Quia ad collegii fabricam...*, *ad alendam juventutem et ad alios sumptus reditus sunt necessarii, Episcopi cum consilio duorum de capitulo itemque duorum de clero civitatis... beneficiorum quorumcumque partem aliquam detrahent, et huic collegio applicabunt.* Ista vero secunda commissio a priori reperitur omnino distincta. Prior enim constat duobus canonicis a solo Episcopo electis: hæc duobus canonicis, quorum alter ab Episcopo, alter a capitulo eligitur; et insuper duobus de clero civitatis, quorum unus ab Episcopo, alter a clero eligendus est. Isti vero quatuor, juxta tenorem decreti, constituuntur consilium Episcopi in procurandis seminario reditibus et in modo illos reditus eidem seminario applicandi. Unde secunda hæc commissio pro objecto habet administrationem aliquam rerum temporalium seminarii; et vocari potest commissio *pro administratione temporali seminariorum.* Tertiam tandem deputatorum classem reperimus his decreti terminis expressam: *Rationes autem redituum seminarii Episcopus annis singulis accipiat, præsentibus duobus a capitulo et totidem a clero civitatis deputatis.* Ibi enim reperiuntur duo alii canonici a capitulo ambo deputandi, et duo de clero civitatis, ambo pariter ab eodem clero nominandi; et cœtus ille pro objecto speciali habet assistere Episcopo, dum ei quotannis qui regunt seminarium administrationis rationem reddunt. Porro tertia illa deputatorum classis vocari potest commissio *reddendæ rationis* de seminarii administratione.

Paulo aliter diversas species deputatorum distinguit Ferraris (verbo Seminarium, n. 9): « Pro administratione et regimine « seminarii faciendæ statuuntur tres species deputatorum seu « consultorum. Prima species est duorum canonicorum ab Epi-

Digitized by Google

« scopo eligendorum ; secunda species est duorum etiam de ca-
« pitulo, quorum alter ab Episcopo, alter vero ab ipso capitulo
« est eligendus. Tertia species est duorum de clero civitatis,
« quorum unus similiter ab Episcopo, et alter a clero est eli-
« gendus. » Ubi videtur ab illo auctore in duas classes dividi commissionem quam vocavimus *administrationis temporalis*. De deputandis autem quando ratio administrationis redditur Episcopo, idem auctor separatim non loquitur. Sed modus enumerandi nihili refert, dum de rebus ipsis certo constat; potestque lector modum qui sibi magis arriserit anteferre.

Præterea clare sanxerunt Tridentini Patres, omnia ejusdem diœcesis seminaria cum eodem trium prædictarum commissionum interventu fore administranda, cum expresse statuerit, ut *ab illo uno quod in civitate erectum et constitutum fuerit in omnibus dependeant*. Quo decreto comprehendi etiam ea collegia quæ in Galliis sub appellatione *parvorum seminariorum* veniunt, in quibus nempe grammatica, humaniores litteræ, aliæque præter theologicas disciplinæ docentur, manifestum est; hæc omnia enim sub nomine seminariorum Patres Tridentini expressis terminis in reliqua parte ejusdem capitis 18, sessionis 23, comprehendunt.

At vero multa alia expresse non definierunt: verbi gratia, utrum prædictarum commissionum membra perpetua sint, an vero revocari possint ad nutum; quænam singillatim materiæ uniuscujusque commissionis proprium objectum constituerent, an earum votum decisivum sit, an vero consultivum tantum; et his similia. Quod ergo expectandum erat, et quoad multas alias ejusdem synodi leges accidit, circa dicti decreti interpretationem etiam evenit. Plura scilicet orta dubia; ad quorum solutionem multa Summi Pontifices statuta, multas tribunalia Romana responsiones ediderunt. His autem admirandæ illi seminariorum institutioni atque ordinationi qua Tridentina synodus Ecclesiam ditavit atque in immensum corroboravit, suum complementum atque perfectio absolutissima accessit.

Digitized by Google

§ 2

DE COMMISSIONE DEPUTATORUM PRO ADMINISTRATIONE SPIRITUALI SEMINARII

Jam ex textu ipso legis Tridentinæ, vidimus illam commissionem duobus tantum canonicis constare. Porro de illis duobus deputatis hæc expendenda veniunt : 1° ad quos pertineat eorum electio ; 2° an sint ad nutum Episcopi revocabiles ; 3° an Episcopus teneatur ipsorum consilium requirere ; 4° an teneatur illud consilium sequi ; 5° quænam materiæ hanc commissionem respiciant ; 6° an duo illi canonici, dum absunt a choro ut cum Episcopo deliberent et officio suo fungantur, lucrentur distributiones.

I. *Electio duorum deputatorum pro administratione spirituali ad solum Episcopum pertinet.* — Id extra omnem controversiam est, ob expressa Tridentini decreti verba : *Episcopi singuli cum consilio duorum canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint prout Spiritus sanctus suggesserit.* Quod autem ibi dicitur *seniorum*, non ita intelligendum est ut duo canonici magis ætate provecti debeant necessario ab Episcopo ad id munus eligi ; simul enim requirit concilium ut sint *graviores*, prudentia scilicet et scientia atque virtutis fama, quæ eos reddat ad tale officium idoneos. De quibus dotibus judicium conscientiæ Episcopi omnino permittitur. Unde etiam validam fore videtur electionem duorum juniorum, si isti dictis qualitatibus plus cæteris fulgerent. Imo nimis provecta ætas, utpote inhabilitatem ad recte explendum tam graveofficium secum trahens, una est ex causis propter quas possunt, ut infra dicetur, canonici commissionem constituentes amoveri. Regulariter tamen, ut patet, ii laudabilius eligentur quos ætatis quædam gravitas simul cum aliis dotibus commendabit.

II. *Duo deputati pro administratione spirituali, statim ac electi fuerunt ab Episcopo, perpetui sunt, et non ad libitum Episcopi revocabiles.* — In tomo VII *Thesauri resolutionum*, pagina 212, referuntur a secretario S. Congregationis concilii sequentes ejusdem Congregationis declarationes, quibus responsum est, duos canonicos commissionis

Digitized by Google

prædictæ non esse ad nutum Episcopi revocabiles sed perpetuos.

« In Salernitana. — I. *An duo canonici, electi ab Archie-* « *piscopo ad constituendam educationem puerorum semi-* « *narii, possint pro libito Archiepiscopi mutari?* — Respon- « sum fuit: — *Ad I non posse amoveri, nisi ex legitima causa.* » (Ut in libro VI Decretorum, p. 22 et seq.)

« In Papiensi, 7 julii 1591, eadem Congregatio censuit, « *canonicos ab Episcopo electos ad seminarii administra-* « *tionem* (*ad præscriptum capitis* 18, *sessionis* 23, *versus* « Quæ omnia), *esse perpetuos, nec posse amoveri nisi ex justa* « *et legitima causa.* » (Ut in libro XVI Decretorum, pagina 221.)

Concilium Mediolanense V postquam dixit de duobus commissionem pro administratione spirituali, et de quatuor commissionem pro administratione temporali constituentibus, sic addit: « Ii porro omnes, ubi semel delecti sunt, ne unquam (nisi « ob causam quæ cum ratione conveniat) eo munere abdicentur. » (Acta Ecclesiæ Mediol. V conc. provinc., t. I, p. 211, edit. Lugd.)

Apud Pignatelli (t. IX, consul. 81, n. 50) sic refertur decisum in causa Cremonensi, 5 septembris 1602:

« Illi duo de capitulo eligendi, postquam fuerint electi, erunt « perpetui, nec sine causa legitima amoveri possunt. Est autem « causa legitima senectus, infirmitas et similis alia. »

Giraldi aliam indicat hujusmodi declarationem, nempe in *Sarzanensi*, 25 junii 1629, libro XVI Decretorum, p. 221. (Giraldi, *Jus pontificium*, pars II, sect. 108, t. III, p. 982, edit. Romæ, 1769.)

Unde nullum jam esse potest dubium circa perpetuitatem hujusmodi deputatorum. Nec de facto ulla existit de hac re controversia apud canonistas; sed omnes unanimiter docent illos deputatos absque legitima causa removeri non posse, cum illorum officium inter perpetua recensendum sit.

III. *Omnino tenetur Episcopus de jure communi, commissionis pro administratione spirituali consilium requirere in iis quæ ad hanc commissionem spectant.* — Patet ex supra citato textu legis Tridentinæ, *quæ omnia cum consilio duorum canonicorum... constituent.* Illa scilicet verba non exhortativa tantum existimanda sunt, sed præceptum proprie dictum exprimunt.

Digitized by Google

Et ita semper intellexit et declaravit Sacra Congregatio concilii. In tomo VII *Thesauri resolutionum,* pagina 212, secretarius dictæ Congregationis sic refert duas declarationes ad hanc rem pertinentes:

« In *Salernitana* propositis inter cætera hisce dubiis... *II.* « *An eorum consilium adhibendum in constituendis regulis* « *universalibus seminarii, electione singulorum puerorum* « *introducendorum, electione magistrorum, librorum legen-* « *dorum... et similibus ?* — Responsum fuit *Ad II in omnibus* « *his esse adhibendos*, ut in libro VI Decretorum, p. 22. »

« In *Oscensi* proposita sub mensem octobris 1585, ita ha- « betur : *Alias Sacra Congregatio ad interpretationem decreti* « *capitis* 18, *sessionis* 23, *censuit, Episcopum Oscensem cum* « *consilio deputatorum teneri, tam circa institutionem, dis-* « *ciplinam et mores clericorum, quam... providere.* »

Ita etiam tenent doctores consensu unanimi. Unde etiam in Gallia auctores qui negarunt ad id obligari Episcopos hujus regionis, exemptionem hanc tribuerunt juri speciali Galliæ, ut infra videbitur ; non autem in dubium revocarunt obligationem a concilio Tridentino impositam.

Imo Ferraris, loquens simul tum de commissione pro administratione spirituali, tum de commissione pro administratione temporali, sic affirmat : « Hinc Episcopus tenetur omnino re- « quirere consilium prædictorum deputatorum respective : « alias, actus non valet; cum tale consilium videatur requisitum « a concilio *pro forma* » (ad verbum *Seminarium*, n. 11). Unde videtur posse concludi, verbi gratia, non teneri Rectorem seminarii ad executionem deducere ordinationem Episcopalem aliquid circa mores, disciplinam institutionemve seminaristarum disponentem, si Episcopus inconsultis duobus deputatis processerit. Ordinatio scilicet, utpote destituta conditione illa necessaria, invalida tunc remaneret nec obligandi vim haberet.

IV. *Episcopus eorum consilium sequi non tenetur.* — « Licet « autem Episcopus teneatur deputatorum consilium requirere, « non tamen tenetur sequi. Seminarii deputati et alii officiales « habent votum consultivum, non autem decisivum. (Sacra « Congregatio concilii 1620, apud Barbosam, loco citato, n. 6; « et Aldanum, in Compendio canonicarum resolutionum, l. III,

Digitized by Google

« tit. 18, n. 2.) » Ita Ferraris, v° *Seminarium*, n. 12 et 13. Idem colligere est ex concilio Mediolanensi V : « Eorum igitur quos « delegerit consilium sequi cum non cogatur... »

In tomo VII, pag. 212, *Thesauri resolutionum*, secretarius Sacræ Congregationis concilii sic refert ab eadem Congregatione fuisse decisum : « In *Oscensi*, proposita sub mensem octo- « bris 1585, ita habetur: *Alias Sacra Congregatio, ad inter-* « *pretationem decreti capitis* 18, *sessionis* 23, *censuit, Episco-* « *pum Oscensem cum consilio deputatorum teneri, tam circa* « *institutionem, disciplinam et mores clericorum, quam circa* « *temporalium rerum administrationem providere; sufficere* « *tamen quod Episcopus hujusmodi consilium requirat,* « *eorumque consilio adhibito posse Episcopum statuere et* « *deliberare quæ pro prudentia sua magis expedire judica-* « *verit*..... Ut in libro IV Decretorum, pagina 84.

« Quamvis autem, ait Giraldi, Episcopus dictum consilium « teneatur adhibere, non tamen cogitur illud sequi ; nec hi duo « canonici quidquam juris habent in directione seminarii absque « Episcopo vel ejus vicario; ut ex sequenti decreto dictæ Con- « gregationis (in *Ariminensi*, 16 februarii 1689 : *Item respon-* « *dit: duos canonicos ab Episcopo electos ad regimen semi-* « *narii constituendum, neque in receptione alumnorum, neque* « *in eorum ejectione, aliave re ad ipsius seminarii directionem* « *spectante, quidquam curæ habere, aut sibi vindicare posse* « *absque Episcopo vel ejus vicario; sed tantum debere Episco-* « *pum vel ejus vicarium, in ejusmodi rebus ipsorum consilium* « *requirere, licet illud sequi non teneatur.* » (Giraldi, *Jus pontificium*, parte II, sect. 109, t. III, p. 983, edit. Romæ, 1769.)

Hanc præterea thesim tanquam omnino certam tradunt unanimiter canonistæ; unde inutile esset diutius in ea probanda immorari.

V. *Quænam pertineant ad commissionem pro administratione spirituali institutam?* — Ex ipsomet textu legis Tridentinæ. — Attributiones hujus commissionis generaliori modo expresserat ipsummet Tridentinum decretum, his scilicet verbis: *Quæ omnia atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria Episcopi singuli cum consilio duorum canonicorum constituent.* Dum sancta synodus dicit: *quæ omnia,* hujus commis-

Digitized by Google

sionis consilio subjecta vult plura quæ immediate antea ab Episcopo ordinanda enumeraverat; quinam scilicet et quomodo recipiendi alumni; qua ætate; quomodo in varias classes distribuendi; in quibus disciplinis exercendi; quando habitu clericali et tonsura donandi; qua ratione disponenda studia Sacræ Scripturæ, sanctorum Patrum, theologiæ et liturgiæ; qua norma ad Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta accedere debeant, et tum cathedrali, tum aliis loci ecclesiis inservire. Dum ergo sacra synodus his omnibus addit generaliter: *alia ad hanc rem opportuna et necessaria,* comprehendit procul dubio totam omnino seminarii administrationem, excepto rerum temporalium regimine, pro quo duas alias speciales commissiones instituit. Poterant ergo ex solo Tridentino textu facile determinari casus particulares in quibus tenetur Episcopus commissionis hujus consilium requirere. Nihilominus tamen varia prodiere Sacræ Congregationis concilii responsa, quibus præcipui hujusmodi casus expresse declarantur.

Ex declarationibus S. Congregationis concilii. — In causa quadam Mediolanensi declarati sunt varii casus ad commissionem de qua agimus spectare, prout hoc modo referunt Pignatelli (tom. IX, consult. 81, n. 62), et Ferraris (verbo *Seminarium,* n. 91): « Canonici electi ab Episcopo ad constituendam « educationem puerorum mutari non debent nisi ut supra, et « eorum consilium Episcopi tenentur adhibere, sed non tenen- « tur sequi; et adhibendum est in omnibus infra scriptis:

« In constituendis regulis universalibus seminarii.
« In electione singulorum introducendorum.
« In electione librorum legendorum.
« In punitione dyscolorum.
« In visitationibus.
« In electione loci.
« In electione magistrorum.
« In electione confessoris.
« In eorumdem expulsione. »

Extat in libro VI Decretorum, pagina 22, declaratio circa eamdem materiam, in causa quadam *Salernitana* edita; quæ postea transcripta fuit in tomo VII, pagina 212, *Thesauri resolutionum,* hoc modo:

Digitized by Google

« In *Salernitana,* propositis ad petitionem capituli cathedra-
« lis inter cætera hisce dubiis : *I. An duo canonici electi ab*
« *Archiepiscopo ad constituendam educationem puerorum*
« *seminarii possint pro libito Archiepiscopi mutari? II. An*
« *eorum consilium adhibendum tam in constituendis regulis*
« *universalibus seminarii, electione singulorum puerorum in-*
« *troducendorum, electione magistrorum, librorum legendo-*
« *rum, confessoris punitione* (1), *dyscolorum expulsione,*
« *visitatione, et similibus?* — Responsum fuit : — *Ad pri-*
« *mum, non posse amoveri nisi ex legitima causa. Ad secun-*
« *dum, in omnibus his et similibus esse adhibendos.* » Notanda sunt hæc verba, *et similibus :* Congregatio scilicet non tantum declarat requiri consilium commissionis in casibus enumeratis, sed etiam in aliis similibus ; quod congruit textui Tridentino, *Quæ omnia, atque alia ad hanc rem opportuna.*

Objectum prædictæ commissionis brevius sic exponit concilium Mediolanense V (t. I, pag. 211, edit. Lugdunensis) : « Episcopus... eligat... canonicos duos quorum consilio in iis
« utatur quæ ad puerorum ejusdem seminarii institutionem,
« disciplinam moresque attinent. »

An autem Episcopus teneatur requirere consilium *commissionis* pro administratione spirituali in deputandis Rectore et aliis officialibus? Non est nobis certum ; cum Congregatio concilii videatur hanc materiam potius referre ad commissionem administrationis temporalis. Sic enim in tomo VII, pagina 213, *Thesauri resolutionum,* a secretario dictæ Congregationis refertur decisum : « In *Fundana* denique, inter cætera fuerunt dis-
« cussa duo hæc dubia : *I. An Episcopus potuerit et possit de-*
« *putare Rectorem aliosque officiales seminarii absque consilio*
« *deputatorum a capitulo? II. An... ?* — Die vero 26 mar-
« tii 1689, responsum fuit : — *ad I negative.* » Dici quidem potest ibi requiri consilium duarum aliarum commissionum, non tamen exprimi non esse etiam requirendum a prima. At vero in enumeratione supra citata materiarum quæ respiciunt primam commissionem, nempe administrationis spiritualis, videmus agi de electione magistrorum, non autem de Rectoris et of-

(1) Videtur esse typi mendum, et legendum *confessoris deputatione.*

Digitized by Google

ficialium: quod tanquam principale, non omissum fuisset, si ad hanc commissionem illud pertinuisset. Cæteroquin prudentius aget Episcopus si, dum agitur de eligendo Rectore et officialibus seminarii, etiam a deputatis pro administratione spirituali consilium requirat.

VI. *Absentes a choro ad obeundum munus illud non privantur distributionibus.* — « Dicti duo canonici deputati si « quando contingat ea de causa sine fraude ab ecclesia abesse « cum Episcopo, non sunt privandi quotidianis distributionibus, « tanquam absentes propter Ecclesiæ utilitatem ex officio eis « attributo. » (Ferraris, v° *Seminarium*, n. 16.)

Id vero extendendum est ad canonicos aliarum commissionum, ex eadem ratione; quia nempe tunc vere absunt *ob ecclesiæ utilitatem.* Certum autem est canonicum, dum abest ob ecclesiæ utilitatem, ita excusari ut non tantum fructus præbendæ, sed etiam distributiones lucretur.

§ 3

DE COMMISSIONE DEPUTATORUM PRO ADMINISTRATIONE TEMPORALI SEMINARII

Jam supra vidimus, ex textu ipso Tridentini decreti, commissionem hanc constare duobus de capitulo et duobus de clero civitatis. De illis quatuor deputatis hæc tractanda veniunt: 1° Ad quos pertineat eorum electio; 2° an sint inamovibiles; 3° an Episcopus, in temporali administratione seminarii, eorum consilium requirere teneatur; 4° an teneatur illud consilium sequi; 5° quænam materiæ hanc commissionem respiciant; 6° an officium dictæ commissionis extendatur ad omnia diœcesis seminaria?

I. *Ad quos pertineat electio deputatorum pro administratione temporali seminarii?* — De duobus qui assumendi sunt e capitulo non est difficultas, cum Tridentina synodus expresse dicat : *Quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur.* Quoad duos assumendos *de clero civitatis,* certum est alterius electionem ad Episcopum pertinere, ita decernente prædicto Tridentino concilio: *Quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum pertineat.* At vero dum sacra synodus

Digitized by Google

addit : *alterius vero ad clerum pertineat,* ambigi potest utrum id intelligendum sit de solo clero civitatis, an vero de totius diœcesis clero. Videtur autem hoc postremo sensu intelligendum; dum enim Sacra Synodus dixit generaliter electionem faciendam esse *a clero,* quæ vox per se totum diœcesis clerum comprehendit, non est ratio cur restringatur ad designandum tantum civitatis clerum. Præterea mens concilii Tridentini videtur ea fuisse, ut in eligendis deputatis, in aliqua proportione intervenirent ii omnes quos tangit administratio temporalis seminarii; sed illa administratio non solum tangit civitatis clerum, sed et reliquum; beneficiati enim omnes, sive de civitate, sive foranei, ad solvendam taxam pro sustentatione seminarii concurrere tenentur. Idem confirmat discussio causæ e diœcesi Tudertina ad Sacram Congregationem concilii delatæ, 15 septembris 1792. Parochus cathedralis Tudertinæ, nomine Mariani, in deputatum seminarii viva voce a clero electus fuerat anno 1788. Postea, in comitiis anni 1791, idem clerus eum ab officio removit. Validam non esse remotionem contendente prædicto Mariano, res ad Sacram Congregationem delata est, cujus secretarius rationes utriusque partis sic exponit : « Eam « (remotionem Mariani) validam tuetur clerus ob *illegitimam* « illius electionem. Irrita quidem fit electio, ad quam omnes « vocati non sint electores ; idque evenisse ait clerus in electione « Mariani, dum, Episcopo teste, ac forensibus deponentibus « parochis, tardius denuntiantes epistolæ ad vicarios foraneos « pervenerunt. Nec dubitandum censet quin omnes vocari de- « buissent diœcesani parochi ; nam regulariter deputati semi- « narii in diœcesana eliguntur synodo, in qua totus congre- « gatur clerus, secundum Van-Espen (parte 2, tit. II, c. 3, « § 12), Corradum (in *Praxi benefic.*, l. IV, c. 8, n. 28), Mona- « celli (parte 1, tit. 12, form. 2, n. 2) ; vel eo legitime vocato, « si mos sit eligendi extra synodum. Ratio accedit congruentiæ : « nam universus Tudertinæ diœcesis clerus taxam solvit semi- « narii, ideoque habere videtur jus ad correspectivum honorem « eligendi ejus deputatos. Altero etiam ex capite nullam dicit « clerus electionem Mariani ; ex eo nempe quod expleta fuerit « viva voce...

« Regulam contra urget Marianus, per clerum admissam, de

Digitized by Google

« perpetuo eorum munere quibus semel commissa est seminarii « administratio, ejusque regulæ limitationem de legitima remo- « tionis causa... Ad primam excludendam nullitatem ex defecta « interpellationis cleri forensis, acta ipsa appellat comitiorum « anni 1788, in quibus contrarium legitur in hæc verba: *Con- « gregati domini de clero urbano viva voce elegerunt depu- « tatum hujus venerabilis seminarii dominum Mariani ca- « thedralis parochum; et huic electioni assensum præbuerunt « congregati domini de clero forensi.* » (*Thesaurus resolutionum*, tomo LXI, pag. 160.) Ibi videmus 1° in Tudertina diœcesi electionem deputandi de clero civitatis fieri solitam fuisse a totius diœcesis clero; 2° persuasum ibidem fuisse id ita requiri de jure communi; ita etiam ut duæ partes litigantes confiterentur nullitatem electionis ad quam clerus foraneus non concurrisset.

Unde concludendum videtur eligendum quidem unum *de clero civitatis;* sed electionem a totius diœcesis clero esse peragendam.

II. *Semel electi, sunt inamovibiles.* — In tomo VII *Thesauri resolutionum*, pagina 212, sic refert declaratum fuisse secretarius dictæ Congregationis:

« In *Salernitana*, propositis hisce dubiis:... *IV. An hi qua- « tuor deputati sint perpetui, vel etiam amovibiles, servata ra- « tione concilii in eorum electione?* — Responsum fuit — *ad « IV, esse perpetuos;* ut in libro VI Decretorum, pagina 22 et « seq. » Ibi autem agitur de quatuor deputatis pro administratione temporali; nam istæ voces *hi quatuor* referuntur ad eos de quibus agebatur in dubio III; porro in isto dubio mox citando, expresse agitur de deputatis pro administratione temporali.

Jam supra citavimus concilium V Mediolanense sic declarans: *Ii porro omnes, ubi semel delecti sunt, ne unquan* (*nisi ob causam*) *eo munere abdicentur.*

Idem tanquam certum tenent unanimiter canonistæ, ita ut supervacaneum sit alias auctoritates congerere. Quemadmodum ergo duo deputati pro administratione spirituali et ab Episcopo eligendi inamovibiles sunt, ita et quatuor isti pro administratione temporali electi. Removeri tamen posse ab Episcopo ex legitima causa, dubium esse nequit, cum semper ex legitima causa remo-

Digitized by Google

veri possit quilibet, quantumvis perpetuus. Exemplum hujusmodi remotionis reperimus in declaratione Sacræ Congregationis concilii (in Tricaricensi, 24 martii 1736). Cum scilicet unus ex deputatis pro administratione temporali seminarii, Filliucci nomine, varios patrasset excessus, inter alia dubia propositum est : *III. An sit locus remotioni canonici Filliucci deputati seminarii?* — Et S. Congregatio rescripsit — *ad III affirmative.* Est tamen illud discrimen quoad inamovibilitatem inter deputatos seminarii et eos qui possident beneficia perpetua, quod priores propter senectutem infirmitatemve quibus redduntur officio impares, removeri possunt : alii vero propter tales causas privari nequeunt beneficio perpetuo; sed si beneficium sit cum cura animarum, aliter providetur, ut dicimus in tractatu *de Parocho.*

III. *Ita tenetur Episcopus requirere consilium hujus commissionis, ut acta absque hoc consilio sint irrita.* — Quoad beneficia seminario unienda hoc certum esse sic tradit Benedictus XIV : « Quorum quidem (quatuor seminarii deputatorum) « consilium a Tridentina synodo in unionibus hujusmodi, *pro* « *forma*, ut dici solet, requiritur, ut observat Lotterus (*De re be-* « *nef.*, l. 1, q. 27, n. 60), et ut resolutum fuit a Congregatione « ejusdem concilii interprete (in causa Giennensi, 14 februarii « 1544, — l. VIII Decretorum, pag. 14) : *Sacra Congregatio* « *censuit uniones factas seminario absque consilio eorum qua-* « *tuor quos jubet concilium adhiberi, minime valere.* Et in alia « (Ferrariensi, 3 martii ejusdem anni, — lib. VIII Decretorum, « p. 16 a tergo) : *Sacra Congregatio censuit in unionibus be-* « *neficiorum faciendis seminario, satis esse servare formam* « *traditam a concilio* (c. 18, ses. 23), *nec requiri consilium* « *capituli.* » (De syn. diœcesana, l. IX, c. 7, n. 2.)

Quoad taxam imponendam et generatim quoad alia omnia sic concludit Monacelli : « Taxa pro seminario constitui debet, ut « concilium mandat, cum consilio deputatorum; aliter solus « Episcopus inutiliter taxaret : nam obligatus ad petendum con- « silium alicujus (licet sequi non teneatur), si illud non petat, « nulliter agit; ex congestis a Pignatelli (cons. 180, n. 7, t. I); « et in terminis declaravit Sacra Congregatio concilii. » (In Salernitana, quam refert Crispinus, *De visit.*, part. II, § 31, n. 6.)

Digitized by Google

Idem tradit Ferraris, sic affirmans tam de deputatis quoad spiritualem administrationem, quam de deputatis quoad temporalem: « Hinc Episcopus tenetur omnino requirere consilium « prædictorum deputatorum respective; alias actus non valet; « cum tale consilium videatur requisitum a concilio *pro forma.* » (Ad verbum *Seminarium*, n. 11.)

IV. *Episcopus non tenetur sequi consilium deputatorum pro administratione temporali seminarii.* — Jam vidimus in paragrapho præcedenti Episcopum non teneri sequi consilium deputatorum pro administratione spirituali. Porro idem est quoad deputatos pro administratione temporali. Tridentina enim synodus quoad utrosque requirit quidem ab Episcopo adhiber iconsilium hujusmodi deputatorum, sed nihil amplius. Unde Sacra Congregatio concilii id pluries declaravit: unam ex illis declarationibus in paragrapho præcedenti retulimus; in qua minime teneri Episcopum ad sequenda consilia deputatorum sive pro spirituali, sive pro temporali administratione seminarii, respondet Sacra Congregatio. Alias similes responsiones vide sub sequenti numero. De cætero, unanimis est hac in re canonistarum sententia, et omnino certa.

V. *Determinari possunt materiæ hanc commissionem spectantes hoc modo: excepta exactione taxæ, Episcopus tenetur illius consilium requirere in tota administratione temporali seminarii, etiam in deputandis rectore et officialibus, et in recipienda ratione administrationis quotannis reddenda.* — Si perpendatur tantum Tridentinus textus, huic commissioni non reperietur expresse attributum nisi unicum officium; præstandi scilicet consilii Episcopo in constituenda taxa et uniendis beneficiis ad erectionem et sustentationem seminarii. Unde non mirum est ortum esse dubium de hac re, et a Sacra Congregatione concilii postulatum fuisse utrum a dictis deputatis consilium expetere teneretur Episcopus in tota reliqua administratione temporali. Congregatio autem omnia dubia sustulit sequentibus declarationibus.

« In *Salernitana*, propositis ad petitionem capituli cathedralis « inter cætera hisce dubiis: —III. *An alii quatuor sint deputandi,* « *et deputati adhibendi sint in consilio tantummodo in taxa-* « *tione, contributione fructuum ex unione beneficiorum et in*

Digitized by Google

veri possit quilibet, quantumvis perpetuus. Exemplum hujusmodi remotionis reperimus in declaratione Sacræ Congregationis concilii (in Tricaricensi, 24 martii 1736). Cum scilicet unus ex deputatis pro administratione temporali seminarii, Filliucci nomine, varios patrasset excessus, inter alia dubia propositum est : *III. An sit locus remotioni canonici Filliucci deputati seminarii?* — Et S. Congregatio rescripsit — *ad III affirmative.* Est tamen illud discrimen quoad inamovibilitatem inter deputatos seminarii et eos qui possident beneficia perpetua, quod priores propter senectutem infirmitatemve quibus redduntur officio impares, removeri possunt : alii vero propter tales causas privari nequeunt beneficio perpetuo; sed si beneficium sit cum cura animarum, aliter providetur, ut dicimus in tractatu *de Parocho.*

III. *Ita tenetur Episcopus requirere consilium hujus commissionis, ut acta absque hoc consilio sint irrita.* — Quoad beneficia seminario unienda hoc certum esse sic tradit Benedictus XIV : « Quorum quidem (quatuor seminarii deputatorum) « consilium a Tridentina synodo in unionibus hujusmodi, *pro* « *forma*, ut dici solet, requiritur, ut observat Lotterus (*De re be-* « *nef.*, l. 1, q. 27, n. 60), et ut resolutum fuit a Congregatione « ejusdem concilii interprete (in causa Giennensi, 14 februarii « 1544, — l. VIII Decretorum, pag. 14) : *Sacra Congregatio* « *censuit uniones factas seminario absque consilio eorum qua-* « *tuor quos jubet concilium adhiberi, minime valere.* Et in alia « (Ferrariensi, 3 martii ejusdem anni, — lib. VIII Decretorum, « p. 16 a tergo) : *Sacra Congregatio censuit in unionibus be-* « *neficiorum faciendis seminario, satis esse servare formam* « *traditam a concilio* (c. 18, ses. 23), *nec requiri consilium* « *capituli.* » (De syn. diœcesana, l. IX, c. 7, n. 2.)

Quoad taxam imponendam et generatim quoad alia omnia sic concludit Monacelli : « Taxa pro seminario constitui debet, ut « concilium mandat, cum consilio deputatorum; aliter solus « Episcopus inutiliter taxaret : nam obligatus ad petendum con- « silium alicujus (licet sequi non teneatur), si illud non petat, « nulliter agit; ex congestis a Pignatelli (cons. 180, n. 7, t. I); « et in terminis declaravit Sacra Congregatio concilii. » (In Salernitana, quam refert Crispinus, *De visit.*, part. II, § 31, n. 6.)

Digitized by Google

Idem tradit Ferraris, sic affirmans tam de deputatis quoad spiritualem administrationem, quam de deputatis quoad temporalem : « Hinc Episcopus tenetur omnino requirere consilium « prædictorum deputatorum respective ; alias actus non valet; « cum tale consilium videatur requisitum a concilio *pro forma.* » (Ad verbum *Seminarium*, n. 11.)

IV. *Episcopus non tenetur sequi consilium deputatorum pro administratione temporali seminarii.* — Jam vidimus in paragrapho præcedenti Episcopum non teneri sequi consilium deputatorum pro administratione spirituali. Porro idem est quoad deputatos pro administratione temporali. Tridentina enim synodus quoad utrosque requirit quidem ab Episcopo adhiber iconsilium hujusmodi deputatorum, sed nihil amplius. Unde Sacra Congregatio concilii id pluries declaravit : unam ex illis declarationibus in paragrapho præcedenti retulimus ; in qua minime teneri Episcopum ad sequenda consilia deputatorum sive pro spirituali, sive pro temporali administratione seminarii, respondet Sacra Congregatio. Alias similes responsiones vide sub sequenti numero. De cætero, unanimis est hac in re canonistarum sententia, et omnino certa.

V. *Determinari possunt materiæ hanc commissionem spectantes hoc modo : excepta exactione taxæ, Episcopus tenetur illius consilium requirere in tota administratione temporali seminarii, etiam in deputandis rectore et officialibus, et in recipienda ratione administrationis quotannis reddenda.* — Si perpendatur tantum Tridentinus textus, huic commissioni non reperietur expresse attributum nisi unicum officium ; præstandi scilicet consilii Episcopo in constituenda taxa et uniendis beneficiis ad erectionem et sustentationem seminarii. Unde non mirum est ortum esse dubium de hac re, et a Sacra Congregatione concilii postulatum fuisse utrum a dictis deputatis consilium expetere teneretur Episcopus in tota reliqua administratione temporali. Congregatio autem omnia dubia sustulit sequentibus declarationibus.

« In *Salernitana*, propositis ad petitionem capituli cathedralis « inter cætera hisce dubiis : — III. *An alii quatuor sint deputandi,* « *et deputati adhibendi sint in consilio tantummodo in taxa-* « *tione, contributione fructuum ex unione beneficiorum et in*

Digitized by Google

« *aliis difficultatibus ob quas seminarii instructio vel conser-*
« *vatio impediretur aut perturbaretur; an etiam in exactione et*
« *temporalium administratione dicti seminarii, utputa, de-*
« *putatione vel expulsione ministrorum et famulorum tem-*
« *poralium, expensis quotidianis provisionis bladorum, quam*
« *etiam bonorum quorumcumque et redituum ipsius seminarii*
« *etiam ex beneficiis unitis, utputa, locationibus, concessioni-*
« *bus, aliisque contractibus, litibus?* Responsum fuit — *Ad III,*
« *teneri Episcopum adhibere deputatorum consilium tam*
« *circa institutionem, disciplinam, et mores, quam tempora-*
« *lium rerum administrationem.* » Ita secretarius Congregationis hanc declarationem retulit, ut videre est in tomo VII *Thesauri resolutionum*, pagina 212. In Archiviis autem Congregationis manuscripta reperitur in libro VI Decretorum, pag. 22. Porro ex ista declaratione sequitur Episcopum non minus teneri ad requirendum consilium pro tota generatim administratione temporali a deputatis pro hac administratione, quam ad illud requirendum circa institutiomem, disciplinam et mores a deputatis pro administratione spirituali. Excipienda tamen est, ut modo videbimus, *exactio taxæ*, quæ ad solum Episcopum ita pertinet ut non teneatur adhibere commissionem. In quadam causa *Mediolanensi* (referente Pignatelli, t. IX, cons. 81, n. 62), ad commissionem pro administratione temporali spectare declarati sunt sequentes casus :

« Alii quatuor adhibendi sunt deputati in consilio,

« Circa taxationem fructuum contributionis;

« Circa unionem beneficiorum;

« In difficultatibus ob quas seminarii instructio vel conserva-
« tio impeditur aut perturbatur;

« In omni temporali administratione seminarii;

« In expulsione et deputatione ministrorum seminarii, in ex-
« pensis quotidianis, in provisionibus bladorum, in administra-
« tione bonorum quorumcumque ac redituum ipsius. Non au-
« tem etiam in iis Episcopus tenetur sequi eorumdem consilium,
« sed ut supra solummodo adhibere.

« In *Oscensi*, proposita sub mensem octobris 1585, ita habe-
« tur : *Alias Sacra Congregatio ad interpretationem decreti*
« *capitis* 18, *sess.* 23, *censuit, Episcopum Oscensem cum con-*

Digitized by Google

« *silio deputatorum teneri tam circa institutionem, discipli-* « *nam et mores clericorum, quam circa temporalium rerum* « *administrationem providere; exactionem vero quæ fit pro* « *seminario ad solum Episcopum pertinere.* » Hanc declarationem transcribimus ex relatione a secretario Sacræ Congregationis concilii facta, tomo VII, pag. 212 *Thesauri resolutionum.* Extat autem manuscripta in libro IV Decretorum, pag. 84, in Archiviis dictæ Congregationis.

« In *Curiensi*, anno 1594, editum fuit hoc rescriptum : *Sacra* « *Congregatio censuit omnes quatuor deputatos adhibendos* « *esse in consilio in tota temporali administratione seminarii,* « *præterquam in exactione, quæ ad solum Episcopum spec-* « *tat.* » Desumpta ex relatione modo citata; extat autem in libro VIII Decretorum, pagina 65.

Consonat resolutio quæ prodiit in *Nullius*, sub annum 1595 : « *Sacra Congregatio censuit omnes quatuor deputatos de qui-* « *bus agitur in capite* 18, *sessionis* 23, *versu* Et quia, *adhiben-* « *dos esse in consilio in administratione rerum ipsius semi-* « *narii, præterquam in compulsione ad portionem seminario* « *debitam, cujus facultas ad solum Episcopum spectat. Ut in* « *libro* VIII *Decretorum, pagina* 97. » Hanc etiam declarationem transcribimus ex relatione supra citata secretarii Congregationis, quæ habetur in tomo VII, p. 212 *Thesauri resolutionum.*

In Tricarisensi, 24 martii 1736 : « Placeat igitur Eminentiis « vestris rescribere : *I. An administratio œconomica seminarii* « *exerceri debeat per Episcopum, vel potius per deputatos?* — « *Ad I. Administrationem competere Episcopo cum consilio de-* « *putatorum, præterquam in exactione quæ spectat ad solum* « *Episcopum.* » (*Thesaurus resolutionum*, tom. VII, pag. 213.) Ex citatis declarationibus plene constant hæc duo : 1° Adhibendum esse consilium deputatorum de quibus agimus generatim in *tota* administratione temporali; 2° excipi tamen exactionem taxæ. Hanc scilicet taxam imponere nequit Episcopus sine consilio commissionis; at semel impositam exigere potest absque ullo ejusdem commissionis interventu.

Duo alia adhuc dubiis locum dedere : nempe 1° an in deputando rectore et officialibus seminarii teneatur Episcopus adhibere consilium commissionis pro administratione temporali, an

Digitized by Google

potius consilium commissionis pro administratione spirituali, an utriusque; 2° an dum redditur quotannis Episcopo ratio administrationis, assistere etiam debeat commissio administrationis temporalis, an vero sufficiat præsentes esse quatuor alios ad hoc ex concilio Tridentino specialiter deputandos, et quos tertiam commissionem nos vocamus. Porro hæc dubia satis resolvi possunt ex sequenti declaratione relata in tomo VII, pagina 213 *Thesauri resolutionum*, hoc modo : « In *Fundana,* inter cætera « fuerunt discussa duo hæc dubia : *I. An Episcopus potuerit et* « *possit deputare rectorem aliosque officiales seminarii absque* « *consilio deputatorum a capitulo.* — *II. An Episcopus in* « *revisione et solidatione computorum dicti rectoris debuerit* « *sequi consilium eorumdem deputatorum.* — *Die vero* 26 *mar-* « *tii* 1689 *responsum fuit* — *Ad I. Negative.* — *Ad II. Teneri* « *adhibere consilium, sed non sequi.* » Notandum est ibi declarari Episcopum non posse rectorem et officiales in seminario constituere absque consilio *deputatorum a capitulo*. Porro capitulum pro commissione administrationis temporalis non deputat nisi *unum* canonicum, cum alter ab Episcopo eligatur. Pro commissione autem *reddendæ rationis*, deputat duos alios. Cum ergo dicatur in plurali *deputatorum a capitulo*, concludendum videtur pro nominatione rectoris et officialium requiri consilium trium deputatorum a capitulo, ac proinde duarum commissionum, nempe commissionis pro temporali administratione, et commissionis pro reddenda ratione. *Eorumdem* autem quorum consilium requiritur in nominandis rectore et officialibus, dicitur et requiri dum a rectore redditur ratio administrationis.

VI. *Officium dictæ commissionis extenditur ad omnia diœcesis seminaria.* — Id jam in § I, diximus sequi ex illis Tridentini verbis : *Possit Episcopus unum vel plura in diœcesi habere seminaria : quæ tamen ab illo uno quod in civitate erectum fuerit, in omnibus pendeant.* Cum autem lex Tridentina includat expresse seminaria quæ hodie in Gallia dici solent *parva*, sequitur a commissione de qua agimus consilium pariter petere teneri Episcopum in omnibus supra enumeratis quæ gubernationem temporalem respiciunt horum parvorum seminariorum.

Digitized by Google

§ 4

DE COMMISSIONE DEPUTATORUM PRO REDDENDA RATIONE ADMINISTRATIONIS SEMINARII

Certum est Tridentinam synodum loqui de quatuor deputatis, a prima et secunda commissione de quibus egimus, omnino distinctis ; et eorumdem istorum quatuor præsentiam requirere dum rector seminarii rationem Episcopo reddit administrationis annuæ. En decreti verba : *Rationes autem redituum hujus seminarii Episcopus annis singulis accipiat, præsentibus duobus a capitulo et totidem a clero civitatis deputatis.* Deputati primæ commissionis eliguntur a solo Episcopo, et nullus a capitulo, nullus a clero : ex quatuor autem deputatis secundæ commissionis, duo eliguntur ab Episcopo, unus a capitulo et unus a clero : in citatis vero decreti verbis agitur de quatuor deputatis quorum nullus ab Episcopo, sed duo a capitulo et duo a clero eliguntur. Loquitur ergo ibi sancta synodus de quatuor novis deputatis a præcedentibus de quibus locuta erat diversis : alias dicendum esset illam sibi contradixisse, dum ex iisdem quatuor deputatis simul statueret duo eligi et non eligi ab Episcopo. Unde mirum est quosdam canonistas quatuor istos ultimos deputatos a prioribus in decreto expressis non distinxisse. Dum ergo rector seminarii Episcopo rationem reddit administrationis annuæ, duplicis generis deputati adesse debent. Nempe 1° quatuor deputati pro tota generatim administratione temporali, quorum duo ab Episcopo, unus a capitulo, alter a clero electi sint. Cum enim teneatur Episcopus ab istis consilium requirere in omnibus generatim quæ administrationis temporalis sunt, tenetur præcipue in gravissimo negotio regulandorum quotannis computorum. At 2° adesse etiam et his adjungi debent quatuor alii quorum duo a capitulo et duo a clero electi fuerint, cum id expresse decernat synodus Tridentina. Unde Congregatio totalis coram qua Episcopo reddi debet ratio administrationis annuæ constat octo deputatis, et conflatur ex coadunatione quasi duarum commissionum : ejus nempe quam *administrationis temporalis* vocavimus, et illius quam nuncupamus *reddendæ rationis*, id est, quatuor illorum adjunctorum de quibus ultimo loco loquitur decretum Tri-

Digitized by Google

dentinum. Et sic facile introspicitur tota mens et sapientissima ordinatio Tridentinæ synodi. In regulandis scilicet quæ respiciunt clericorum seminarii institutionem, disciplinam et mores, a duobus tantum tenetur Episcopus consilium requirere, quos ipse vel prædecessor inter canonicos semel pro semper elegerit. At vero in re temporali administranda quatuor consiliarii adhibendi sunt; et ex illis duo sunt quos Episcopus non eligit; sed alter a capitulo, alter a clero deputatur. Quo fit, non tantum ut majori prudentia et firmitate administratio seminarii procedat, sed insuper ut ab Episcopo removeatur vel levissima fraudis aut injustitiæ suspicio, dum per conscios illos de clero et de capitulo deputatos, publica quadam authenticitate donantur singuli Episcopalis administrationis actus. Et tandem neminem fugit a diligenti regulatione annua computorum præcipue pendere hujusmodi institutionum prosperitatem : voluit ergo sancta synodus in tanti momenti re duplicari consilium Episcopi, adscitis quatuor aliis, quos non ipse Episcopus, sed capitulum et clerus nominaret. Quæ administrandorum seminariorum ordinatio quam sapiens, quam tuta, quam absoluta sit, vel tantisper attendenti patebit facillime.

Quoad quatuor ultimos deputatos, adhibendos nempe *tantum* dum redditur annua administrationis ratio, quæri potest an perpetui sint, an vero debeant quotannis eligi. Cujus difficultatis solutionem fatemur nondum nobis occurrisse. Silet de hac re Tridentinæ legis textus, nec vidimus id fuisse a Sacra Congregatione concilii declaratum. Auctores præterea qui quæstionem illam tractent non legimus. Nobis autem relatum fuit nuper exortam esse controversiam illam in Tiburtina diœcesi Episcopum inter et quatuor illos deputatos de quibus loquimur. Illi scilicet se esse perpetuos contendunt. Hodiernus vero Tiburtinus Episcopus, quem ferunt in jure canonico non mediocriter versatum, existimat id non posse ex ulla auctoritate probari, et contrarium potius esse tenendum. Ad Sacram Congregationem concilii mox his deferetur, aut forte jam delata pendet.

Digitized by Google

§ 5

QUID EVADAT JUS CAPITULI QUOAD SEMINARIA, QUANDO EORUM GUBERNATIO ORDINIBUS VEL CONGREGATIONIBUS RELIGIOSIS COMMITTITUR.

Ex huc usque dictis, sic resumi potest jus capituli quoad seminaria: Primo, jus habet ut duo canonici constituantur consiliarii necessarii Episcopo in tota spirituali administratione; atque ut isti duo consultores semel electi perpetui sint, nec possint ab Episcopo qui eos elegit vel a successoribus absque legitima causa removeri. Secundo, jus habet ut duo alii de capitulo constituantur pariter consiliarii necessarii et perpetui in tota administratione temporali; et unius ex istis nominatio ad ipsum capitulum pertinet, alterius ad Episcopum. Isti vero duo canonici consultores cum duobus aliis de clero ita jus habent interveniendi in tota administratione temporali seminarii, ut, præter exactionem taxæ, nihil possit Episcopus ante requisitum eorum consilium statuere. Unde etiam absque requisito dicto consilio non potest Episcopus rectorem et officiales seminarii deputare. Tertio, quando reddenda est ratio annua administrationis seminarii, jus habet capitulum duos alios a se electos canonicos deputandi. Ita ut sex canonici ingredi debeant consilium necessarium Episcopi in administrandis omnibus diœcesis seminariis. Quæ prærogativa ex jure communi, id est, ex lege Tridentina capitulis competens, minime dubia est quandiu a Sede Apostolica in casibus particularibus non tollitur aut restringitur. At vero quando committuntur seminaria ordinibus vel congregationibus religiosis, intervenit necessario Sedes Apostolica, et restringitur jus capitulorum in seminaria, quod nunc remanet exponendum.

I. Non potest seminarium tradi regendum alicui ordini religioso vel alicui congregationi nisi interveniente auctoritate Apostolica. Id quidem non accideret si ordo religiosus vel congregatio seminarium reciperent regendum iisdem conditionibus ac sacerdotes sæculares, ita scilicet ut rector, officiales et magistri juxta legem Tridentinam eligerentur et constituerentur per Episcopum cum consilio deputatorum. At, ex natura ipsa ordinum regularium et etiam congregationum, requiritur ut Prælatus totius ordinis aut congregationis possit juxta instituti sui regulas,

Digitized by Google

subditos suos a muneribus amovere et his vel illis in hac vel illa domo muniis addicere. Hoc enim exigit unitas regiminis, cujusque familiæ religiosæ nervus et fundamentum. Ut ergo hujusmodi familia curam seminarii accipere possit, derogandum ex parte est Tridentinæ legi; statuendo scilicet in pacto, rectoris, officialium et magistrorum nominationem et remotionem remansuras penes familiæ religiosæ Præpositum. Porro de jure communi auctoritas Episcopi insufficiens est ad derogandum legi Ecclesiæ universali; atque ille solus qui auctoritatem in universam Ecclesiam exercet dispensationem hanc concedere potest. Juri quidem suo renuntiare posset Episcopus pro toto vitæ suæ tempore; non autem id potest pro suis successoribus. Imo ipse non posset privare capitulum jure ipsi a concilio Tridentino attributo ut ex ipsius membris assumantur deputati quorum consilium requirere teneatur Episcopus in administratione seminarii. Et hinc est quod Episcopus et ordo religiosus cui committendum est seminarium, postquam pacti ad hoc initi articulos determinarunt, pactionem illam Romam mittere solent, ut a Sancta Sede vel ejus nomine confirmetur. Quæ confirmatio seu concessio omnino necessaria est, et a Sacra Congregatione concilii impetrari solet, ut notatur apud Ferraris hoc modo :

« Id quod dicitur, seminarii rectorem esse constituendum ab « Episcopo cum consilio deputatorum, limitationem accipit quoad « seminaria quæ *legitima auctoritate* tradita sunt curæ et regi- « mini alicujus ordinis regularis... *legitima* inquam *auctoritate,* « scilicet Sacræ Congregationis concilii interpretis. Nam ab Epi- « scopo propria auctoritate haud potest seminarium tradi curæ et « regimini alicujus ordinis regularis. Hinc Episcopus civitatis « Conceptionis in America meridionali, die 12 junii 1722, hanc « facultatem impetravit a mox dicta Sacra Congregatione. » (Ferraris, v° *Seminarium*, novæ addit., n. 2.)

II. Confirmata autem hoc modo transactione, jam patet auctoritatem commissionum prædictarum pro administratione seminarii plus minusve remanere restrictam juxta confirmatas pacti clausulas. Quod advertit Benedictus XIV his verbis :

« Verum quod diximus seminarii rectorem esse ab Episcopo « constituendum cum deputatorum consilio, limitationem pati- « tur quoad seminaria, quæ legitima auctoritate tradita sint curæ

Digitized by Google

« et regimini alicujus ordinis regularis sub expressa conditione, « ut ejusdem ordinis Prælato integrum sit quem maluerit sui « instituti religiosum in seminarii rectorem eligere et deputare. « Ita accidit Romæ, ubi cum juxta Tridentini statuta clericorum « seminarium a Pio IV erectum fuerit et suppositum jurisdic- « tioni ac tutelæ Cardinalis in urbe vicarii, ejus cura et actualis « administratio commissa est præposito generali et presbyteris « societatis Jesu ; quod legere est in const. 134 Urbani VIII. » (Benedictus XIV, *De syn. diœces.*, l. v, c. ii, n. 9.) Citat postea idem auctor plura exempla seminariorum familiis regularium commissorum auctoritate Pontificia. In his autem casibus seminarium semper remanet sub jurisdictione Episcopi. At vero deputati pro administratione vel amoventur, si hoc opportunum Sanctæ Sedi videatur, vel eorum officium intra certos limites coarctatur, quod et a se factum ibidem testatur Benedictus XIV : « Et nos ipsi seminarii nostri Bononiensis regimen dedimus cle- « ricis regularibus S. Pauli, vulgo *Barnabitis*, non amotis qui- « dem deputatis, qui juxta enunciatas Tridentini sanctiones « seminarii disciplinæ atque administrationi invigilent, sed « eorumdem auctoritate intra certos limites coercita. »

Unde, cum in his casibus interveniat Apostolica auctoritas ad dispensandum a jure communi, jus capitulo remanens determinari nequit nisi ex illo facto : utrum in tali et tali materia præservatum fuerit necne, juxta tenorem indulti Apostolici.

III. Non abs re erit unum aut alterum exemplum hic subjicere quo indicetur norma juxta quam Sedes Apostolica procedere solet quando seminaria ordinibus religiosis committuntur.

Insigne exemplum hujusmodi est seminarii clericorum Romæ Patribus societatis Jesu traditio, a Papa Pio IV ; de qua sic legitur in bulla 134 Urbani VIII, § 4 (in Bullar., t. V) : *Ipsumque seminarium sic erectum et institutum, curæ, regimini et administrationi præpositi generalis et presbyterorum societatis Jesu ; et sui ac Romani Pontificis pro tempore existentis in dicta urbe vicarii in spiritualibus generalis, tutelæ, patrocinio et protectioni commisit.*

Duas præcipue conditiones apponere solent Patres societatis Jesu in acceptanda seminariorum directione, ut videre est in decreto secundæ congregationis generalis hujus societatis, anno

Digitized by Google

1655, sub sancto Francisco de Borgia; in quo dicitur acceptari posse, *si tamen simul esset conjunctum collegium nostrum* (id est, juniorum jesuitarum in studiis versantium), *et libera eidem societati gubernatio committeretur.* « Fuit hoc decretum con-« firmatum in quarta congregatione generali sub P. Claudio Aqua-« viva; cumque in 12 congregatione expositum fuisset, quod « aliqui Antistites Ecclesiæ gallicanæ pro suo erga societatem « studio et benevolentia singulari cupiebant suorum seminario-« rum clericos instituendos patribus tradere, Patres congregatio-« nis generalis admittenda esse hujusmodi seminaria censuerunt, « *iis conditionibus quas a nostro instituto non alienas judica-« verit R. Pater noster generalis,* cujus prudenti arbitrio res tota « commissa est. » (Sunt verba secretarii Sacræ Congregationis concilii, tomo I *Thesauri resolutionum*, p. 190.) Citata autem verba prolata sunt in S. Congregatione concilii occasione postulationis cujusdam Episcopi, cui multum in votis erat ut seminarii sui regimen Patres dictæ societatis assumerent; sed Patres eas conditiones assignabant pro quibus necessaria erat auctoritas Summi Pontificis: « Addit Episcopus, se tum cum Patribus, tum « cum eorum superiore generali rem egisse. Concluditque Sum-« mum Pontificem exorando pro facultate committendi *adminis-« trationem* Patribus societatis, eademque confirmanda per litteras « in forma brevis, cum clausula quod neque capitulum, neque « cathedralis ecclesiæ pro tempore Episcopi, huic concessioni « derogare possint. Cumque a Sanctitate sua fuerint preces re-« missæ ad hanc Sacram Congregationem, quæritur in præsenti « an petitis sit annuendum. »

Responsum est annuendum esse, *ita tamen ut alumni nominentur ab Episcopo, et seminarium sit sub patrocinio, protectione et subjectione Episcopi.*

Eodem modo reperimus Sedis Apostolicæ interventum quando aliis familiis religiosis seminaria regenda committuntur; sic legitur in tomo XI *Thesauri resolutionum*, pagina 111: « Sanctæ « memoriæ Clemens XI, ad cleri et civium Albanensium preces « sub anno 1708, clericis regularibus scholarum piarum per lit-« teras in forma brevis expeditas concessit, ut ad juventutem « christianis moribus, humanisque litteris probe instruendam, « perpetuum seminarii in ea civitate pridem erecti regimen et

Digitized by Google

« curam gererent; his inter cæteras legibus constitutis, quod « *præter usum perpetuumque regimen et ministerium eorumdem* « *seminarii et ecclesiæ, in omnibus et per omnia salva remaneat* « *in reliquis jurisdictio Ordinarii, exercenda quoad seminarium* « *juxta normam sacri concilii Tridentini et Sacræ Congrega-* « *tionis ejusdem interpretis decreta. Secundo, quod ex reditibus* « *seminarii ipsi Patres alantur. Unus tamen et idem sit cibus* « *et potus, et unica mensa, tam illis et convictoribus quam alum-* « *nis. Tertio, singulis quibuscumque mensibus, ad instituti* « *seminarii optimam conservationem et administrationem se-* « *mel saltem coram Ordinario congregatio habeatur, eique* « *intersint canonici ad id ex norma sacri concilii Tridentini de-* « *putati, et P. rector pro tempore, qui suam de re quæ in con-* « *sultationem cadit sententiam proferat; ut inde quæ coram* « *Deo potiora et præstantiora esse existimaverit Ordinarius* « *ipse deliberet. Quarto, ad seminarium et ecclesiam spectet* « *quidquid eorum respective contemplatione in posterum quo-* « *modocumque provenerit. Cæterum, si quid ipsismet Patribus* « *nominatim expressis ex donatione, legato, vel alio quocum-* « *que titulo, aut quomodolibet in futurum fuerit relictum, vel* « *aliter ab istis acquisitum, in redituum seminarii ratione nul-* « *latenus computentur. Quinto, demum rationes redituum se-* « *minarii eminentissimus Episcopus vel ejus vicarius generalis,* « *juxta formam a sacro concilio Tridentino præscriptam sin-* « *gulis annis exiget a Patre rectore et dicti seminarii mi-* « *nistris.* »

IV. Quanta autem cum ecclesiarum utilitate, generatim loquendo, adhiberi pro seminariorum regimine possint ordines religiosi et congregationes, et quam inanes ac subdolæ sint rationes quibus scriptores quidam e jansenistico vel saltem valde affini cœtu, conantur suadere removendas religionum familias ab hujusmodi munere, facile probari posset, nisi disceptatio hæc nimium nos extra præsentis tractatus limites pertraheret.

Digitized by Google

§ 6

AN IN STATU PRÆSENTI ECCLESIARUM GALLIÆ ADMITTENDUM SIT PRÆDICTUM JUS CAPITULORUM CIRCA SEMINARIA.

I. Legem modo expositam sanctæ Tridentinæ synodi, in praxim generaliter deductam fuisse, etiam in Gallia, ex multis documentis demonstrari posset; et videri potest in publicatione periodica *La Correspondance Romaine* (anno 1851, paginis 241 et 273) fusa eruditione evolutum. In Gallia tamen, jam ante perturbationem anni 1793, non defuerunt qui hanc legem obligatoriam esse denegarent, ut satis patebit ex sequentibus citationibus :

« Le gouvernement des séminaires des diocèses dépend de la « prudence des évêques, qui leur donnent des statuts ainsi qu'ils « le jugent plus convenable aux lieux et aux personnes. On ne « leur impose pas l'obligation de prendre l'avis de deux chanoi- « nes de leur cathédrale. — A l'égard de l'imposition sur les bé- « néfices du diocèse, elle est faite par les évêques avec les syndics « et députés aux bureaux des décimes de leurs diocèses, lesquels « se conforment aux lettres patentes du roi qui ont été obtenues « pour l'érection des séminaires. » (Mémoires du clergé, *tom. II*, p. 590, nota editoris.) Quæ nota, si vera sit, indicat jam eo tempore obligationem requirendi deputatorum canonicorum consilii excussisse Præsules Galliæ, dum simul cogebantur jugo potestatis civilis, id quod prædictis deputatis eripiebatur invadentis, colla submittere. Advertatur iste modus loquendi *on ne leur impose pas*. Quis iste *on?* Non Ecclesia certe, non Tridentina synodus, quæ profecto hanc imponit obligationem clarissimis verbis; sed *Rex* hujusmodi scriptoribus pro Ecclesia erat. Similia tradit Durand de Maillane, idem ille qui schismaticam *Constitutionem civilem cleri* scripsit, et qui in dictionario suo canonico sic habet ad verbum *Séminaire*.

« Le gouvernement des séminaires des diocèses dépend en « France de la prudence des évêques, qui leur donnent des sta- « tuts ainsi qu'ils l'estiment plus convenable aux lieux et aux « personnes, sans qu'ils soient obligés de prendre l'avis de deux « chanoines de leur cathédrale (Mémoires du clergé, t. II, p. 589). « Il arrive souvent, dit l'auteur du *Recueil de jurisprudence ca-*

Digitized by Google

« *nonique* (verbo *Séminaire*, n. 6), de grandes contestations entre « les Évêques et les communautés qui ont la conduite des sémi- « naires, lorsque les Évêques prétendent avoir des raisons pour « ne pas continuer de confier cette conduite à ces communautés, « sur quoi le même auteur ajoute : La maxime constante est que « les séminaires sont soumis à la seule juridiction, autorité et « dépendance des Évêques, chacun dans son diocèse, et qu'il leur « est loisible d'aggréger ou d'expulser les sujets toutes et quantes « fois ils le jugeront à propos, parce qu'on présume qu'un Évê- « que n'est pas capable d'abuser de son autorité. »

II. At vero quidquid sit de quæstione an prædictum jus capitulorum in seminaria, jam olim, ante concordatum anni 1801, in Gallia extinctum omnino aut ex parte fuerit, revixisse in integrum per bullam *Qui Christi Domini* sequitur ex principio toties a nobis exposito, recentes scilicet Galliæ ecclesias sub jure communi ortas tunc et constitutas fuisse ; prioribus enim extinctis et suppressis, extinctum pariter hoc ipso fuit quidquid juris particularis acquisitum forte ipsis fuerat. Tota ergo quæstio de jure capituli in seminaria expendenda est ex ipso concordato et ex variis quæ successerunt circumstantiis.

III. Porro in bulla concordati et in subsecutis decretis Pontificiis, nedum perimantur leges Tridentinæ quoad capitula et seminaria, sedulo e contra monetur ut in ipsis ordinandis ratio habeatur sanctionum conciliarium et sacrorum canonum. Unde ex duplici tantum titulo contendi posset hodierna Galliæ capitula amisisse jus illud in seminaria quod ipsis tribuit lex Tridentina : 1° Ex decreto Gubernii quæ alio modo determinat commissionem pro administratione seminarii, cui decreto ex necessitate parendum est ; 2° ex praxi contraria quæ jam a multis annis invaluit. At neutra ratio videtur valida.

IV. Fatendum quidem est ex decreto 6 novembris 1813 (tit. 4, art. 62), decretam et Episcopis impositam a potestate laica fuisse commissionem pro administratione bonorum seminarii, hoc modo : *Il sera formé, pour l'administration des biens du séminaire de chaque diocèse, un bureau composé de l'un des vicaires généraux qui présidera en l'absence de l'évêque, du directeur et de l'économe du séminaire, et d'un quatrième membre remplissant les fonctions de trésorier, qui sera nommé par le ministre*

Digitized by Google

des cultes sur l'avis de l'Évêque et du préfet. At primo, commissio illa est tantum pro administratione temporali; remanet ergo suus locus legi Tridentinæ quoad administrationem spiritualem, id est, quoad institutionem, disciplinam et mores seminarii. Secundo, decretum illud Gubernii multis in locis non observatur et in desuetudinem abiit. Tertio, cum hujusmodi commissio sit anticanonica, utpote constituta a sola potestate laicali, cui de talibus absque assensu potestatis ecclesiasticæ decernere non licet, satis profecto erit illam solummodo adhiberi in quantum necessitas exigit ad vitanda cum Gubernio intempestiva jurgia. Poterit ergo constitui commissio canonica juxta legem Tridentinam, ita ut cum illa Episcopus temporalia seminarii administret. Commissioni autem Gubernii poterit tantum dari communicatio eorum quæ Episcopus jam cum legitimis deputatis decreverit. Sacerdotes vero commissionem hanc Gubernii conflantes, si recusent pro legitimis habere administrationis actus per Episcopum cum commissione canonica gestos, poterunt tanquam schismati faventes ad tribunal ecclesiasticum vocari et debitis pœnis et censuris plecti. Et sic Gubernii commissio pro unico officio habebit, formalitate illa, quam pro nunc exigit lex civilis, vestire administrationem Episcopi et commissionis canonicæ. *Ergo commissio* a lege civili constituta pro administratione temporali seminarii, minime impedit quin constituatur pro eadem administratione commissio legitima a concilio Tridentino præscripta. Et forte Episcopi Galliæ facile hodie obtinerent ordinationem civilem legi Ecclesiæ in hac re attemperari. At certe possunt, ad protestandum contra istam libertatis ecclesiasticæ læsionem, aperte declarare, sibi fas non esse cum deputatis Gubernii seminarium administrare, dum lex ecclesiastica legitimos præscribit deputatos cum quibus peragi administratio illa debeat; et rem esse saltem cum Summo Pontifice, qui solus potest in legibus Ecclesiæ universalibus dispensare, tractandam atque componendam.

V. Sed neque impedire videtur praxis contraria quæ a tempore concordati invaluit. Non enim hic agitur tantum de simplici *consuetudine* contra Tridentinam legem invecta; sed simul de *juris alieni invasione*. Agitur nempe de spoliandis capitulis eo jure quod habent in seminariorum regimine. Quæstio igitur est:

Digitized by Google

An Episcopi Galliæ, per suam a tempore concordati possessionem seminaria gubernandi absque ullo canonicorum interventu, *legitime* contra jus illud capitulorum *præscripserint?*

Jamvero, quando agitur de præscribendo aliquo jure, vel aliqua re, contra verum hujus rei vel juris dominum, præter cæteras conditiones omnino requiritur, in eo qui præscribit, *bona fides*. At non sufficit bona fides quæ oritur ex *errore circa jus;* sed ea sola bona fides quæ provenit *ex errore facti* prodest ad legitimandam præscriptionem. Id fuse probavimus supra (parte 2, capite 4, § 10), ubi disseruimus de præscribendo contra capitula jure collationis simultaneæ. Porro, in Episcopis Galliæ qui sibi jus exclusivum regendi seminarii usurparunt, admittenda quidem est bona fides ex *errore juris*, non autem allegari potest bona fides *ex errore facti*. De quo vide rationes loco citato deductas, quæ hic etiam applicationem habent. Ergo deest una ex requisitis conditionibus ad legitimam præscriptionem.

Cæterum, etiamsi ageretur dumtaxat de consuetudine contra jus commune, qua non læderetur jus tertii, cum praxis illa sit contra Tridentinas leges, non censenda foret legitima. Nam Sedes Apostolica per sacras Cardinalium congregationes, id est, per constantes ipsarum decisiones, perpetuo reclamat contra consuetudines omnes decretis Tridentinis contrarias; et sic nunquam merito supponi potest Summi Pontificis consensus, ad legitimandas ejusmodi consuetudines necessarius. Sed omissa illa, de consuetudinibus Tridentino juri contrariis, quæstione, sufficienter solvitur difficultas, stando in terminis propriedictæ *præscriptionis*.

§ 7

PRAXIS ADMINISTRANDI CUM PRÆDICTIS COMMISSIONIBUS SEMINARII A SANCTO CAROLO BORROMÆO STATUTA

« Habeatur perpetuo congregatio seminarii in ædibus Ar-
« chiepiscopalibus semel in hebdomada, feria tertia mane post
« divina peracta; sæpius etiam ut opus fuerit; præter eas quæ
« quotannis in ipsius seminarii visitatione haberi solent. Huic
« congregationi intersint constituti ex decreto concilii Triden-
« tini, pro ratione materiæ de qua agendum est. In iis quæ ad

Digitized by Google

« mores pertinent, delecti pro moribus : in temporali adminis-
« tratione, electi pro rebus temporalibus. Præter alios rector
« seminarii, tum etiam ministri qui aliquando vocandi erunt
« pro negotiis tractandis. In congregatione spiritualium rerum,
« ea proponantur ac deliberentur quæ ad disciplinam, mores ac
« studia pertinent. In temporali autem congregatione ea per-
« tractentur quæ ad domesticas rationes, jurium conservationem,
« bonorum amplificationem, prædiorum et ædium instauratio-
« nem et locationem, fructuum exactionem, expensarum totius
« anni rationes, et quæ ad alia ejusdem generis spectant. Res
« omnes de quibus in congregatione inita est consultatio, ad
« reverend. Archiepiscopum, cum ipse congregationi non in-
« terfuerit, referantur; qui sive congregationi intersit, sive non,
« ubi deputatorum sententiam (quam tamen ex decreto provin-
« ciali sequi non cogitur) audierit, ipse deliberet ac statuat quæ-
« cumque pro sua pietate ac prudentia ad seminarii utilitatem
« potiora esse existimaverit. Quidquid deinde reverend. Archie-
« piscopo videbitur, rector ipse quamprimum et diligenter exe-
« quatur, nisi alium idem Archiepiscopus delegarit. » (Acta ecclesiæ Mediolanensis, t. V, p. 863.)

CAPUT XI

UTRUM CAPITULUM JUS HABEAT EXIGENDI ALIQUID SOLVI A NOVITER RECEPTIS ?

Prohibet decretum concilii Tridentini (c. 14, sess. 24) et bulla sancti Pii V, *Durum nimis*, ne pro talibus receptionibus quidquam exigatur, idque sub pœnis gravissimis. Quod tamen intelligendum sub explicationibus quas sic tradit Monacelli :

« Non autem omnis petitio quæ fit a capitulis et solutio a pro-
« visis est illicita : quoniam plures sunt casus in quibus dispo-
« sitio hujus bullæ non intrat. Non enim comprehendit consue-
« tudines et statuta quibus disponitur quod ab obtinentibus be-
« neficia et canonicatus in cathedralibus et collegiatis ecclesiis
» olvatur et exigatur aliquid, quod non in ipsorum exigentium
« sutilitatem, nec pro ingressu et admissione accipiatur, sed in
« aliquos pios usus convertatur : hoc etenim nullam avaritiæ seu

Digitized by Google

« simoniæ suspicionem habet, sed potius laudabile est. » (Hic Monacelli citat multos auctores ita docentes, inter quos Cardinalem de Luca, *De canonicis*, disc. 10, n. 10, et disc. 29, n. 7.) « Et hinc est quod valet statutum sive constitutio facta per capi- « tulum auctoritate Episcopi, quod provisi de canonicatibus, « beneficiis vel præbendis in cathedrali, solvant certam quanti- « tatem quæ integre cedat pro fabrica ecclesiæ; nihil tamen « detur notariis, campanariis et aliis ministris et officialibus.

« Item valet statutum sive consuetudo quod noviter receptus « solvat pro tot planetis et aliis supellectilibus sacris sacristiæ; « quia hoc dicitur factum in favorem cultus divini. » (Addit Monacelli ita decisum a Sac. Cong. Episc. et reg.)

« Non tamen tenet neque servanda est consuetudo qua intro- « ductum sit, quod canonici sive alii presbyteri de ecclesia pran- « dium habere debeant. Et ideo Sacra Congregatio Episc. et « reg. (in Caputaquensi, 17 martii 1692) talem consuetudinem « abolendam esse censuit.

« Item valida et licita sunt ecclesiarum cathedralium, colle- « giatarum et receptitiarum, quæ mandant et disponunt, quod « noviter provisi et aggremiati antequam de massa communi « participent, per aliquod temporis spatium gratis ecclesiæ de- « servire debeant, vel quod fructus primi anni sint hæredis ca- « nonici defuncti; quia hujusmodi statuta nec sub decreto con- « cilii, nec sub bulla Pii V comprehenduntur. » (Pro quo citat Monacelli plures declarationes Sacræ Congregationis concilii.)

CAPUT XII

PRÆROGATIVÆ CANONICORUM QUOAD HABITUM

Expendendum hic habemus primo, an semper canonici habuerint insignia, eorum dignitatem supra reliquos de clero denotantia : secundo, quid sint solita hodierna insignia : tertio, an necessaria sit Sedis Apostolicæ facultas ut quædam insignia a capitulis assumi possint.

Digitized by Google

« mores pertinent, delecti pro moribus :
« tratione, electi pro rebus temporal
« seminarii, tum etiam ministri
« pro negotiis tractandis. In cor
« ea proponantur ac delibere is, quo a cæteris de clero
« studia pertinent. In te abuisse canonici. Quam the-
« tractentur quæ ad de ochi, t. II, c. 29) varia referendo
« bonorum amplifi .
« nem et locatio mentis, ait, probari posset *Rochettum* (a voci-
« anni ratio χιτῶν, tunica mollis), vestem nempe illam li-
« omnes Prelatorum propriam, cum arctis usque ad manum
« reve solis Episcopis et canonicis permissum fuisse. Origo
« t rochetti est antiquissima. » Ostendit postea Nardi ro-
« chetta seu *vestes* illas *candidas* in antiquis monumentis memo-
ratas diversas fuisse ab *albis*, et Episcopo ejusque capitulo pro-
prias. Proprium et distinctivum dignitatis suæ habitum ab
antiquo obtinuisse canonicos probat Epistola S. Zachariæ Papæ
ad Pipinum, quæ sic habet, c. 2 : *Nam et nos ab Apostolica auctoritate subjungimus, ut Episcopus juxta dignitatem suam indumentis utatur : simili modo et presbyteri cardinales* (1).

In concilio Ravennatensi, anni 967, Joannes XII concessit Archiepiscopo Magdeburgensi, inter alia, ut ipsius 12 presbyteri, 7 diaconi et 24 subdiaconi cardinales, possent uti dalmaticis et sandaliis. (Nardi, t. II, p. 375.)

Leo IX, anno 1049, concedit canonicis Bambergensibus usum mitræ et aliorum insignium. Quod et concessum ab eodem Pontifice canonicis Bisuntinis affirmat Martène (l. 1, c. 4, art. I, n. 17). Canonicis Halberstadensibus mitram concessit Alexander II, anno 1061 (vide Nardi, t. II, p. 376). Usum mitræ confirmavit Eugenius III canonicis Coloniæ, anno 1145 ; quod etiam privilegium confirmavit Alexander III, addens : *Sicut a Patribus et prædecessoribus nostris id prædictæ ecclesiæ concessum est per authentica privilegia, et hactenus observatum.* Cœlestinus III, anno 1191, indulsit capitulo Sipontino facultatem utendi *mitris, podiis et annulis*. Multa hujusmodi exempla con-

(1) Qui cardinales tunc temporis vocabantur, eosdem fuisse ac cathedralis canonicos eruditis est exploratum.

Digitized by Google

ardi (loco citato); qui explorationem suam sic concludit : ıma non reperietur ullum capitulum in toto mundo, signia non habeat. Aliud scilicet almutiis, aliud mo- rochetto, aliud pontificalibus aliisve distinctionibus n reperitur. » Animadvertimus duplex ab eru- ıus monumentorum insignia canonicis propria ın. Alia nempe loquuntur de insignibus a Sede concessis : alia de insignibus reliquis. Sciendum ıpe est ab antiquissimo ævo cæteras ecclesias tanquam honorem summum ambiisse facultatem iisdem utendi vestibus sacris et insignibus quibus utebatur Ecclesia Romana; eo quod scilicet Ecclesia Romana omnium aliarum mater esset atque magistra. Romani ergo Pontifices privilegium illud Episcopis et clero aliquarum ecclesiarum in remunerationem bene meritorum aliquando concedebant. Videmus Aregium Episcopum, licet S. Gregorio Magno acceptissimum, dum Romam adiisset, conatum fuisse obtinere pro se et suo Archidiacono usum dalmaticæ. Non obtento privilegio in Galliam reversus est. Postea tamen id ei concessit S. Gregorius (S. Greg., lib. 7, epist. 112). Archiepiscopo autem Ravennatensi qui usum mappularum, Ecclesiæ Romanæ proprium, usurpabat, sic scribit idem S. Gregorius Magnus : *Illud autem quod pro utendis a clero vestro mappulis scripsistis, a nostris etiam clericis fortiter obviatum est, dicentibus nulli hoc unquam alii cuilibet ecclesiæ concessum fuisse.* Archiepiscopus Ravennatensis in defensionem allegabat jam usum esse antiquum et a prædecessoribus Romanis Pontificibus toleratum. Sanctus Gregorius rem composuit concedendo privilegium Archiepiscopo et *primis ejus diaconibus* tantum, et prohibendo ne ad alios extenderetur. (L. 3, epist. 56 edit. Maurin.) Et hinc est quod juxta jus hodiedum vigens canonici insignia solita gerere nequeunt absque expressa Sedis Apostolicæ licentia. Quia nempe ista insignia erant olim Ecclesiæ Romanæ propria. Cæteroquin præsumendum est olim capitula, antequam obtinuissent insignia a Sede Apostolica concedi solita, aliqua nihilominus signa distinctiva habuisse sibi propria, quibus a clero inferiore discernerentur. Unde remanet verum canonicos semper jus habuisse ad habitum insigniorem et distinctivum, licet quoad insignia nunc fere ubique solita, requiratur

Digitized by Google

hodie, sicut initio quando ab Ecclesia Romana in alias dimanarunt, indultum Summi Pontificis.

§ 2

DE CANONICORUM PRÆCIPUIS INSIGNIBUS BREVIS NOTIO

Quatuor canonicorum in habitu insignia quorum usus communior est, sunt Rochettum, Cappa, Mozetta, et Almutia.

I. De rochetti origine et vocis etymologia jam aliquid in superiori paragrapho est dictum ex Nardi. Hæc insuper adnotat eruditus ille auctor :

« Hinc est rochettum non considerari neque tanquam sacram, « neque tanquam profanam, sed tantum tanquam distinctionis « vestem; et præscribi iis qui usum habent rochetti, quales sunt « Prælati, ut in celebranda missa, supra rochettum amictum et « alias vestes sacras induant, a quo prohibentur cæteri quibus « *de jure non competit* rochettum. Est autem rochettum signum « jurisdictionis, demptis paucis casibus quibus in merum orna- « mentum conceditur. Prælati et capitula illud gestant quatenus « jurisdictionem habentes (1). Protonotarii apostolici *non par-* « ticipantes et aliqui mansionarii illud obtinent quatenus « merum ornamentum. Tanquam signum jurisdictionis rochet- « tum semper deferunt Episcopi etiam extra domum et eccle- « siam; et quando adstant coram Papa aut legato Apostolico illud « pallio cooperiunt, quia tunc mozettam servare prohibentur. « In signum item jurisdictionis Papa semper intus et foras ro- « chettum cum stola gestat; et illud novis electis Episcopis in « signum potestatis imponit. In Gallia minoribus sacristiarum « clericis permittitur rochettum. Nescio an antiquus sit ille « singularis usus; sed fatendum quosdam in ea regione abu- « sus a sat longo tempore invaluisse, cum in concilio Narbo- « nensi, anni 1551, can. 41, opus fuerit sacerdotibus ordinariis « rochettum prohibere; et in Aquensi, anni 1585, in memo- « riam revocetur rochettum esse vestem Episcoporum et cano-

(1) Illa jurisdictio capitulorum de qua ibi agit Nardi intelligenda est in *habitu* tantum sede plena. Nam in *exercitio* nullam habent in diœcesim jurisdictionem nisi sede vacante.

Digitized by Google

« nicorum propriam. Extat decretum Sacræ Congregationis « rituum, ab Urbano VIII confirmatum et initio missalis inser- « tum, sic statuens : *Prohibetur usus rochetti, exceptis tamen « quibus de jure competit : et præter hoc statuitur et declaratur « nemini licere inservire aut assistere in celebratione missa- « rum aut divinorum officiorum cum rochetto, neque cum Cotta « habentem manicas angustas ad instar rochetti; et idem « servandum est in concionibus.* »

Non omnino concordat Scarfantonius cum notione a Nardo tradita circa rochettum : « Nomen *rochetti*, quod alio vocabulo « *linea* seu *camisia romana* nuncupatur, nonnulli arbitrantur « derivasse a Gallis a voce *richa*, apud Avenionenses trita, « occasione quod Avenione degebant Summi Pontifices. » (Scarfantonius, t. I, p. 37, n. 6, — citans Gavantum, t. I, de Rit. serv. in celeb. Missæ, tit. I, n. 2, — et alios auctores.) « Cardinalis Baronius (ad an. 261, n. 40) loquens de *linea* « Cypriani, censet vocabulum esse italum, et alias ejusdem « rochetti etymologias docte recenset. Illud certum est quod « illius vocabulum usurpatum semper fuit pro designanda veste « linea Prælatorum et canonicorum regularium... Hujusmodi li- « neæ seu albæ gestatio, antiquitus fuit commissa omnibus cleri- « cis, qui eadem induti prodibant in publicum, ut colligitur ex « epistola divi Hieronymi ad Nepotianum (1). Hæc autem vestis « linea non erat illa cujus usus erat inter sacrificandum, sed « tanquam profana censebatur ; prout est etiam nunc usus ro- « chetti, quod in functionibus omnino profanis et civilibus etiam « adhibetur. » (Scarfantonius, loco citato.)

II. *Cappa* sic vocata est a capite cui imponitur, vel quia corpus capiat et ambiat, ut tradit Denos (*Tractatus de canonicis*, lib. IV, c. 12). Ejus mysticam significationem sic exponebat Stephanus Tornacensis Episcopus : *Hac duplici veste* (cappa nempe et rochetto) *regulariter induti videamur ; ne superpelliceum nostrum sordibus polluatur; et ne cappa nostra scissuris rumpatur ; ut per munditiam omni tempore vestimenta nostra sint candida, et per continuam pœnitentiam tanquam tunica talaris sit cappa nostra* (apud Denos, loco citato, c. 11). Et sanc-

(1) Ex Nardo, non omnibus clericis concessum est antiquitus rochettum, sed Episcopo et capitulo tantum.

Digitized by Google

tus Carolus in concilio Mediolanensi : *Cum canonicus cappam induit, quæ humeros contegit, et brachia quasi devincit, ex eo amictu intelligat se repressas, quasique devinctas habere debere appetitiones, ac se totum ad Dei voluntatem accommodare... Canonicum, dum humeris vel brachiis almutiam pelliceam imponit, eam cogitationem suscipere, in se restrictas ac plane mortuas esse oportere rerum mundanarum affectiones atque cupiditates, ut ejus rei significans est illa animalis intermortui pellis quam de more gestat.*

III. Mozettam (a voce itala moza quæ significat cappam), recentioris usus existimarunt nonnulli ; at Sarnelli (*Lettere eccles.*, t. II, lett. 27) ostendit antiquissimam, nec aliam esse quam *birrum* illum *lacernum*, qui tanquam vestium complementum, non tantum caput sed et humeros tegebat. De sancto Cypriano, in actis ipsius martyrii, memoratur ipsum primo exuisse habitum qui dicitur *birrus lacernus*, quem plicatum ad genua posuit; *tunicam* deinde, quam diacono tradidit, et cum *linea* carnificem exspectasse. Per *lineam* ibi intelligendum esse rochettum et per *birrum* mozettam existimat laudatus Sarnellus. Birro (1) autem hujusmodi uti solitos fuisse Episcopos et canonicos probat monumentis pluribus.

IV. De almutiis erudite disserit Sarnelli (*Lettere eccles.*, t. IX, p. 82) ; illas autem archæologiæ quæstiones ingredi esset extra tractatum nostrum vagari. Hæc tantum ex Sarnello excerpimus : « Almutium fuit initio vestis operiens caput et humeros ; « sed præcipue caput, ut contendit Molanus (l. 3, *De canoni-* « *cis*, c. 5). Videtur derivare a vocibus teutonicis *alt mutsen.* « id est *pileum seniorum*. Nos dicimus *almutium*, sed corrupte, « nam dici deberet *armutium* eo quod gestetur super armos. » Hodie vero almutium, seu almutia, est indumentum pelliceum, quod jam non super caput et humeros ut olim, sed super unam scapulam vel etiam super brachium sinistrum gestatur.

Videtur introducta vestis illa loco cappæ, quam integram

(1) Vox byrrus a græco πυῤῥός (rufus, rutilus) videtur derivasse. Detracta autem parte quæ tegebat humeros, pars rigens quæ operiebat caput, dicta fuit *birrettum*. Quæ biretta formam quadratam habuerunt, etiam in Gallia, ut constat ex concilliis Galliæ usque ad sæculum XVI habitis, in quibus agitur de birettis quadratis. « Unde « capere nequeo, ait Nardi (tom. II, pag. 380), quomodo in illa regione introducta « sint biretta conica et alta. »

Digitized by Google

deferre æstivo præsertim tempore grave forte erat. De almutiis mentio fit in concilio Basileensi (sess. 21) : *Canonici ecclesias ingrediantur almutias vel byreta tenentes in capite.*

§ 3

DE NECESSARIO SEDIS APOSTOLICÆ INDULTO UT CANONICI INSIGNIBUS UTI, AUT ILLA MUTARE POSSINT

« Usus seu delatio cappæ et rochetti, quin imo etiam al-
« mutiæ, non permittitur canonicis ecclesiarum, tam colle-
« giatarum quam cathedralium, nisi speciale indultum habeant
« a Sede Apostolica, cum illorum insignium concessio sit de
« regalibus Summi Pontificis, neque quoad ea quidquam sta-
« tuere possint Episcopi. Omnibus illis quibus ex peculiari pri-
« vilegio illius (*nempe rochetti*) usus permissus non ostenditur,
« intelligitur a jure prohibitus ; ut de rochetto ac etiam de cappa
« testatur Corradus (*Prax. benef.*, l. 2, c. 14), ubi plura refert
« Congregationis rituum decreta, ac numero 26 ait : Episcopos
« in hac materia habituum et insignium in choro per canonicos
« gestandorum, ac etiam circa illorum colores, nullam prorsus
« auctoritatem habere, cum omnia Papæ sint reservata. » (Scarfantonius, t. 1, p. 37, edit. Lucæ, 1723.) « Novum signum sive
« habitum in choro assumere et deferre non debent absque
« Sedis Apostolicæ indulto. » (Monacelli, tit. 2, t. IV, ad-not. 28.)

« Notum quippe est Episcopum insignia beneficiatis conce-
« dere non posse, quæ ab Apostolica Sede sunt concedenda,
« uti S. rituum Congregatio jam ab anno 1604 (in Cluensi)
« declaravit : *Nec canonici nec alii cappam deferre possint sine*
« *expressa et speciali licentia Sedis Apostolicæ.* » (*Thesaurus resolut.* S. Congregationis concilii, tomo anni 1828, p. 264.)

In ipsa capitulorum erectione solet Summus Pontifex habitum et aliqua insignia canonicorum determinare sive per seipsum sive per delegatum. Pro capitulis hodiernis Galliæ, Pius VII in bulla concordati potestatem suam Cardinali Capraræ ad effectum hujusmodi insignia concedendi expresse delegavit ; is vero illam subdelegavit primo futuris Episcopis.

Digitized by Google

tus Carolus in concilio Mediolanensi : *Cum canonicus cappam induit, quæ humeros contegit, et brachia quasi devincit, ex eo amictu intelligat se repressas, quasique devinctas habere debere appetitiones, ac se totum ad Dei voluntatem accommodare... Canonicum, dum humeris vel brachiis almutiam pelliceam imponit, eam cogitationem suscipere, in se restrictas ac plane mortuas esse oportere rerum mundanarum affectiones atque cupiditates, ut ejus rei significans est illa animalis intermortui pellis quam de more gestat.*

III. Mozettam (a voce itala moza quæ significat cappam), recentioris usus existimarunt nonnulli ; at Sarnelli (*Lettere eccles.*, t. II, lett. 27) ostendit antiquissimam, nec aliam esse quam *birrum* illum *lacernum*, qui tanquam vestium complementum, non tantum caput sed et humeros tegebat. De sancto Cypriano, in actis ipsius martyrii, memoratur ipsum primo exuisse habitum qui dicitur *birrus lacernus*, quem plicatum ad genua posuit; *tunicam* deinde, quam diacono tradidit, et cum *linea* carnificem exspectasse. Per *lineam* ibi intelligendum esse rochettum et per *birrum* mozettam existimat laudatus Sarnellus. Birro (1) autem hujusmodi uti solitos fuisse Episcopos et canonicos probat monumentis pluribus.

IV. De almutiis erudite disserit Sarnelli (*Lettere eccles.*, t. IX, p. 82) ; illas autem archæologiæ quæstiones ingredi esset extra tractatum nostrum vagari. Hæc tantum ex Sarnello excerpimus : « Almutium fuit initio vestis operiens caput et humeros ; « sed præcipue caput, ut contendit Molanus (l. 3, *De canoni-* « *cis*, c. 5). Videtur derivare a vocibus teutonicis *alt mutsen.* « id est *pileum seniorum*. Nos dicimus *almutium*, sed corrupte, « nam dici deberet *armutium* eo quod gestetur super armos. » Hodie vero almutium, seu almutia, est indumentum pelliceum, quod jam non super caput et humeros ut olim, sed super unam scapulam vel etiam super brachium sinistrum gestatur.

Videtur introducta vestis illa loco cappæ, quam integram

(1) Vox byrrus a græco πυῤῥός (rufus, rutilus) videtur derivasse. Detracta autem parte quæ tegebat humeros, pars rigens quæ operiebat caput, dicta fuit *birrettum*. Quæ biretta formam quadratam habuerunt, etiam in Gallia, ut constat ex conciliis Galliæ usque ad sæculum XVI habitis, in quibus agitur de birettis quadratis. « Unde « capere nequeo, ait Nardi (tom. II, pag. 380), quomodo in illa regione introducta « sint biretta conica et alta. »

Digitized by Google

deferre æstivo præsertim tempore grave forte erat. De almutiis mentio fit in concilio Basileensi (sess. 21) : *Canonici ecclesias ingrediantur almutias vel byreta tenentes in capite.*

§ 3

DE NECESSARIO SEDIS APOSTOLICÆ INDULTO UT CANONICI INSIGNIBUS UTI, AUT ILLA MUTARE POSSINT

« Usus seu delatio cappæ et rochetti, quin imo etiam al-
« mutiæ, non permittitur canonicis ecclesiarum, tam colle-
« giatarum quam cathedralium, nisi speciale indultum habeant
« a Sede Apostolica, cum illorum insignium concessio sit de
« regalibus Summi Pontificis, neque quoad ea quidquam sta-
« tuere possint Episcopi. Omnibus illis quibus ex peculiari pri-
« vilegio illius (*nempe rochetti*) usus permissus non ostenditur,
« intelligitur a jure prohibitus ; ut de rochetto ac etiam de cappa
« testatur Corradus (*Prax. benef.*, l. 2, c. 14), ubi plura refert
« Congregationis rituum decreta, ac numero 26 ait : Episcopos
« in hac materia habituum et insignium in choro per canonicos
« gestandorum, ac etiam circa illorum colores, nullam prorsus
« auctoritatem habere, cum omnia Papæ sint reservata. » (Scarfantonius, t. I, p. 37, edit. Lucæ, 1723.) « Novum signum sive
« habitum in choro assumere et deferre non debent absque
« Sedis Apostolicæ indulto. » (Monacelli, tit. 2, t. IV, adnot. 28.)

« Notum quippe est Episcopum insignia beneficiatis conce-
« dere non posse, quæ ab Apostolica Sede sunt concedenda,
« uti S. rituum Congregatio jam ab anno 1604 (in Cluensi)
« declaravit : *Nec canonici nec alii cappam deferre possint sine*
« *expressa et speciali licentia Sedis Apostolicæ.* » (*Thesaurus resolut.* S. Congregationis concilii, tomo anni 1828, p. 264.)

In ipsa capitulorum erectione solet Summus Pontifex habitum et aliqua insignia canonicorum determinare sive per seipsum sive per delegatum. Pro capitulis hodiernis Galliæ, Pius VII in bulla concordati potestatem suam Cardinali Capraræ ad effectum hujusmodi insignia concedendi expresse delegavit ; is vero illam subdelegavit primo futuris Episcopis.

Digitized by Google

« mores pertinent, delecti pro moribus : in temporali adminis-
« tratione, electi pro rebus temporalibus. Præter alios rector
« seminarii, tum etiam ministri qui aliquando vocandi erunt
« pro negotiis tractandis. In congregatione spiritualium rerum,
« ea proponantur ac deliberentur quæ ad disciplinam, mores ac
« studia pertinent. In temporali autem congregatione ea per-
« tractentur quæ ad domesticas rationes, jurium conservationem,
« bonorum amplificationem, prædiorum et ædium instauratio-
« nem et locationem, fructuum exactionem, expensarum totius
« anni rationes, et quæ ad alia ejusdem generis spectant. Res
« omnes de quibus in congregatione inita est consultatio, ad
« reverend. Archiepiscopum, cum ipse congregationi non in-
« terfuerit, referantur; qui sive congregationi intersit, sive non,
« ubi deputatorum sententiam (quam tamen ex decreto provin-
« ciali sequi non cogitur) audierit, ipse deliberet ac statuat quæ-
« cumque pro sua pietate ac prudentia ad seminarii utilitatem
« potiora esse existimaverit. Quidquid deinde reverend. Archie-
« piscopo videbitur, rector ipse quamprimum et diligenter exe-
« quatur, nisi alium idem Archiepiscopus delegarit. » (Acta ecclesiæ Mediolanensis, t. V, p. 863.)

CAPUT XI

UTRUM CAPITULUM JUS HABEAT EXIGENDI ALIQUID SOLVI A NOVITER RECEPTIS ?

Prohibet decretum concilii Tridentini (c. 14, sess. 24) et bulla sancti Pii V, *Durum nimis*, ne pro talibus receptionibus quidquam exigatur, idque sub pœnis gravissimis. Quod tamen intelligendum sub explicationibus quas sic tradit Monacelli :

« Non autem omnis petitio quæ fit a capitulis et solutio a pro-
« visis est illicita : quoniam plures sunt casus in quibus dispo-
« sitio hujus bullæ non intrat. Non enim comprehendit consue-
« tudines et statuta quibus disponitur quod ab obtinentibus be-
« neficia et canonicatus in cathedralibus et collegiatis ecclesiis
» olvatur et exigatur aliquid, quod non in ipsorum exigentium
« sutilitatem, nec pro ingressu et admissione accipiatur, sed in
« aliquos pios usus convertatur : hoc etenim nullam avaritiæ seu

Digitized by Google

« simoniæ suspicionem habet, sed potius laudabile est. » (Hic Monacelli citat multos auctores ita docentes, inter quos Cardinalem de Luca, *De canonicis*, disc. 10, n. 10, et disc. 29, n. 7.) « Et hinc est quod valet statutum sive constitutio facta per capi-« tulum auctoritate Episcopi, quod provisi de canonicatibus, « beneficiis vel præbendis in cathedrali, solvant certam quanti-« tatem quæ integre cedat pro fabrica ecclesiæ; nihil tamen « detur notariis, campanariis et aliis ministris et officialibus.

« Item valet statutum sive consuetudo quod noviter receptus « solvat pro tot planetis et aliis supellectilibus sacris sacristiæ; « quia hoc dicitur factum in favorem cultus divini. » (Addit Monacelli ita decisum a Sac. Cong. Episc. et reg.)

« Non tamen tenet neque servanda est consuetudo qua intro-« ductum sit, quod canonici sive alii presbyteri de ecclesia pran-« dium habere debeant. Et ideo Sacra Congregatio Episc. et « reg. (in Caputaquensi, 17 martii 1692) talem consuetudinem « abolendam esse censuit.

« Item valida et licita sunt ecclesiarum cathedralium, colle-« giatarum et receptitiarum, quæ mandant et disponunt, quod « noviter provisi et aggremiati antequam de massa communi « participent, per aliquod temporis spatium gratis ecclesiæ de-« servire debeant, vel quod fructus primi anni sint hæredis ca-« nonici defuncti; quia hujusmodi statuta nec sub decreto con-« cilii, nec sub bulla Pii V comprehenduntur. » (Pro quo citat Monacelli plures declarationes Sacræ Congregationis concilii.)

CAPUT XII

PRÆROGATIVÆ CANONICORUM QUOAD HABITUM

Expendendum hic habemus primo, an semper canonici habuerint insignia, eorum dignitatem supra reliquos de clero denotantia : secundo, quid sint solita hodierna insignia : tertio, an necessaria sit Sedis Apostolicæ facultas ut quædam insignia a capitulis assumi possint.

Digitized by Google

§ 1

INSIGNIA DIGNITATEM SUPER ALIOS DE CLERO DENOTANTIA SEMPER HABUISSE VIDENTUR CANONICI

Prærogativam habitus honorabilioris, quo a cæteris de clero distinguerentur, videntur semper habuisse canonici. Quam thesim fuse tractat Nardi (*Dei parochi*, t. II, c. 29) varia referendo antiquitatis monumenta.

« Multis monumentis, ait, probari posset *Rochettum* (a voci« bus græcis ῥέων χιτὼν, tunica mollis), vestem nempe illam li« neam Prælatorum propriam, cum arctis usque ad manum « manicis, solis Episcopis et canonicis permissum fuisse. Origo « autem rochetti est antiquissima. » Ostendit postea Nardi rochetta seu *vestes* illas *candidas* in antiquis monumentis memoratas diversas fuisse ab *albis*, et Episcopo ejusque capitulo proprias. Proprium et distinctivum dignitatis suæ habitum ab antiquo obtinuisse canonicos probat Epistola S. Zachariæ Papæ ad Pipinum, quæ sic habet, c. 2: *Nam et nos ab Apostolica auctoritate subjungimus, ut Episcopus juxta dignitatem suam indumentis utatur : simili modo et presbyteri cardinales* (1).

In concilio Ravennatensi, anni 967, Joannes XII concessit Archiepiscopo Magdeburgensi, inter alia, ut ipsius 12 presbyteri, 7 diaconi et 24 subdiaconi cardinales, possent uti dalmaticis et sandaliis. (Nardi, t. II, p. 375.)

Leo IX, anno 1049, concedit canonicis Bambergensibus usum mitræ et aliorum insignium. Quod et concessum ab eodem Pontifice canonicis Bisuntinis affirmat Martène (l. 1, c. 4, art. I, n. 17). Canonicis Halberstadensibus mitram concessit Alexander II, anno 1061 (vide Nardi, t. II, p. 376). Usum mitræ confirmavit Eugenius III canonicis Coloniæ, anno 1145; quod etiam privilegium confirmavit Alexander III, addens : *Sicut a Patribus et prædecessoribus nostris id prædictæ ecclesiæ concessum est per authentica privilegia, et hactenus observatum.* Cœlestinus III, anno 1191, indulsit capitulo Sipontino facultatem utendi *mitris, podiis et annulis.* Multa hujusmodi exempla con-

(1) Qui cardinales tunc temporis vocabantur, eosdem fuisse ac cathedralis canonicos eruditis est exploratum.

Digitized by Google

gerit Nardi (loco citato); qui explorationem suam sic concludit : « In summa non reperietur ullum capitulum in toto mundo, « quod insignia non habeat. Aliud scilicet almutiis, aliud mo- « zetta, aliud rochetto, aliud pontificalibus aliisve distinctionibus « condecoratum reperitur. » Animadvertimus duplex ab eruditis exhiberi genus monumentorum insignia canonicis propria commemorantium. Alia nempe loquuntur de insignibus a Sede Apostolica concessis : alia de insignibus reliquis. Sciendum nempe est ab antiquissimo ævo cæteras ecclesias tanquam honorem summum ambiisse facultatem iisdem utendi vestibus sacris et insignibus quibus utebatur Ecclesia Romana; eo quod scilicet Ecclesia Romana omnium aliarum mater esset atque magistra. Romani ergo Pontifices privilegium illud Episcopis et clero aliquarum ecclesiarum in remunerationem bene meritorum aliquando concedebant. Videmus Aregium Episcopum, licet S. Gregorio Magno acceptissimum, dum Romam adiisset, conatum fuisse obtinere pro se et suo Archidiacono usum dalmaticæ. Non obtento privilegio in Galliam reversus est. Postea tamen id ei concessit S. Gregorius (S. Greg., lib. 7, epist. 112). Archiepiscopo autem Ravennatensi qui usum mappularum, Ecclesiæ Romanæ proprium, usurpabat, sic scribit idem S. Gregorius Magnus : *Illud autem quod pro utendis a clero vestro mappulis scripsistis, a nostris etiam clericis fortiter obviatum est, dicentibus nulli hoc unquam alii cuilibet ecclesiæ concessum fuisse.* Archiepiscopus Ravennatensis in defensionem allegabat jam usum esse antiquum et a prædecessoribus Romanis Pontificibus toleratum. Sanctus Gregorius rem composuit concedendo privilegium Archiepiscopo et *primis ejus diaconibus* tantum, et prohibendo ne ad alios extenderetur. (L. 3, epist. 56 edit. Maurin.) Et hinc est quod juxta jus hodiedum vigens canonici insignia solita gerere nequeunt absque expressa Sedis Apostolicæ licentia. Quia nempe ista insignia erant olim Ecclesiæ Romanæ propria. Cæteroquin præsumendum est olim capitula, antequam obtinuissent insignia a Sede Apostolica concedi solita, aliqua nihilominus signa distinctiva habuisse sibi propria, quibus a clero inferiore discernerentur. Unde remanet verum canonicos semper jus habuisse ad habitum insigniorem et distinctivum, licet quoad insignia nunc fere ubique solita, requiratur

Digitized by Google

hodie, sicut initio quando ab Ecclesia Romana in alias dimanarunt, indultum Summi Pontificis.

§ 2

DE CANONICORUM PRÆCIPUIS INSIGNIBUS BREVIS NOTIO

Quatuor canonicorum in habitu insignia quorum usus communior est, sunt Rochettum, Cappa, Mozetta, et Almutia.

I. De rochetti origine et vocis etymologia jam aliquid in superiori paragrapho est dictum ex Nardi. Hæc insuper adnotat eruditus ille auctor :

« Hinc est rochettum non considerari neque tanquam sacram, « neque tanquam profanam, sed tantum tanquam distinctionis « vestem; et præscribi iis qui usum habent rochetti, quales sunt « Prælati, ut in celebranda missa, supra rochettum amictum et « alias vestes sacras induant, a quo prohibentur cæteri quibus « *de jure non competit* rochettum. Est autem rochettum signum « jurisdictionis, demptis paucis casibus quibus in merum orna- « mentum conceditur. Prælati et capitula illud gestant quatenus « jurisdictionem habentes (1). Protonotarii apostolici *non par-* « ticipantes et aliqui mansionarii illud obtinent quatenus « merum ornamentum. Tanquam signum jurisdictionis rochet- « tum semper deferunt Episcopi etiam extra domum et eccle- « siam; et quando adstant coram Papa aut legato Apostolico illud « pallio cooperiunt, quia tunc mozettam servare prohibentur. « In signum item jurisdictionis Papa semper intus et foras ro- « chettum cum stola gestat; et illud novis electis Episcopis in « signum potestatis imponit. In Gallia minoribus sacristiarum « clericis permittitur rochettum. Nescio an antiquus sit ille « singularis usus; sed fatendum quosdam in ea regione abu- « sus a sat longo tempore invaluisse, cum in concilio Narbo- « nensi, anni 1551, can. 41, opus fuerit sacerdotibus ordinariis « rochettum prohibere; et in Aquensi, anni 1585, in memo- « riam revocetur rochettum esse vestem Episcoporum et cano-

(1) Illa jurisdictio capitulorum de qua ibi agit Nardi intelligenda est in *habitu* tantum sede plena. Nam in *exercitio* nullam habent in diœcesim jurisdictionem nisi sede vacante.

Digitized by Google

« nicorum propriam. Extat decretum Sacræ Congregationis « rituum, ab Urbano VIII confirmatum et initio missalis inser- « tum, sic statuens : *Prohibetur usus rochetti, exceptis tamen « quibus de jure competit : et præter hoc statuitur et declaratur « nemini licere inservire aut assistere in celebratione missa- « rum aut divinorum officiorum cum rochetto, neque cum Cotta « habentem manicas angustas ad instar rochetti; et idem « servandum est in concionibus.* »

Non omnino concordat Scarfantonius cum notione a Nardo tradita circa rochettum : « Nomen *rochetti*, quod alio vocabulo « *linea* seu *camisia romana* nuncupatur, nonnulli arbitrantur « derivasse a Gallis a voce *richa*, apud Avenionenses trita, « occasione quod Avenione degebant Summi Pontifices. » (Scarfantonius, t. I, p. 37, n. 6, — citans Gavantum, t. I, de Rit. serv. in celeb. Missæ, tit. I, n. 2, — et alios auctores.) « Cardinalis Baronius (ad an. 261, n. 40) loquens de *linea* « Cypriani, censet vocabulum esse italum, et alias ejusdem « rochetti etymologias docte recenset. Illud certum est quod « illius vocabulum usurpatum semper fuit pro designanda veste « linea Prælatorum et canonicorum regularium... Hujusmodi li- « neæ seu albæ gestatio, antiquitus fuit commissa omnibus cleri- « cis, qui eadem induti prodibant in publicum, ut colligitur ex « epistola divi Hieronymi ad Nepotianum (1). Hæc autem vestis « linea non erat illa cujus usus erat inter sacrificandum, sed « tanquam profana censebatur ; prout est etiam nunc usus ro- « chetti, quod in functionibus omnino profanis et civilibus etiam « adhibetur. » (Scarfantonius, loco citato.)

II. *Cappa* sic vocata est a capite cui imponitur, vel quia corpus capiat et ambiat, ut tradit Denos (*Tractatus de canonicis*, lib. IV, c. 12). Ejus mysticam significationem sic exponebat Stephanus Tornacensis Episcopus : *Hac duplici veste* (cappa nempe et rochetto) *regulariter induti videamur ; ne superpelliceum nostrum sordibus polluatur ; et ne cappa nostra scissuris rumpatur ; ut per munditiam omni tempore vestimenta nostra sint candida, et per continuam pœnitentiam tanquam tunica talaris sit cappa nostra* (apud Denos, loco citato, c. 11). Et sanc-

(1) Ex Nardo, non omnibus clericis concessum est antiquitus rochettum, sed Episcopo et capitulo tantum.

Digitized by Google

tus Carolus in concilio Mediolanensi : *Cum canonicus cappam induit, quæ humeros contegit, et brachia quasi devincit, ex eo amictu intelligat se repressas, quasique devinctas habere debere appetitiones, ac se totum ad Dei voluntatem accommodare... Canonicum, dum humeris vel brachiis almutiam pelliceam imponit, eam cogitationem suscipere, in se restrictas ac plane mortuas esse oportere rerum mundanarum affectiones atque cupiditates, ut ejus rei significans est illa animalis intermortui pellis quam de more gestat.*

III. Mozettam (a voce itala moza quæ significat cappam), recentioris usus existimarunt nonnulli ; at Sarnelli (*Lettere eccles.*, t. II, lett. 27) ostendit antiquissimam, nec aliam esse quam *birrum* illum *lacernum*, qui tanquam vestium complementum, non tantum caput sed et humeros tegebat. De sancto Cypriano, in actis ipsius martyrii, memoratur ipsum primo exuisse habitum qui dicitur *birrus lacernus*, quem plicatum ad genua posuit; *tunicam* deinde, quam diacono tradidit, et cum *linea* carnificem exspectasse. Per *lineam* ibi intelligendum esse rochettum et per *birrum* mozettam existimat laudatus Sarnellus. Birro (1) autem hujusmodi uti solitos fuisse Episcopos et canonicos probat monumentis pluribus.

IV. De almutiis erudite disserit Sarnelli (*Lettere eccles.*, t. IX, p. 82) ; illas autem archæologiæ quæstiones ingredi esset extra tractatum nostrum vagari. Hæc tantum ex Sarnello excerpimus : « Almutium fuit initio vestis operiens caput et humeros ; « sed præcipue caput, ut contendit Molanus (l. 3, *De canoni-* « *cis*, c. 5). Videtur derivare a vocibus teutonicis *alt mutsen.* « id est *pileum seniorum*. Nos dicimus *almutium*, sed corrupte, « nam dici deberet *armutium* eo quod gestetur super armos. » Hodie vero almutium, seu almutia, est indumentum pelliceum, quod jam non super caput et humeros ut olim, sed super unam scapulam vel etiam super brachium sinistrum gestatur.

Videtur introducta vestis illa loco cappæ, quam integram

(1) Vox byrrus a græco πυῤῥός (rufus, rutilus) videtur derivasse. Detracta autem parte quæ tegebat humeros, pars rigens quæ operiebat caput, dicta fuit *birrettum*. Quæ biretta formam quadratam habuerunt, etiam in Gallia, ut constat ex concillis Galliæ usque ad sæculum XVI habitis, in quibus agitur de birettis quadratis. « Unde « capere nequeo, ait Nardi (tom. II, pag. 380), quomodo in illa regione introducta « sint biretta conica et alta. »

Digitized by Google

deferre æstivo præsertim tempore grave forte erat. De almutiis mentio fit in concilio Basileensi (sess. 21) : *Canonici ecclesias ingrediantur almutias vel byreta tenentes in capite.*

§ 3

DE NECESSARIO SEDIS APOSTOLICÆ INDULTO UT CANONICI INSIGNIBUS UTI, AUT ILLA MUTARE POSSINT

« Usus seu delatio cappæ et rochetti, quin imo etiam al-
« mutiæ, non permittitur canonicis ecclesiarum, tam colle-
« giatarum quam cathedralium, nisi speciale indultum habeant
« a Sede Apostolica, cum illorum insignium concessio sit de
« regalibus Summi Pontificis, neque quoad ea quidquam sta-
« tuere possint Episcopi. Omnibus illis quibus ex peculiari pri-
« vilegio illius (*nempe rochetti*) usus permissus non ostenditur,
« intelligitur a jure prohibitus ; ut de rochetto ac etiam de cappa
« testatur Corradus (*Prax. benef.*, l. 2, c. 14), ubi plura refert
« Congregationis rituum decreta, ac numero 26 ait : Episcopos
« in hac materia habituum et insignium in choro per canonicos
« gestandorum, ac etiam circa illorum colores, nullam prorsus
« auctoritatem habere, cum omnia Papæ sint reservata. » (Scarfantonius, t. I, p. 37, edit. Lucæ, 1723.) « Novum signum sive
« habitum in choro assumere et deferre non debent absque
« Sedis Apostolicæ indulto. » (Monacelli, tit. 2, t. IV, ad-not. 28.)

« Notum quippe est Episcopum insignia beneficiatis conce-
« dere non posse, quæ ab Apostolica Sede sunt concedenda,
« uti S. rituum Congregatio jam ab anno 1604 (in Cluensi)
« declaravit : *Nec canonici nec alii cappam deferre possint sine*
« *expressa et speciali licentia Sedis Apostolicæ.* » (*Thesaurus resolut.* S. Congregationis concilii, tomo anni 1828, p. 264.)

In ipsa capitulorum erectione solet Summus Pontifex habitum et aliqua insignia canonicorum determinare sive per seipsum sive per delegatum. Pro capitulis hodiernis Galliæ, Pius VII in bulla concordati potestatem suam Cardinali Capraræ ad effectum hujusmodi insignia concedendi expresse delegavit ; is vero illam subdelegavit primo futuris Episcopis.

Digitized by Google

Cum ergo omnino certa sit illa dispositio juris, requiri scilicet Sanctæ Sedis facultatem ad introducenda vel immutanda capitulorum insignia, contraria praxis non tantum non meretur manutentionem, sed est punibilis, ut ait Scarfantonius (citato loco).

Quoad capitulum Aquilanum, die 17 martii 1660, Sacra Congregatio rituum duxit respondendum : *Non licere canonicis cathedralis antiquum usum capparum pontificalium resumere, nisi docto quod olim ex indulto Apostolico eas adhibuerint* (apud Gardellini, n. 1898).

Atque eadem S. Congregatio (in causa numeri 3552 collectionis Gardellianæ) rescripsit : *Servandam formam præcisam et colorem præcisum, prout in indulto Apostolico exprimitur.*

§ 4

CANONICI EXTRA PROPRIAM ECCLESIAM CONCIONANTES, ALIAMVE SACRAM FUNCTIONEM, UTI SINGULI, PERAGENTES, NEQUEUNT INSIGNIA CANONICALIA INDUERE. — ET QUID SENTIENDUM DE CONTRARIA GALLIÆ PRAXI

Aliqui auctores, inter quos Scarfantonius, falso existimantes concessionem insignium esse gratiam personalem, canonicis videlicet uti singulis ab Apostolica Sede concessam, putarunt bene posse extra propriam ecclesiam et diœcesim, ea insignia a quolibet canonico adhiberi dum concionatur aliamve sacram functionem invitatus peragit. At prædicti auctores sententiam mutassent si post decretum auctoritate Pii VII publicatum et modo referendum vixissent ; unde omnino sunt in hac re deserendi.

Jam ante Pium VII S. rituum Congregatio pluries et constanter declaraverat canonicis uti singulis non licere extra propriam ecclesiam insignia induere dum concionantur aliive functioni sacræ vacant. Nonnulla hujusmodi decreta referamus :

« Supplicante Josepho de Comizares canonico ecclesiæ Panor-
« mitanæ pro declaratione : an extra diœcesim Panormitanam
« liceat oratori uti insignibus canonicalibus, si fuerit ibi invita-
« tus ad aliquas functiones ecclesiasticas, puta ad concionandum
« seu ad ministrandum, de licentia parochi, sacramentum ba-

Digitized by Google

« ptismi, vel assistendum matrimonio et similia? — Et Sacra « Rituum Congregatio, visis et consideratis juribus allegatis re- « spondit : *Negative*, 12 martii 1678. » (Apud Gardellini, n. 2712.)

« Nonnulli canonici concionatores humiliter institerunt apud « Congregationem sacris ritibus præpositam decerni, quo habitu « uti debeat canonicus alicujus cathedralis, vel collegiatæ insi- « gnis, dum concionem habet in aliqua ecclesia intra tamen « diœcesim, cum videatur ex præscripto *sacri cæremonialis* « posse uti habitu qui fuerit in ea ecclesia proprius canonicorum. « Et eminentissimi Patres responderunt : *Non licere uti ha-* « *bitu canonicali nisi in propria ecclesia ubi est canonicus.* Die « 10 septembris 1650. » (Apud Gardellini, n. 1472.)

Idem expresse declaratum Capuanis canonicis die 15 julii 1651 (Gardellini, n. 1479), licet ex indulto Apostolico facultatem haberent utendi cappa et rochetto tam in propria quam *in aliis ecclesiis*. Quia nempe illud indultum intelligitur de casu quo canonici capitulariter ad aliam ecclesiam accedunt; non vero de casu quo aliquis canonicus in aliena ecclesia prædicat aliamve peragit functionem sacram.

Anno tandem 1817, ad sequentia dubia :

1° *An canonici cathedralis in administratione sacramentorum, tam intra quam extra cathedralem ecclesiam, teneantur deponere cappam, atque uti superpelliceo et stola juxta rituale romanum?*

2° *An teneantur dicti canonici cappam deponere, tam intra quam extra cathedralem, dum verbum Dei prædicant, aliasque quascumque non capitulares functiones exercent?* Responsum est :

Ad 1 *affirmative.* — *Ad* 2 *negative in propria ecclesia etiam in concionibus aliisque functionibus* (*excepta sacramentorum administratione in qua utendum est superpelliceo et stola, ut ad* 1). *Affirmative extra propriam ecclesiam et detur decretum generale* (in collectione Gardelliana, n. 4386). Dictæ collectionis auctor de hoc decreto sic disserit in nota quæ habetur pagina 36 tomi VI : « Nemini dubium quod canonici cappæ magnæ usum « habentes aut aliis insigniis decorati, ista adhibere possint in « propria ecclesia sacras functiones peragentes capitulariter, vel

Digitized by Google

« uti singuli; excepto dumtaxat casu administrationis sacramen-
« torum, quæ, tum ex rubricarum præscripto, tum ex Sacræ
« Congregationis decretis, exigunt usum superpellicei et stolæ...
« Haud tamen idipsum poterit (canonicus) in alienis ecclesiis
« vel intra vel extra diœcesim... Privilegia deferendi canonica-
« lia insignia *extra propriam ecclesiam*, ita sunt intelligenda,
« ut id liceat quando canonici capitulariter in alienis ecclesiis
« sacras peragunt functiones, aut iisdem assistunt; corpori si-
« quidem concessa sunt, non canonicis uti singulis. »

Ad tollendum abusum contrarium abundanter sufficere debuissent præcitatæ declarationes. Nihilominus cum semper novæ eadem de re dubitationes proponerentur, editum est, auctoritate Pii VII confirmatum, decretum, ex quo sequentia transcribimus :

« Alias quoque, ac speciatim in una Dubiorum, die 10 sep-
« tembris 1650, in Capuana, 15 julii 1651, et in Panormitana,
« 12 martii 1678, eadem Sacra Congregatio decrevit ut canonici
« qui usu cappæ et rochetti donati sunt, hisce aliisve sibi tribu-
« tis honorum insignibus utantur dumtaxat in propria ecclesia.
« Quod si privilegio polleant ea induendi etiam extra, nonnisi
« in supplicationibus aliisque ecclesiasticis functionibus quibus
« capitulariter, non autem uti singuli intersunt, ea possint ad-
« hibere. Ast cum adversus hæc aliaque id genus Sacræ Con-
« gregationis decreta abusus haud mediocres irrepsisse dignos-
« cantur (quemadmodum patet ex quæstionibus et dubiis quæ
« sæpenumero enodanda proponuntur), idcirco eminentissimi
« Patres eidem Congregationi præpositi..., ut si quæ perperam
« invaluerint auferantur..., generale decretum, facto verbo
« cum sanctissimo, ferendum atque edendum esse censuerunt;
« ideo declararunt : 1°... 2° *Dignitatibus vero et canonicis*
« *etiamsi gaudeant indulto deferendi cappam et rochettum*
« *tam in propria quam in alienis ecclesiis, hujusmodi tamen,*
« *aliorumque canonicalium insignium usum extra propriam*
« *ecclesiam licitum esse dumtaxat, quando capitulariter ince-*
« *dunt vel assistunt et peragunt sacras functiones ; non autem*
« *si intersint uti singuli, nisi speciale privilegium, nedum col-*
« *legium comprehendat, verum etiam singulariter et distincte*
« *ad personas extendatur*. Et ita declaravit, decrevit et servari

Digitized by Google

« mandavit, si Sanctissimo videbitur, die 31 maii 1817. Facta « autem relatione, etc., per me infra scriptum secretàrium « S. R. C. de præmissis sanctissimo domino nostro Pio VII Pon- « tifici Maximo, Sanctitas sua Sacræ Congregationis decretum « Apostolica confirmatione munitum, typis tradi ac evulgari « jussit, pridie nonas junii 1817. » (Vide decretum integrum in collect. Gardelliana, n. 4387.)

Rem iterum decisam anno 1831, vide in collectione Gardelliana, n. 4520.

Jam vero ad Galliæ praxim quod attinet, contraria omnino reperitur; ita ut etiam canonici honorarii rochetto et mozetta extra ecclesiam propriam et diœcesim in concionando utantur. Legitime autem id fieri nulla ratione suaderi potest. Ab Episcopis quidem Galliæ sic permittitur: at Episcopi potestatem insignia concedendi non habent. Neque dicatur jam a multis annis obtinere dictam consuetudinem; nam etiamsi quadragenaria probaretur, cum auctoritate Apostolica declarata sit irrationabilis et abusiva, nulla ei currere potest præscriptio. Unum mihi videtur tantum in favorem gallicanæ praxis aliquatenus objici posse : sequentem nempe declarationem anni 1832 :

« Utrum canonicus qui... gaudet usu rochetti et mozettæ etiam coram Pontifice, illis uti valeat in sacramentorum administratione, et verbum Dei annuntiando ? — Sacra eadem Congregatio censuit : *Negative ad primam partem* (1); *affirmative ad secundam* (2), *sed in propria tantum ecclesia, vel in aliis ecclesiis ubi adest usus deferendi cappam vel mozettam, juxta decretum in una Dubiorum diei* 31 *maii* 1817. Die 7 aprilis 1832. » (Apud Gardellini, t. VIII, n. 4534.)

Ibi enim dicitur, *vel in aliis ecclesiis ubi adest usus deferendi cappam vel mozettam;* in Gallia autem est usus ut canonici in omnibus ecclesiis concionando sua insignia deferant; unde videretur gallicana praxis præservari. At illa verba pugnare videntur cum decreto generali supra citato, ad quod tamen remittunt. Forte mendose edita sunt. Sed quidquid sit, interpretanda sunt per dictum decretum, cum expresse dicatur, *juxta decretum* 31 *maii* 1817. In eo vero decreto nihil tale reperitur. Unde

(1) Nempe quoad sacramentorum administrationem.
(2) Nempe quoad verbi Dei prædicationem.

Digitized by Google

memoratam Galliæ praxim ego non auderem asserere non esse abusivam et de medio tollendam.

Quoad privilegium aliquibus dignitatibus et canonicis concessum utendi insignibus pontificalibus, verbi gratia, mitra, sandaliis, etc., pro regula haberi debet constitutio Pii VII hac de re edita, quam vide in collectione Gardelliana, t. VII, n. 4443.

CAPUT XIII

PRÆROGATIVÆ QUOAD PRÆCEDENTIAM

« Quemadmodum divina sapientia in cœlesti Jerusalem ac « triumphanti Ecclesia, miro ordine mansiones multas appo- « suit, juxta diversitatem graduum præcedentiæ, vel secundum « ministeria ut in angelis, vel secundum merita ut in beatis, ita « etiam divino afflatu militantem Ecclesiam ad instar trium- « phantis admirabili dispensatione per suos vicarios condecorari « mandavit, qui certos gradus et ordines distribuerunt; ut illo- « rum harmonia et varietate unicuique secundum suam dignita- « tem daretur honor et præcedentia; utque hoc modo in Eccle- « sia militanti tanquam imagine triumphantis, adesset concordia « inter majores, et recte singulorum gereretur administratio « officiorum. Quare sicuti condemnandi sunt qui ambitu et hu- « manæ gloriæ cupiditate, primos recubitus et primas cathedras « usurpare conantur, ita laudandi sunt qui de præcedentia et « majoritate contendunt ut ordo et consonantia inter clericos et « ecclesias particulares majori perfectione servetur, ut dixit « Rota (in Lucana 28 junii 1700, coram Molines). » Ita Monacelli in suo *Formulario* (parte III, tit. 2, ad form. 7, n. 6. — Edit. Venet., 1772, pag. 538).

Hæc præmittenda duximus, ne omnes de præcedentia contentiones incaute aliquis tanquam vitiosas et doctrinæ evangelicæ repugnantes damnaret.

Aliud etiam, ex eodem Monacello (loco citato) principium præmittemus : Posse nempe omnes controversias inter ecclesiasticos de præcedentia ab Episcopo provisionaliter dirimi (ex cap. 12, sess. 35. — Gavantus, in Manuali, verbo Præcedentia, n. 1); ita ut nulla appellatio suspendat effectum judicii Episco-

Digitized by Google

palis, et debeat huic judicio stari, donec in petitorio controversia decidatur.

His præadnotatis, exponemus regulam sedendi et præcedendi, primo inter eos qui sunt de capitulo; postea vero inter eosdem et cæteros qui de capitulo non sunt.

§ 1

REGULA SEDENDI ET PRÆCEDENDI INTER EOS QUI SUNT DE CAPITULO

1. Quid competat canonico Episcopo:

« Reverendissimus Præsul Franciscus Maria Zoppi, qui Sanctissimo annuente Episcopatum Massensem dimisit, in eo est, ut potiatur canonicatu superioris ordinis in metropolitana Mediolanensi ecclesia; et ne in hoc novo munere aliquid detrahat Episcopali dignitati, ac vanitatis notam devitet, sacrorum rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna dilucidatione proposuit, nimirum: 1. Quænam sedes (vulgo *stallo*) sibi competat in choro, in quocumque capituli congressu, et quando sibi cum eodem capitulo procedendum est. 2. Quemnam habitum gerere in choro, quemnam in publicis supplicationibus aliisque sacris functionibus, quemnam extra chorum, cum privatam personam agit. 3. An teneatur in sua hebdomada missam et vesperas canere seu celebrare, aliaque singulariter peragere ad quæ tenentur canonici ejusdem ordinis in sua quisque hebdomada. 4. Et quatenus teneatur, an sandaliis, dalmaticis, mitra, baculo pastorali, cruce et similibus Episcopo competentibus uti debeat? 5. Quatenus vero non teneatur, vel sibi liceat a præfatis hebdomadarii officiis abstinere, an distributiones amittat, quamvis choro cum cæteris canonicis interfuerit. 6. An debeat Archiepiscopo solemnia agenti assistere, ministrare, aliaque præstare, quæ cæteri ejusdem ordinis canonici de more eidem præstant. 7. Quum autem orator minime ignoret a cæteris ejusdem ordinis canonicis ægre ferri Episcopum e gremio ejusdem capituli, vestes et caligas coloris violacei et quidquid aliud Episcopalem dignitatem referat in choro eorumque congressu gestare, et quocumque modo se ab ipsis distinguere (ac proinde non multis abhinc annis duos ejusdem capituli canonicos, a Summo Pontifice Episcopos

Digitized by Google

in partibus renunciatos, locum quem antea in choro habebant et in quovis capituli congressu retinere... consuevisse), obsequentissime postulat, an teneatur, vel saltem sibi liceat huic consuetudini se conformare in omnibus, aut quanam in parte? — Sacra Congregatio... censuit: *Ad* 1 *et* 2, *ratione Episcopatus posse et debere uti habitu ordinario quo utuntur Episcopi in Romana curia, id est, rochetto supra subtanam et mantelletto violacei coloris, et debere præcedere omnibus aliis canonicis, et sedere in primo stallo supra omnes, ut in Compostellana diei* 15 *julii* 1617. — *Ad* 3, *in missis de turno abstineat, et subroget alium, ut in Asculana diei* 10 *aprilis* 1728. *In solemnioribus, cum indumentis pontificalibus, sed de licentia Episcopi.* — *Ad* 4, *jam provisum.* — *Ad* 5, *quoad primam partem jam provisum, negative quoad secundam partem.* — *Ad* 6, *tenetur sedere in choro cum pluviali.* — *Ad* 7, *negative in omnibus.* Die 16 martii 1833. » (Apud Gardellini, t. VIII, n, 4560.) Extat hujus decreti confirmatio. (Apud eumdem Gardellini, t. VIII, n. 4567.)

II. Ubi præbendæ sunt distinctæ, servandus in sedendo et in gradiendo ordo præbendarum... (3132); et canonici sedere et incedere debent singuli in proprio ordine, et dignitates gestare pluvialia, canonici ordinis presbyteralis planetas, diaconi et subdiaconi dalmaticas et tunicellas. (N. 204.)

III. Ubi omnes præbendæ sunt presbyterales, tenentur nihilominus assumere sacras vestes ut cæremoniale præscribit, dum Episcopus solemniter celebrat (n. 1303). Declaratur abusus, quod canonici, ubi præbendæ non sunt distinctæ, assistant missæ pontificali cum cappa; permittitur tamen ut omnes tam dignitates quam canonici assistant pluvialibus induti (n. 1808).

Ubi omnes præbendæ sunt presbyterales, non vero distinctæ in presbyterales diaconales et subdiaconales, certissima est sequens regula quoad præcedentiam: canonicus presbyter præcedit canonicum diaconum vel subdiaconum licet possessione antiquiorem; et quando ille diaconus vel subdiaconus fit presbyter, non recuperat præcedentiam super presbyterum possessione minus antiquiorem, qui ratione sacerdotii præcedebat. Vide illud decisum in causa Aquipendiensi 16 decembris 1828, ubi decisio contraria Episcopi sublata est a Sacra Congregatione rituum (in

Digitized by Google

collectione Gardelliana, t. VIII, n. 4494, ubi in nota res fuse expenditur). Idem autem dicendum est de diacono relative ad subdiaconum.

IV. Canonici ubi præbendæ non sunt distinctæ digniorem occupant locum ratione sacri ordinis, non possessionis; et semel adeptum non amittunt, etiamsi antiquiores in canonicatu ad eumdem ordinem postea ascendant (Congregatio rituum apud Gardellini, numeris 13-68-96-440-846-1023-1071-1834-1854 1863-2143-2298-2311 - 2359-2419-2562-2602-2616-2807-3048-3162-3227-3345-3346-3627-3648-3672-4228-4273).

Eadem tamen Congregatio, ratione consuetudinis et circumstantiarum particularium, in quibusdam casibus decidit contrarium; illum nempe qui prius receptus, posterius ad superiorem ordinem evehitur, recuperare præcedentiam supra collegam posterius receptum, sed prius ad ordinem superiorem evectum. Ut videre est apud eumdem Gardellini, numeris 431-1837-1868-3903-3918-4170-4271-4310. Hinc in indice tomi V collectionis Gardellianæ, pagina 25, sapientissime concluditur hoc modo: « Ex his colligimus, regulam stare pro prius promotis: limita-« tiones vero respicere consuetudinem et circumstantias parti-« culares pro casuum diversitate. »

V. Canonici ubi omnes præbendæ sunt presbyterales, Pontificalia celebrante Episcopo, quo ordine assistere ei debeant, et quam rationem tenere in sacris indumentis sumendis, ut aliqua fiat ordinum distinctio, decisum habes a Sacra Congregatione rituum (apud Gardellini, sub n. 2792), hoc modo:

« Cum ex decreto Sacræ rituum Congregationis, die 15 mar-« tii 1608, relato a Gavanto, habeatur, quod canonici assistentes « Episcopo in Pontificalibus, debeant esse induti aliqui pluvia-« libus, alii planetis, alii dalmaticis, et alii tunicellis, ut, « etiamsi non sint distinctæ præbendæ, fiat tamen distinctio per « paramenta: hinc est, quod quidam Episcopus habens in sua « cathedrali dignitates et canonicatus omnes presbyterales, sup-« plicavit pro declaratione ut infra, videlicet:

« 1° Utrum idem Episcopus possit statuere, quod solum « ultra presbyterum assistentem cum pluviali in throno, alii « duo in scamnis assistentium habeant pluviale; et ultra duos « canonicos assistentes cum dalmaticis in throno, et duos alios

Digitized by Google

« ad altare in habitu diaconali et subdiaconali, respective habeat « in dictis scamnis assistentium ultimos quatuor canonicos, duos « indutos dalmaticis et duos tunicellis? — Et quatenus affirmative.

« 2° Utrum in tali cathedrali, ubi non sunt distinctæ præbendæ, possit Episcopus statuere quod ex prioribus canonicis sint « determinati illi, qui...

« 3° Utrum dicti quatuor canonici qui ultimi sunt, figuramque faciunt diaconorum et subdiaconorum, debeant in sedendo, in thurificando et in pacem dando tractari ut disponit « cæremoniale Episcoporum de canonicis vere diaconibus et subdiaconibus? — Sacra Congregatio respondit, — ad 1. *Affirmative;* — ad 2. *Primum locum deberi tribus canonicis assistentibus in throno : secundum locum deberi canonicis assistentibus in presbyterio cum pluvialibus : tertium assistentibus cum planetis : quartum assistentibus in figura diaconali « cum dalmaticis, et diacono Evangelii assumendo ex tribus « per turnum : quintum assistentibus in figura subdiaconali, « et subdiacono Epistolæ pariter assumendo ex tribus per turnum ; — ad* 3. *Affirmative. Die* 11 *januarii* 1681. »

VI. Coadjutor Dignitatis debet sedere post Dignitates supra omnes canonicos. (Collectio Gardelliana, t. VIII, n. 4799 et 4821.)

VII. Canonicis non licet occupare sedes Dignitatum absentium vel præsentium. Sacra Congregatio rituum, apud Gardellini, n. 3444.

Canonicis non licet occupare sedem vacuam celebrantis Dignitatis. Sacra Congregatio rituum, apud Gardellini, n. 2117 et 2142.

VIII. Canonici ad chorum pergentes diebus solemnioribus debent bini processionaliter incedere, præcedente cruce : in aliis diebus, prout libuerit. Sacra Congregatio rituum, apud Gardellini, n. 600, ad 4.

IX. Canonicus facturus officium debet ad chorum cum paramentis accedere. Sacra Congregatio rituum, apud Gardellini, n. 1354.

Canonici semper præcedunt beneficiatis, dummodo hi non sint parati sacris indumentis. Sacra Congregatio rituum, apud Gardellini, n. 776.

Digitized by Google

Canonico celebranti seu officium facienti debetur præcedentia etiam supra Dignitates, in sessione, intonatione, etc. Sacra Congatio rituum, apud Gardellini, n. 1547 et 408.

Canonicus hebdomadarius sola cappa canonicali indutus præcedentiam habet in ea parte chori a qua inchoatur officium, etiam supra Dignitates. Sacra Congregatio rituum, apud Gardellini, n. 2374.

Canonici stare non debent ad nonam lectionem a celebrante hebdomadario cantari solitam, etiam si is sit pluviali indutus, cum hujusmodi obsequium præstandum solummodo sit dum cantatur ab Episcopo. Sacra Congregatio rituum, apud Gardellini, n. 1819.

X. Canonico intonante antiphonam, alii debent assurgere detecto capite. Sacra Congregatio rituum, apud Gardellini, n. 2372.

Canonici eam partem tenentes ubi intonatur antiphona, omnes surgere debent. Sacra Congregatio rituum, apud Gardellini, n. 3448.

XI. Canonici et Dignitates dum cantare debent lectiones, accedere debent ad legile. Sacra Congregatio rituum, apud Gardellini, n. 3402.

XII. Canonici tenentur inservire in officio diaconi et subdiaconi tam Dignitati quam canonico celebranti (Sacra Congregatio rituum, apud Gardellini, numeris 663-754-947-966-1062-1069-1124-1300-1312-1354-1391-1552-1554-1614-1725-1809-1878-1977-2133-2674-3099-3132-3190-3239-3267-3560); non tamen extra propriam ecclesiam nisi interesset capitulum (ibid., n. 992 et 1009): neque in vesperis, in quibus pluvialia sumere debent presbyteri de gremio ecclesiæ sed canonicis inferiores (ibidem, n. 754 et 760). Regula autem illa canonicos adstringens ad inserviendum Dignitati vel canonico celebranti, procedit tantum quoad omnes missas solemnes in quibus requiritur diaconus et subdiaconus (ibid., n. 760-1743-1795-1800).

Quæ regula servanda est etiamsi præbendæ non sint distinctæ (ibid., n. 1799); quo casu omnes debent sibi invicem ministrare nulla habita ratione ancianitatis (ibid., n. 3307).

Digitized by Google

Ubi tamen canonici pauci sunt numero, laudandi si dictam regulam servent, non cogendi (ibid., n. 1941).

Ubi tamen omnes præbendæ sunt presbyterales, non teneri canonicos ad inserviendum pro diacono et subdiacono, concludendum esset ex declaratione diei 23 novembris 1675, in qua expresse dicitur : *Attento quod præbendæ canonicales sint presbyterales, non teneri inservire pro diaconis* (Gardellini, n. 2604).

Canonici nullatenus inservire debent in munere diaconi et subdiaconi portionariis et aliis inferioris ordinis, quacumque non obstante consuetudine. Sacra Congregatio rituum, apud Gardellini, n. 27 et 345.

XIII. Canonicis paratis danda est pax et thurificatio ante Dignitates : et beneficiatis paratis post canonicos ante alios de clero. Sacra Congregatio rituum, apud Gardellini, n. 16.

XIV. Canonici missam planam celebrantes nullo modo distingui debent a simplicibus sacerdotibus (4386).

XV. Canonico juniori competit publicare in die Epiphaniæ anni festa mobilia, nisi legitime præscripta in contrarium vigeret consuetudo (Gardellini, n. 189).

§ 2

DE PRÆCEDENTIA RELATIVE AD VICARIUM GENERALEM EPISCOPI

I. Certum est vicarium generalem Episcopi, *modo assistat in habitu vicariali*, præcedere Dignitatibus et canonicis *non paratis*, id est, veste chorali tantum et non vestibus sacris indutis. Id vide a S. rituum Congregatione multoties decisum apud Gardellini sub numeris sequentibus (14-46-204-347-621-879-899-1140-1141-1183-1184-1517-1750-1759-2127-2603-2683-2685-2845-3008-3045-3100-3849 4025).

II. A prædicta regula solus excipitur hebdomadarius, qui licet non paratus et in habitu chorali tantum officium peragens, vicario generali præcedere debet. Quod declaratum est a dicta Sacra Congregatione hoc modo : An vicarius generalis in choro occupare debeat primum stallum, ac proinde præcedere omnibus Dignitatibus? — S. C. R. censuit : *Juxta alias decreta, vicarius*

Digitized by Google

generalis in choro, et in habitu vicariali, omnibus etiam Dignitatibus non paratis præcedit, excluso tamen hebdomadario. Die 27 februarii 1847. » (In collectione Gardelliana, t. VIII, n. 4923.)

III. Dignitates ergo et canonici, *dum sunt parati*, præcedunt vicario generali. Sequitur ex citatis declarationibus; sed vide insuper decisum apud Gardellini, numeris 70-276-458-775-817-1140-1970-3085. Contraria vero consuetudo est abusus, nec tolerari debet. (Ibid., n. 458.)

IV. Nulla proinde gaudet præeminentia vicarius generalis si assistat sine habitu vicariali; verbi gratia, si sit canonicus et habitum canonicalem gerat: idque non obstante contraria consuetudine. (Gardellini, 1092-1101.) Secus vero si in habitu vicariali (ibid., 1093-1101).

V. Vicarii generalis habitus est subtana cum mantello et biretto: si non est protonotarius, ei non licet uti subtana cum cauda et mantelletto (3085).

VI. Si vicarius generalis nolit canonicis paratis in choro et processionibus locum cedere, ab interessendo abstineat. Ita declaratum a S. rituum Congregatione. (Gardellini, n. 1919).

VII. In associatione Episcopi, si vicarius generalis sit simul protonotarius Apostolicus, præcedit canonicis : secus ab interessendo abstineat. Sacra rituum Congregatio. (Apud Gardellini, 2352.)

VIII. Vicarius generalis sedere debet in primo stallo, et quatenus opus sit, addatur sedile (924-995) : et stallum assignandum vicario debere esse fixum nec amplius variandum S. R. C. sancivit (1155-1037).

Si non habet sedem distinctam, debet occupare primum stallum in choro (533-565-3147), juxta consuetudinem ecclesiæ (3045-3085); si danda ei sit sedes distincta, locus decens assignandus est ab Episcopo (3979-4097) : *dummodo incedat in habitu vicariali* (1050).

Si habet sedem separatam in choro, nequit occupare stallum Dignitatis (1678). Nequit occupare primum stallum si ejus antecessores sederunt in sede separata (1759).

IX. Si vicarius generalis examini ordinandorum assistat in

Digitized by Google

habitu vicariali, præcedit omnes Dignitates et canonicos etiam protonotarios. (Gardellini, n. 1390.)

X. Vicarius generalis qui simul est canonicus debet subscribere acta capitularia in loco suæ receptionis in canonicatu (1001), prout etiam sedere, dum interest congregationibus capitularibus (1013).

Neque habet vocem in capitulo uti vicarius; habet tamen uti canonicus, sed in loco suæ receptionis (1100).

Et in habitu canonicali, munia tantum canonici explere debet (1610).

Vicarius generalis canonicus, si velit uti vicarius interesse divinis, præcedit, sed distributiones amittit: si ut canonicus, sedeat in suo stallo canonici (46-63-88-129-255-283-347-763-978-1033-1086-2873 et 2669).

XI. Vicarius generalis nequit missas solemnes celebrare, aliasque functiones Episcopales peragere impedito Episcopo vel sede vacante, cum id pertineat ad Dignitates et canonicos (41-122-146-188).

Neque vi consuetudinis, neque vi decreti synodalis, potest sibi usurpare vices Episcopi in eis functionibus quæ primæ Dignitati ex jure debentur (1825).

XII. Thurificandus est post canonicos sacris indutos sacrificii ministros, et etiam post canonicos sacris pariter amictos in stallis choralibus (1777).

Tam præsente quam absente Episcopo, thurificandus est ante omnes præter modo dictos sacris amictos (965).

Semper thurificandus est duplici ductu ut Dignitates et canonici (2645), etiamsi assistat in habitu protonotarii (2677-2718).

XIII. Ei non competit usus pluvialis, nisi sit de gremio capituli, quo in casu incedere debet in loco suæ receptionis, non obstante contraria consuetudine quæ abusus declaratur (1796-1826).

XIV. Vicarius generalis in synodo habet præcedentiam supra canonicos habitu chorali indutos (3400).

Digitized by Google

§ 3

DE PRÆCEDENTIA RELATIVE AD VICARIUM CAPITULAREM

Vicarius tam capitularis quam generalis, nequit peragere functiones quæ absente Episcopo pertinent ad primam dignitatem (188-335-464-548-555).

Vicarius capitularis præcedentiam habet supra omnes post digniores de capitulo : sedere proinde debet post Dignitates (866-910-1810-2256-2861).

Si est canonicus, sedere debet in suo stallo quatenus frui velit distributionibus (1484), et tunc nullam habere potest præcedentiam (2265).

In processionibus debet incedere a sinistris Dignitatis repræsentantis capitulum (1730); ita ut censeatur inferior toto corpore capituli.

Nequit in expeditionibus uti proprio sigillo, sed adhibere debet sigillum capituli (3656).

§ 4

DE PRÆCEDENTIA QUOAD SYNODUM

Canonici metropolitanæ possunt in synodo sedere in scamno duorum graduum, dummodo sedes Archiepiscopalis sit elevatior. (S. Congreg. rituum, apud Gardellini, n. 2400.) In sedendo servare debent formam cæremonialis (ibid.). In causa Novariensi, 8 maii 1700, propositis inter alia sequentibus dubiis : « 1° An « in proxime habenda synodo diœcesana, capitulum et clerus « ecclesiæ cathedralis sedere debeant intra presbyterium hinc « inde a lateribus Episcopi, vel extra presbyterium ante Episco- « pum in forma semicirculi ? 2° Quatenus sedere debeant intra « presbyterium hinc inde a lateribus Episcopi, an ibidem sedere « debeant etiam canonici collegiatæ sancti Gaudentii post terga « canonicorum cathedralis? 3° Quatenus iidem canonici ecclesiæ « cathedralis sedere debeant extra presbyterium ante Episcopum « in forma semicirculi, an intelligi debeat de semicirculo per- « fecto et rigoroso, an vero satisfactum censeatur dispositioni cæ-

Digitized by Google

« remonialis Episcoporum (l. 1, c. ult.) si dicti canonici occu-
« pent faciem anteriorem ex utraque parte? 4° An eodem casu
« quo canonici cathedralis sedere debeant extra presbyterium,
« canonici collegiatæ sancti Gaudentii sedere debeant post terga
« canonicorum ex utraque parte, vel tantum ex una? 5° An
« scamna sive sedilia canonicorum ecclesiæ cathedralis debeant
« esse elevata a pavimento per unum gradum? Et quatenus affir-
« mative. 6° An hujusmodi scamna debeantur canonicis colle-
« giatæ sancti Gaudentii? 7° An dicta scamna pro canonicis eccle-
« siæ cathedralis vestiri debeant aliquo panno, et cujus coloris?
« et quatenus affirmative. 8° An eumdem ornatum cum eodem
« vel alio colore habere debeant sedilia pro canonicis sancti Gau-
« dentii?... Sacra rituum Congregatio respondit: — Ad 1. *Ad*
« *mentem. Et mens est, quod in casu de quo quæritur, synodus*
« *fiat extra presbyterium; et quoad secundam partem circa*
« *sessionem, arbitrio Episcopi.* — Ad 2. *Provisum in primo.*
« — Ad 3. *Satisfieri si occupent partem anteriorem ex utraque*
« *parte.* — Ad 4. *Sedere debere ex una tantum parte a dextris.*
« — Ad 5. *Affirmative.* — Ad 6. *Negative.* — Ad 7. *Coo-*
« *periantur scamna canonicorum cathedralis aliquo panno*
« *viridi.* Ad 8. — *Affirmative eodem colore viridi.* » (Apud Gardellini, n. 3410.)

§ 5

DE PRÆCEDENTIA RELATIVE AD RELIQUOS QUI NON SUNT DE CAPITULO

I. Relative ad parochos, dici generatim potest, dignitatem canonici in se spectatam esse supra dignitatem parochi, quod ex parte I, sect. 1, hujus tractatus satis evincitur. Præterea canonicos capitulariter incedentes præire parochis quibuscumque; canonicos vero uti singulos non præcedere parocho in ipsius parochi ecclesia, firmant variæ Sacræ Congregationis rituum declarationes, e quibus sequentes indicamus:

Canonici et clerici cathedralis in ducendis funeribus præeminentiam semper habent. Officium vero in ecclesia faciendum a parocho defuncti, apud Gardellini, n. 180.

Ad dubium, « An capitulum et canonici non solum in via sed
« etiam in propria ecclesia parochiali præcedere debeant ipsi

Digitized by Google

« parocho in funeribus et aliis functionibus, non obstante præ-
« tensa contraria consuetudine? — Sacra rituum Congregatio
« censuit : *affirmative, præterquam in actu faciendi officium,*
« *quod spectat ad parochum.* » (28 aprilis 1703, apud Gardellini, n. 3501.)

Canonicus supranumerarius simul parochus, in funeribus, præsente capitulo, si procedat cum stola, digniorem locum habet. Ita decisum a Sacra Congregatione rituum (apud Gardellini, t. VIII, n. 4972, ad 1).

In funeribus seu cadaveris ad ecclesiam deductione si adsit capitulum collegiatæ, debetur præcedentia capitulo supra parochum. Ita decisum a Sacra Congregatione rituum. (Apud Gardellini, t. VIII, n. 4730.)

Canonici cathedralis uti singuli non præcedunt parocho in ipsius ecclesia. (Apud Gardellini, n. 77 et 2508.)

Si tamen aliquis canonicus, etiam honorarius tantum, procedat cum Episcopo suo, præit parocho in parochi ecclesia, etiam in aliena diœcesi; quia tunc non procedit tanquam privatus, sed tanquam membrum cum capite suo. Id firmat sequens declaratio Sacræ Congregationis rituum : « Cum Sacrorum rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuerit sacerdos Perier, canonicus cathedralis Gratianopolitanæ (Grenoble) ac intimus illius Episcopi secretarius, nimirum : — 1° An canonico cathedralis titulari præsente Episcopo, in alienæ diœcesis ecclesia competat præcedentia super parochum ecclesiæ ipsius? 2° An idem dicendum sit quoad canonicum cathedralis honorarium tantum, præsente similiter Episcopo? — Sacra Congregatio... censuit : *Juxta alias decreta affirmative in omnibus.* Die 19 maii 1838. » (Collectio Gardelliana, t. VIII, n. 4682.)

II. Canonici cathedralis præeminentiam habent in ecclesia collegiata, dum ad hanc Episcopus occasione visitationis accedit (ibid., n. 1168).

Canonici cathedralis induere debent sacras vestes in solemni processione Sanctissimi Sacramenti : collegiatarum canonicis non licet (ibid., n. 1173).

In causa Cortonensi, 10 septembris 1701, proposito inter alia sequenti dubio : « 7° An canonico vel Dignitati vesperas infra

Digitized by Google

« annum cantanti debeatur pulvinar, et tapete ante ipsum ? — « Sacra Congregatio censuit respondendum : *Ad* 7. *Absente Epi-* « *scopo, juxta cæremoniale* (l. 2, c. 3) *debetur pulvinar et ta-* « *pete pro hebdomadario canonico.* » (Apud Gardellini, n. 3448.)

In eadem causa Cortonensi, 10 septembris 1701, ad dubium 14 : « An canonicis tam in cathedrali quam extra missam « cantantibus tolerari possit assistens cum pluviali ? » Sacra Congregatio respondit : « *Ad* 14. *Negative, et dentur decreta.* » (Apud Gardellini, n. 3448.)

An alibi præterquam in celebratione synodi canonicis cathedralibus debeantur scamna per unum gradum a pavimento elevata ? Sacra Congregatio rituum (in Novariensi, 1 octobris 1701) respondit : *Canonicis cathedralis non competere scamnum seu altiorem locum nisi in synodo.* (Apud Gardellini, n. 3452.)

IV. Canonici cathedralis deputati ad seminarii administrationem præferendi sunt aliis deputatis de clero, etsi hi primum fuerint electi (3934.)

V. Canonicus cathedralis celebrans nequit impertiri benedictionem concionatori inter missarum solemnia, non interessente Episcopo. (Apud Gardellini, n. 3587.)

Canonici cathedralis existentes uti singuli in locis diœcesis, nequeunt assumere habitum canonicalem vel prætendere præcedentiam et locum distinctum. (Gardellini, n. 3742.)

Canonicis et Dignitatibus cathedralis non licet in celebratione missæ privatæ habere ministrum cotta indutum qui missale sustineat, folia vertat, indicet legenda, detegat calicem, vinum et aquam ante offertorium infundat. (Gardellini, 3777-3791).

Canonici in convisitatores assumpti gestare possunt propria insignia tam in collegiatis quam in aliis ecclesiis, eisque debetur præcedentia. (Apud Gardellini, n. 3989.)

Tam intra quam extra cathedralem distingui nequeunt in missis privatis a simplicibus sacerdotibus (ibid., n. 4285).

Nequeunt extra cathedralem uti pulvinaribus ad genuflectendum (ibid.).

Canonici nequeunt adhibere pulvinaria in suis sedibus (2939).

Canonicis cathedralis uti licet panno seu tapete in scamno (n. 2542).

Digitized by Google

Canonicis et Dignitatibus non licet in missis privatis adhibere duos ministros, quatuor candelas, et abacum (n. 1849).

Canonicis non licet novitates inducere et presbyterum assistentem in missa adhibere. (Sacra Congregatio rituum, apud Gardellini, n. 1864.)

Canonicus qui pluviali indutus sustinet baculum Episcopi, tenere debet locum in processionibus juxta consuetudinem : si hæc nulla sit, solus ante Episcopum incedat (ibid., n. 2653).

Canonici non sunt cogendi ad deferendas hastas baldachini, quod præstandum est a dignioribus ex beneficiatis seu mansionariis, et contraria consuetudo improbatur (ibid., n. 1024 et 1082).

Canonici et Dignitates in actu præstandæ obedientiæ admitti debent ab Episcopo ad osculum dumtaxat manus (ibid., n. 1194).

PARS QUINTA

DE CAPITULO, SEDE VACANTE

Omnia quæ in hac parte tractanda occurrunt commode possunt sub triplici sectione distribui : 1° nempe ad quem et quomodo devolvatur potestas diœcesim, sede vacante, gubernandi. 2° Quomodo sese habeant ad invicem quoad potestatem capitulum et vicarius capitularis. 3° Quænam sit hujus potestatis extensio.

SECTIO I

AD QUEM ET QUOMODO, SEDE VACANTE, DEVOLVATUR DIŒCESIM REGENDI POTESTAS

CAPUT I

QUOTUPLICI MODO SEDES VACET

I. Sedes dicitur *proprie* vacare 1° quando Episcopus mortuus est ; 2° quando ad aliam sedem fuit translatus ; 3° quando renun-

Digitized by Google

ciavit sedi suæ ; 4° quando depositus est ; 5° quando factus est notorie hæreticus. De quatuor prioribus casibus, nulla potest esse difficultas. Quoad quintum vero sic habet Leurenius : « Episcopo existente notorie hæretico, jurisdictio... spectat ad capitulum ; quia sedes non interpretative sed vere vacat. » (*Forum beneficiale*, tomus III, Tractatus de capitulo, sede vacante, cap. 1, quæst. 454). Fagnanus autem, postquam fuse probavit hæreticos esse non tantum privandos beneficiis ecclesiasticis, sed ipso facto privatos, sic addit : « Communem sententiam semel atque iterum non obscure probavit Sacra Congregatio Cardinalium concilii Tridentini interpretum : aliquando (1) enim censuit, Episcopo existente notorie hæretico, facultatem concedendi dimissorias spectare ad capitulum cathedralis ecclesiæ. Non enim Sacra Congregatio mota fuit ex eo quod sedes Episcopalis propter hæresim Prælati vacet interpretative ; si quidem propter vacationem interpretativam jurisdictio ad capitulum non devolvitur ; sed mota fuit, quia propter hæresim notoriam Prælati sedes Episcopalis vacat vere ; et ideo jurisdictio, et consequenter facultas concedendi dimissorias transit in capitulum, sede vacante (in I partem libri V Decret. cap. *Ad abolendam*, De hæreticis, n. 35). » De his ergo quinque casibus intelligendum erit jus commune jurisdictionem ad capitulum devolvens, sede vacante.

II. Intelligendum etiam erit de casu *quasi vacationis :* quando nempe administratio diœcesis impossibilis facta est Episcopo ex aliquo impedimento, alio tamen quam excommunicatione aut suspensione. Quod sic exponit Cardinalis de Luca (*Annotationes practicæ*, in fine tomi XIV, discursu 31) :

« Id autem quod in casu vacationis sedis per Episcopi cessum vel decessum, ut supra habetur, generaliter quoque procedit, quando sede adhuc plena, eadem intrat ratio ut oporteat in ecclesiæ administratione et Episcopali jurisdictione Episcopi absentis vel alias impediti partes implere ; ut potissimum casus præbere solet quando Episcopo in nunciaturis apostolicis seu alias longa absentia impedito, sequatur mors vel discessus aut aliud impedimentum vicarii generalis per

(1) Hanc declarationem factam fuisse 14 januarii 1588 narrat Fagnanus alibi, nempe in cap. *Quia diversitatem, de concess. præb.*, n. 24.

Digitized by Google

« eum deputati, alia non facta provisione pro istius casus con-
« tingentia. »

Idem admonet Leurenius (*Forum beneficiale*, Tractatus de capitulo, sede vacante, c. I, quæst. 454, in tomo III) : « Juris-
« dictio Episcopi naturaliter viventis tribuitur capitulo in spe-
« ciali casu, quando Episcopus est captus a paganis vel schisma-
« ticis ; eo quod tunc sedes censeatur quasi vacare per mortem. » Hæc communis et certa canonistarum doctrina fundatur decretali Bonifacii VIII sic expresse statuentis : *Si Episcopus a paganis aut schismaticis capiatur, non Archiepiscopus, sed capitulum, ac si sedes per mortem vacaret illius, in spiritualibus et temporalibus ministrare debebit : donec eum libertati restitui, vel per Sedem Apostolicam* (*cujus interest ecclesiarum providere necessitatibus*) *super hoc per ipsum capitulum quam cito commode fieri poterit consulendam, aliud contigerit ordinari* (cap. *Si Episcopus*, de supplenda negligentia Prælatorum, in 6.)

III. Quando Episcopus est excommunicatus aut suspensus, ac proinde sedes, ut loquuntur canonistæ, *interpretative* vacat, an jurisdictio Episcopalis devolvatur ad capitulum ? — « Respondeo negative, sed recurrendum ad Papam, ut is provideat. » (Leurenius, loco supra citato, quæst. 454.) Eamdem quæstionem fuse tractat Fagnanus (in I partem libri III Decret. cap. *Quia diversitatem*, de Concessione Præbendæ), cujus doctrinæ summa hæc est : « Hinc sumpta occasione quæro, an prælato excommu-
« nicato vel suspenso, jurisdictio ad capitulum devolvatur, adeo
« ut sit locus electioni vicarii generalis. Emersit nuper hæc
« quæstio... Re ad Sacram Congregationem Episcoporum et
« Regularium delata, consultus fui quid mihi juris esse videre-
« tur. Pro capitulo (*nempe contendente jurisdictionem ad se*
« *devolvi, excommunicato suo Prælato*) allegabatur Hostiensis
« (in summa, titulo *Ne sede vacante*), ubi ait, sedem vacare
« duobus modis : scilicet *vere*, ut in titulo *Ne sede vacante ;* et
« *interpretative*, ut quia Prælatus est hæreticus, excommunica-
« tus vel suspensus. » Addit Fagnanus quasdam alias rationes in favorem capituli ; tum sic disserit : « Sed his non obstantibus
« respondi, Prælato excommunicato vel suspenso, jurisdictionem
« non devolvi ad capitulum, sed Papam esse adeundum ut pro-
« videat. *Primo* enim expresse hoc voluit Hostiensis (in c. I, n. 8,

Digitized by Google

« *De officio vicarii*, l. VI), dicens *Episcopo excommunicato*, « *nec ejus officialem, nec alium posse jus reddere nisi Papam.* « Idem tenuit glossa (in prædictum c. I, *De officio vicarii*) : *Si* « *Episcopus est excommunicatus, nec ipse nec ipsius officialis* « *de causis cognoscent. Quid ergo tunc fiet? Adeatur Papa* « *ut provideat... Secundo*, hoc probat caput *Romana* (De sup- « plenda negligentia Prælat., in 6), ubi deciditur jurisdictionem « suffraganei excommunicati ad metropolitanum non devolvi; « et redditur ratio, *cum id non inveniatur a jure concessum.* « Si jurisdictio Prælati suspensi devoluta esset ad capitulum, « Papa non reddidisset eam rationem, quod jurisdictio non in- « veniatur metropolitano a jure concessa, sed potius reddidisset « aliam, nempe quod jurisdictio inveniatur a jure concessa al- « teri, scilicet capitulo. » *Tertio*, argumentatur Fagnanus a decretali Bonifacii VIII, *Si Episcopus a paganis...*, quam supra transcripsimus, in hunc sensum : Quando conceditur facultas in casu speciali, supponitur id quod conceditur non esse de jure, neque in hoc speciali casu, neque in similibus. « *Quarto*, sedes « æque vacat interpretative per excommunicationem vel suspen- « sionem Prælati, ac per ipsius inhabilitatem ; sed cum sedes « vacat interpretative per inhabilitatem Prælati, jurisdictio non « devolvitur ad capitulum, sed Papa providet dando illi coadju- « torem (*quod probat Fagnanus pluribus juris textibus*); ergo « nec devolvitur ad capitulum cum sedes vacat interpretative « per excommunicationem vel suspensionem ipsius Prælati. « *Quinto*, huic sententiæ suffragatur diuturna observantia, quæ « est optima legum interpres. Nam Episcopis propter delictum « vel inhabilitatem a jurisdictione suspensis, non administrat ca- « pitulum ; sed Sedes Apostolica consuevit constituere vicarios « Apostolicos. »

II

AN JURISDICTIO QUAM HABET CAPITULUM, SEDE VACANTE, TUNC TANTUM INCIPIAT IN CAPITULO EXISTERE QUANDO MORITUR EPISCOPUS, AN VERO JAM ANTEA HABITUALITER IN CAPITULO EXISTENS INCIPIAT SOLUMMODO IN ILLO CONSOLIDARI ET TRANSIRE AD ACTUM SEU EXERCITIUM

Dicit Cardinalis de Luca (Annotationes practicæ, discursu 31, in fine tomi XIV) juridictionem atque ecclesiæ administrationem

Digitized by Google

ad capitulum devolvi, « non quidem ex aliquo privilegio vel « speciali delegatione, sed ex ratione juris non decrescendi ; eo « quia ecclesia cathedralis efformatur conjunctim Episcopo et ca- « pitulo, ab illo scilicet tanquam capite, ab isto autem tanquam « reliquo corpore ; ecclesiastica jurisdictione penes totum corpus « habitualiter residente, exercitio autem in plerisque competente « capiti.

« Consequenter, defecto capite, jure consolidationis, vel ex « jure non decrescendi, universa jurisdictio, seu totum jus ca- « thedraticum, tam in habitu quam in exercitio, remanet penes « capitulum tanquam reliquum corpus politicum seu intellec- « tuale ; quod in hoc differt a corpore naturali seu materiali, ut « etiam sine capite vivat omnesque faciat operationes, quod in « corpore naturali non datur. »

Eadem est Leurenii doctrina : « Respondeo cum Carolo Anto- « nio de Luca (ad Ventrig., annot. 15, § 2, n. 1), deficiente ca- « pite mortuo, nimirum Episcopo, universam jurisdictionem « tam in habitu quam in exercitio, remanere penes capitulum « tanquam reliquum corpus politicum seu intellectuale ; quod « in hoc differt a corpore naturali, ut etiam sine capite vivat, « omnesque faciat operationes » (loco citato, quæst. 455). Cæterum subtilis illa investigatio, etsi juvet ad plenius intelligendam capitulorum cathedralium naturam et intimam juxta mentem Ecclesiæ constitutionem, quoad praxim tamen omnino evadit inutilis ; cum illa jurisdictio quæ dicitur capitulo permanenter inhærens in habitu, et ipsi competens conjunctim cum Episcopo, nullos valeat ante mortem Episcopi valide actus explicare. Unde quoad effectum perinde se habet ac si omnino, sede vacante, existere inciperet.

CAPUT III

CERTUM EST, SEDE VACANTE, JUS ADMINISTRANDÆ DIŒCESIS DEVOLVI AD CAPITULUM

Decretalis Bonifacii VIII : *Si Episcopus a paganis aut schismaticis capiatur, non Archiepiscopus, sed capitulum, ac si sedes per mortem vacaret illius, in spiritualibus et temporali-*

Digitized by Google

bus ministrare debebit (c. Si Episcopus, *De supplenda negl. Præl.* in 6). Illa verba *ac si sedes per mortem vacaret*, clare docent ad capitulum pertinere, et quidem ex jure communi jam antea vigente, administrationem diœcesis, mortuo Episcopo.

Idem supponit hæc alia ejusdem Pontificis decretalis: *Ecclesiæ cathedrali vacante, visitator ab alio quam a Romano Pontifice deputari non potest : nisi forte capitulum in spiritualibus et temporalibus negligenter aut perperam administret* (c. Ecclesiæ, *De supplenda neglig. præl.*, in 6).

Idem ut certum supponit Tridentinum concilium (sess. 7, c. 10) : *Non liceat capitulis ecclesiarum, sede vacante, infra annum a die vacationis ordinandi licentiam concedere.* Ubi certe supponit capitula jurisdictionem habere, cum illam pro casu particulari restringat per primi anni spatium.

Item in capite 16, sessionis 24, dum sancta synodus præscribit constituendum infra octo dies a capitulo vicarium, vel existentem confirmandum, eo ipso æquivalenter declarat jurisdictionem in capitulo, sede vacante, residere, et ab ipso posse exerceri primis octo diebus.

Jus ergo illud succedendi Episcopo in jurisdictione, toto tempore quo vacat sedes, antiquissimum est : nec illud *invexit* Tridentinum, sed tantum ex parte restringi voluit. Dum enim antea poterat capitulum per se ipsum diœcesim administrare, sapienter ad vitandas capitularium in deliberando conflictationes decrevit, ut jam non ei ultra 8 dies exercitium jurisdictionis permitteretur, sed ad illam per vicarium capitulariter deputatum exercendam, post dictum 8 dierum terminum, teneretur.

Nulla autem existit inter doctores circa generalem illam thesim controversia. Unum ergo inter alios, ut evolvatur potius quam ut probetur præsens caput, citare satis erit.

« Ad capitulum cathedrale, sede vacante sive per mortem, « sive per renunciationem, translationem aut depositionem « Episcopi, pertinet jus administrationis et jurisdictio. Gerit « enim capitulum tale vices Episcopi, et succedit in jurisdic- « tione Episcopali, eaque ad illud devolvitur. Unde dicitur suc- « cessor Episcopi, quia jurisdictionem Episcopalem tanquam « ejus successor habet. Et hinc jam dicitur idem et unum esse « cum Episcopo; cum antecessor et successor pro una persona

Digitized by Google

« reputentur. Porro jus illud administrationis ei auferri nequit « per metropolitanum absque causa necessitatis; qua tamen « necessitate id postulante, jura dant Archiepiscopo hanc po- « testatem. Papa vero, ob plenitudinem potestatis suæ, adminis- « tratorem deputare potest; sed non solet, si capitulum nihil « deliquerit... Administratio et jurisdictio Episcopalis transit « quoque ad capitulum dum ecclesia *quasi vacat;* nimirum « dum Episcopus ab hostibus aut paganis captus est... Item « quando Episcopus degit in remotis, et vicarius illius relictus « in diœcesi moritur absque alia Episcopi provisione. Dici- « tur autem Episcopus esse in remotis, quando ejus præsentia « brevi haberi nequit. » Ita Leurenius (in sæpe citando tractatu, *Decapitulo*, sede vacante, c. 1, quæst. 447), qui singula fere hæc asserta auctoritatibus firmat.

CAPUT IV

A QUO TEMPORE JURISDICTIO EPISCOPALIS TRANSEAT IN CAPITULUM; A QUO TEMPORE CAPITULO LICEAT ILLAM EXERCERE, ET A QUO TEMPORE CURRERE INCIPIANT OCTO DIES AD DEPUTANDUM VICARIUM CAPITULAREM

Ex proposito hæc tria distinguimus, ut illa non parvi momenti quæstio plene dignoscatur et in praxi errores vitentur.

I. Ad determinandum momentum quo jurisdictio transit ad capitulum, et momentum quo licitum sit capitulo illam exercere, percurrendi sunt varii casus.

In casu mortis, statim ac decessit Episcopus, jurisdictio est penes capitulum, etiamsi capitulares adhuc ignorent aut non certo cognoscant sui Præsulis decessum. Jurisdictio enim in diœcesi non cessat etiam minimo momento existere; quia cum jam in habitu extet in capitulo, sede plena, ex habituali transit in actualem hoc ipso momento quo ab Episcopo e vita migrante recedit. Inde autem non sequitur posse capitulum illam exercere ante certam de obitu Episcopi notitiam; sed tenetur notitiam illam certam expectare. Si tamen ex probabiliter tantum cognita morte Episcopi jurisdictionem exerceret capitulum, culpabiliter quidem ageret, sed valeret actus si revera eo momento quo exer-

Digitized by Google

cuit obierat jam Præsul ; quia illo momento jurisdictionem vere obtinebant capitulares.

In casu autem translationis, licet ipso momento quo Episcopus in consistorio solutus a vinculo prioris ecclesiæ declaratus est, aliquid de sua potestate circa beneficialia amittat (ut explanatur alibi), etiam ante omnem translationis notitiam; jurisdictionalia tamen ordinaria intacta servat donec certam notitiam acceperit. Ad istam autem certam notitiam non requiritur ut litteras Apostolicas receperit, sed sufficit ad eum pervenissre testimonium secretarii sacri collegii. Unde statim ac illud aut æquivalens testimonium accepit Episcopus, jam idem evenit pro diœcesi ac si mortuus esset. Jurisdictio proinde ex hoc momento jam transit ad capitulum ; sed capitulum antequam illam exerceat, debet expectare notitiam certam de notitia certa translationis ad Episcopum perlata : fieri enim posset, Episcopo verbi gratia in longinquo agente, ut aliquod interflueret temporis intervallum, antequam prædicta notitia ab Episcopo transmitteretur capitularibus. Si vero (quod Deus avertat!) certior de sua translatione factus aliquis Episcopus, pergeret administrare, non monito capitulo, et hoc aliunde certo scirent capitulares, deberent ipsi statim administrationem assumere, et Episcopum omni potestate destitutum declarare.

In casu depositionis, jurisdictio transit ad capitulum statim ac pronunciata est depositionis sententia : jurisdictionemque illam licebit capitulo exercere statim ac notitiam certam de prædicta sententia acceperit.

In casu Episcopi in notoriam hæresim lapsi, idem dicendum ac de casu mortis; statim scilicet a prolata judicis sententia qua Episcopus hæreticus declaratur, jurisdictio remanet penes capitulum.

In casu Episcopi ab hæreticis capti aut alio impedimento detenti, ita ut jam impossibile sit ipsi per seipsum aut per vicarios a se nominatos diœcesim administrare, jurisdictio incipit devolvi ad capitulum statim ac incipit prædictum impedimentum; et capitulares illam licite exercebunt statim ac aliquo modo certam scientiam de tali impedimento acquisiverint.

II. Ad quæstionem, a quo tempore currere incipiant octo dies ad deputandum vicarium capitularem, sic respondet Leurenius :

Digitized by Google

« Currere incipit dictum tempus a die scientiæ mortis, vel trans-
« lationis Episcopi ad aliam ecclesiam (Diana, p. 8, tract. 4,
« resol. 55. — Barbosa, *De canonicis*, c. 25, n. 32) : ubi etiam,
« quod hæc scientia debeat esse certa et non sufficiat præsum-
« pta... Currit hic terminus a die quo innotuit capitulo Episco-
« pum fuisse per Papam in consistorio absolutum a vinculo
« prioris ecclesiæ, etiam necdum capta possessione, quin et
« litteris necdum expeditis. Ab eo enim tempore vacat prior
« Episcopatus ; adeoque postquam hujusmodi absolutionis noti-
« tiam habuerit Episcopus translatus, etiam ex testimonio seu
« documento secretarii solum sacri collegii, illico tenetur absti-
« nere ab exercitio ordinariæ jurisdictionis, eaque transit in
« capitulum ; idque statim ea uti potest et debet, sedemque va-
« cantem publicare. » (Leurenius, *Tract. de capitulo, sede vac.*, c. 4, quæst. 543.)

Quoad casum in quo translatio facta fuisset sub conditione quod consentiat Episcopus, sic habet modo citatus auctor : « Mox ut is (consensus) innotuit capitulo, etiam ante captam « possessionem novi Episcopatus, capitulum potest eligere vica-« rium. Eo ipso enim, ut decidit Sacra Congregatio (14 decem-« bris 1624) amisit translatus jura primi Episcopatus a cujus « vinculo fuit absolutus. Si autem potuit (capitulum) ab illo « momento innotescentis sibi consensus eligere vicarium, inci-« pit illi currere ab eodem momento terminus ille octo dierum. » (Loco citato.)

Item Benedictus XIV bene advertit octo dies currere, non semper ab inducta vacatione sedis, sed ab habita vacationis notitia : « Tenetur capitulum intra octo dies post mortem Episcopi aut « aliter inductam ecclesiæ vacationem, seu verius ab habita va-« cationis notitia, uti decisum refert Quaranta (in summa bull., « verbo *Capitulum, sede vacante*) vicarium constituere, per « quem jurisdictionem ad se devolutam exerceat. » (*De syn. diœc.*, l. 2, c. 9, n. 2.)

Digitized by Google

tentem defuncti Episcopi vicarium confirmari. Cum ergo ita sanxerint, jus favens Archidiacono et Archipresbytero, si quod extabat, certissime abstulerunt. Hodie autem pro nihilo habetur prædicta opinio; quæ præterea cadit ex eo quod jam a multo tempore non existant Archidiaconi et Archipresbyteri proprie dicti.

CAPUT VII

AN HODIE ADHUC URGEAT PRÆCEPTUM TRIDENTINUM DEPUTANDI ŒCONOMUM PRO TEMPORALIUM BONORUM ADMINISTRATIONE?

Quoad deputationem œconomi, a capitulo peragendam, advertit Cardinalis de Luca (*Annotationes practicæ*, disc. 31, in fine tomi XIV) illam raro habere locum, quia in diœcesibus ubi fructus pro tempore vacationis reservantur Cameræ Apostolicæ, prout in Italia, œconomus deputatur per collectorem cameræ; et ubi collector Apostolicus se non ingerit, plerumque, sive ratione regiæ nominationis, sive ratione consuetudinis, non a capitulo, sed ab ipso rege vel ejus officialibus, juxta præscriptum concessionum Apostolicarum, deputatur qui tempore vacationis administret bona mensæ Episcopalis. In statu autem præsenti ecclesiarum Galliæ, mensa Episcopalis tota fere consistit in pensione a Gubernio et quodam supplemento quod aliquando provincia addit; solutio autem illius pensionis et supplementi, vacante sede, suspenditur. Ubi vero aliqua remanserunt bona ecclesiastica mensæ Episcopali attributa, ex aliquibus ordinationibus potestatis civilis (de quibus alibi agimus) deputatur ab eadem potestate civili administrator. Et hæc quidem decreta civilia, utpote post concordatum absque assensu Sedis Apostolicæ lata, ex se sunt irrita et nullatenus obligatoria; cum tamen ex necessitate ipsis parendum sit, sequitur inutilem fore deputationem œconomi a concilio Tridentino præscriptam. Non ergo tenentur capitula Galliæ hujusmodi œconomum, sede vacante, eligere, sed sufficit ab ipsis deputari vicarium capitularem.

Digitized by Google

CAPUT VIII

AN CAPITULUM PLURES POSSIT DEPUTARE VICARIOS?

§ 1

RES FUIT ALIQUATENUS INTER AUCTORES CONTROVERSA

Hanc quæstionem ex professo tractat Leurenius (loco cit., quæst. 547), atque ejus doctrinæ hæc summa est : 1° Ante concilium Tridentinum poterat capitulum plures vicarios æque principales deputare. 2° Etiam post Tridentinam synodum possunt constitui plures vicarii capitulares in diœcesibus ubi talis vigeret consuetudo, modo illa consuetudo *probetur immemorabilis*. 3° « Hodiedum tamen post Tridentinum, independenter a tali « consuetudine, non potest capitulum deputare nisi unum vica- « rium capitularem (*ibi Leurenius citat plures canonistas idem « affirmantes, et inter alios Novarium qui testatur sic deter- « minasse Sacram Congregationem concilii*) : loquitur enim « concilium Tridentinum (sess. 24, c. 16) in singulari, et in- « jungit capitulo ut, sede vacante, deputet œconomum unum « *vel plures*, et eligat officialem seu vicarium ; atque ita, ubi « facit mentionem de electione vicarii, non repetit illam dictio- « nem *vel plures*.

4° « Nihilominus plures, nulla facta mentione consuetudinis « adeoque etiam independenter ab hac, capitulum posse depu- « tare tenent Sbrozius (l. 1, q. 50 et 60, n. 3), Garcia (n. 5, c. 7, « n. 36),... item Molina (*De justitia*, tract. 5, d. 11, n. 1). « Aitque Garcia sic videri sentire Sacram Congregationem ; et « concilium loqui quidem in singulari, quia regulariter non « solet poni nisi unus vicarius ; non tamen tollere quod plures « esse possent vicarii ; et dispositionem loquentem de uno, lo- « cum habere in pluribus quando eadem est ratio in illis ; de- « clarationem vero Sacræ Congregationis quæ in contrarium « adducitur, loqui in casu quando capitulum volebat unum « ponere, et in controversia fuerunt plures assumpti quam « duo. »

Ex illa citatione et aliis similibus quæ addi possent, constat

Digitized by Google

non unanimes fuisse in hac materia antiquos doctores, licet præcipua eorum pars tenuerit non posse eligi plures vicarios capitulares, nisi extante in contrarium consuetudine immemorabili. Nec mirum, cum verba decreti Tridentini non ita clare rem definiant, ut non possit esse disputationi locus, et aliunde prædicti auctores ignoravèrint, aut saltem non apprime cognoverint tum Breve exponi nobis Urbani VIII, tum plures decisiones Congregationis concilii; eo quod tunc temporis hujusmodi monumenta nondum fuissent accurate vulgata.

§ 2

OMNINO TENENDUM EST UNUM TANTUM ELIGI POSSE VICARIUM CAPITULAREM, EXCEPTO CASU CONSUETUDINIS CONTRARIÆ LEGITIME PRÆSCRIPTÆ

Quando legis alicujus Tridentinæ sensus aliquatenus dubius est et in controversiam adducitur, si eum declaret et determinet Sacra Congregatio concilii, jam quoad praxim certus evadit. Congregatio enim illa pollet Pontificia auctoritate ad hujusmodi solvenda juris dubia. Porro si Summus Pontifex auctoritate Apostolica declararet talem legem Tridentinam esse tali *sensu* intelligendam et servandam, procul dubio lex illa juxta sensum sic declaratum obligaret. Eodem ergo modo obligabunt declaraitones S. Congregationis concilii, cum eas suas faciant Romani Pontifices, atque in hunc finem Apostolica auctoritate dictam Congregationem muniverint. Unde si reperiamus a Sacra Congregatione concilii expresse decisum et declaratum hunc esse decreti Tridentini sensum, ut non possit, sede vacante, eligi nisi unus vicarius capitularis, excepto casu legitime præscriptæ in contrarium consuetudinis, jam causa finita erit, atque omnis cessare debebit controversia. Decisum autem ita fuisse a memorata Congregatione certum est, et per totum orbem plenissime notum, ob vulgatas a canonistis fide dignis hujusmodi declarationes. Aliquas tantum referemus.

1° Decisio diei 21 aprilis 1592, in causa Panormitana. — *Congregatio concilii censuit, ex decreto concilii* (1) *capite* 16 *sessionis* 24, *a capitulo, sede vacante, unum tantum vica-*

(1) Nempe Tridentini.

Digitized by Google

rium esse eligendum. Cœterum non esse eo decreto sublatam consuetudinem duos aut plures eligendi, præsertim immemorabilem.

Illam decisionem a canonistis memoratam, pro rei gravitate, volui meis ipse oculis in regesto authentico videre. Adivi libros manuscriptos Decretorum, qui nunquam editi sunt, etqui in archivio Sacræ Congregationis concilii asservantur; atque illam inveni in libro VII Decretorum, folio 39, a tergo, cum hac rubrica in margine : *Panormitana — cap.* 16 *sess.* 24 *De reformatione;* atque inde eam accurate transcripsi.

2° Decisio diei 19 martii 1639, in causa Dertusensi. — *Sacra Congregatio censuit dandas esse declarationes antiquas tenoris sequentis: in una Panormitana, die* 21 *aprilis* 1592, *Sacra Congregatio censuit ex decreto ejusdem S. Concilii cap.* 16, *sess.* 24, *De reform., à capitulo, sede vacante, unum tantum vicarium esse eligendum: cœterum non esse eo decreto sublatam consuetudinem duos aut plures eligendi præsertim immemorabilem.*

Eam pariter declarationem ego ipse transcripsi ex authentico manuscripto libro XVI Decretorum, folio 168. Præfert autem hanc rubricam in margine : *Dertusensis, deputationis vicariorum, cap.* 16 *sess.* 24, *De reformatione.* Ideoque testari possum eam accurate relatam fuisse a Scarfantonio (*De canonicis*, tom. II, p. 156, editio Lucæ, 1723).

3° Decisio præcitatis antiquior ad capitulum Tarentinum missa. — De illa testatur Fagnanus (in cap. *His quæ*, De majoritate et obed., n. 68). Auctor enim ille, postquam advertit ante concilium Tridentinum potuisse eligi duos vicarios capitulares, post concilium vero posse unum tantum constitui, nisi extet in contrarium consuetudo immemorabilis, sic addit : « Ut fuit « sæpius resolutum : et in specie, cum capitulum Tarentinum, « consuetum a tempore immemorabili duos eligere, petiisset de- « clarari numquid post concilium idem ei liceret : Sacra Con- « gregatio concilii censuit unum tantum vicarium eligi posse, « ex quo concilium (sess. 24, c. 16) injunxit capitulo ut deputet, « sede vacante, œconomum unum vel plures, et eligat officialem « seu vicarium : et ita ubi facit mentionem de vicarii electione « non repetit illam dictionem *plures*. Verumtamen cum allegetur

Digitized by Google

« immemorabilis, agendum cum Sanctissimo, an eam velit sub-
« latam. Sanctissimus respondit consuetudinem immemorabi-
« lem, si legetime probetur, non esse sublatam a concilio; ideo-
« que permittendum esse ut juxta eam duo vicarii eligantur,
« cum illis tamen qualitatibus quas ipsum concilium requirit.
« Unde postea in causa Panormitana proposito dubio, an capi-
« tulum, sede vacante, duos vicarios constituere possit, ut al-
« ternis mensibus vicariatus munere fungantur, præsertim si
« ita ab immemorabili tempore consueverit : die 20 junii
« 1589 (1), Sacra Congregatio censuit, si legitime probetur con-
« suetudo immemorabilis deligendi hujusmodi vicarios, posse
« utique capitulum in ea perseverare; dum tamen præditi sint
« illis qualitatibus quas Tridentinum concilium requirit
« (sess. 24, c. 16). »

Tribus ergo prædictis decisionibus abunde constat a Sacra Congregatione concilii sublatam esse omnem circa decretum Tridentinum ambiguitatem, et ita illud decretum esse intelligendum ut unus tantum vicarius capitularis deputari possit, excepto casu contrariæ et legitime præscriptæ consuetudinis. Neque dici potest declarationes illas restringi debere ad circumstantias particulares ecclesiarum quæ casum solvendum poscebant : versantur enim expresse circa sensum legis Tridentinæ, et quemnam sensum habeat textus hujus legis in se consideratus aperte determinant. In confirmationem adduci potest alia decisio, licet in casu tantisper diverso edita, et per Breve pontificium confirmata.

4° Decisio diei 31 maii 1625, in causa Limana. *Sacra Congregatio ad primum censuit, circumscripta contraria consuetudine legitime præscripta, nequaquam licuisse capitulo, sede vacante, duos vicarios ut supra constituere. Ad secundum, debuisse necessario eligi unum ex graduatis in jure canonico.* Hanc etiam declarationem ego ipse accurate transcripsi ex authentico manuscripto libro XII Decretorum, folio 294, a tergo. Casus autem pro quo edita est, integre refertur in Brevi *Exponi*

(1) Est mendum typographicum, et legendum 21 *aprilis* 1592. Loquitur enim procul dubio Fagnanus de supra relata decisione in causa Panormitana; cum præsertim in libris decretorum nulla occurrat hujusmodi causa Panormitana in toto mense junii anni 1589.

Digitized by Google

nobis quo eam Urbanus VIII confirmavit, hoc modo : « Exponi « nobis fecit venerabilis frater modernus Episcopus de Are- « quippa, ecclesiæ Limanæ suffraganeus, quod nuper a venera- « bilibus fratribus nostris sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus, « sacri concilii Tridentini interpretibus, emanavit decretum « tenoris subsequentis, videlicet : *Illustrissimi et reverendis-* « *simi domini, cum in Indiis occidentalibus vacasset sedes* « *archiepiscopalis de Lima, capitulum elegit unum vicarium* « *seu officialem quoad causas et negotia diœcesis : sed quoad* « *causas appellationum quæ ad ipsam sedem metropolitanam* « *devolverentur, elegit in judicem particularem Joannem Ve-* « *lasquez, sacræ theologiæ doctorem, cum tamen in capitulo* « *adessent plures alii doctores in jure canonico. De cujus elec-* « *tionis validitate cum dubitet Episcopus de Arequippa suf-* « *fraganeus dictæ sedis metropolitanæ, recurrit ad Sacram* « *Congregationem, petendo declarationem duorum dubiorum.* « *Primo, an sit satisfactum dispositioni concilii* (*sess.* 24, « *c.* 16), *ita ut licuerit capitulo dividere cognitionem causarum* « *eligendo duos vicarios, unum scilicet quoad causas diœcesis,* « *alium vero quoad causas provinciæ? Secundo, an potuerit ca-* « *pitulum eligere dictum Joannem Velasquez, graduatum in* « *theologia, cum tamen adessent alii doctores in jure canonico?* « — *Sacra Congregatio : Ad primum censuit, circumscripta* « *contraria consuetudine legitime præscripta, nequaquam* « *licuisse capitulo, sede vacante, duos vicarios ut supra consti-* « *tuere. Ad secundum, debuisse necessario eligi unum ex gra-* « *duatis in jure canonico — S. card. S. Susannæ. — Prosper* « *Fagnanus — loco sigilli.* Cum autem dictus modernus Epi- « scopus plurimum cupiat decretum hujusmodi pro firmiori « illius subsistentia Apostolicæ nostræ confirmationis robore « communiri,... ideo Nos... decretum præinsertum hujusmodi « Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approba- « mus et confirmamus... ; decernentes ab omnibus ad quos « spectat et in futurum spectabit inviolabiliter observari..., ac « irritum et inane si secus scienter vel ignoranter contigerit « attentari... Datum Romæ, die 8 augusti 1625. » (Bullarium « Romanum, tomi V parte v, pagina 353.)

Objicere quidem posset aliquis ideo illegitime egisse capitulum

Digitized by Google

Limanum, quia jurisdictionem inter vicarios capitulares diviserat, non vero præcise ex eo quod duos deputasset. At inanis est illa objectio. Quærebatur enim utrum Tridentinam sanctionem violassent canonici Limani. Tridentinum autem decretum de divisione jurisdictionis omnino silet. Dum ergo declaratur violatam fuisse Tridentinam sanctionem, ideo profecto quia duos vicarios capitulares constituerant, cum Tridentina synodus de uno constituendo loquatur. Et cæteroquin si liceret plures deputare, non tantum simul liceret, sed et deceret dividi inter eos jurisdictionem. Ergo bulla Urbani VIII haberi etiam debet tanquam decisiva præsentis quæstionis solutio.

Auctoritati S. Congregationis concilii accessit canonistarum consensio. Post cognitas enim illius tribunalis declarationes, doctorum in eumdem sensum sententia evasit communis. Derelinquendi ergo omnino sunt pauci antiqui canonistæ qui olim contrarium docuerant.

« Eligi debet (ait Giraldi, *Expositio juris Pontificii*, pagina 127, edit. Romæ, 1829) unus vicarius ; et non plures (nisi quoad electionem plurium vigeret immemorabilis consuetudo) ; non ad tempus duraturus, sed pro toto tempore vacationis ; cum jurisdictione, non cumulativa, sed privativa ; nec removendus, nisi causa cognita ab eadem Sacra Congregatione ; et in casu absentiæ, ipse, non capitulum, alium loco sui deputare potest. »

« Unum tantum vicarium generalem (ait Monacelli, formu-
« larium, titulo 1, form. 2, adnot. 13) deputare potest capitu-
« lum et non plures, nisi adesset in loco immemorabilis consue-
« tudo eligendiduos, vel essent duo Episcopatus uniti et unus-
« quisque haberet suum capitulum et ecclesiam cathedralem. »

Idem tradit Ferraris, tres allegans decisiones Sacræ Congregationis Episc. et reg. : « Capitulum, inquit, non potest eligere « in vicarium capitularem nisi unum tantum ; et si eligat plures, « electio devolvitur ad Metropolitanum » (verbo *Capitulum*, articulo 3, n. 40).

Posset certe capitulum legem Tridentinam eludere, si ipsi liceret de jure communi plures eligere vicarios capitulares. Si enim possit eligere duos, quidni tres ? Et si tres, quidni quatuor ? et sic deinceps donec ad numerum ipsum membrorum capituli deveniatur, ita ut omnes capitulares constituantur vicarii capi-

Digitized by Google

tulares, quod idem erit ac nullum constitui? Unde mens ipsa et scopus Tridentinæ legis quæ unitati regiminis consulere voluit, ac solitas multorum deliberantium scissiones præcavere, innuit unum tantum eligendum, nec parum firmat allatas probationes.

§ 3

QUÆNAM DEBEAT ESSE CONSUETUDO UT LICEAT CAPITULO PLURES DEPUTARE VICARIOS

Affirmant Fagnanus et Cardinalis de Luca, cum non paucis aliis, consuetudinem illam debere esse et probari *immemorabilem*. Id tamen non videtur nobis certum, cum in decisione supra citata anni 1639 habeatur, non esse sublatam consuetudinem *præsertim* immemorabilem. Videretur ergo potius dicendum sufficere consuetudinem ordinariis illis conditionibus vestitam, quæ sufficiunt ad præcribendum contra legem aliquam universalem Ecclesiæ.

§ 4

QUANDO EXTRA CASUM LEGITIMÆ CONSUETUDINIS, CAPITULUM PLURES ELIGIT VICARIOS CAPITULARES, ELECTIO NON EST TANTUM ILLICITA, NEC TANTUM INVALIDA QUOAD CÆTEROS PRÆTER PRIMUM NOMINATUM, SED EST OMNINO IRRITA, ITA UT TUNC ELECTIO AD METROPOLITANUM DEVOLVATUR

I. Id docet Ferraris expressis terminis, tres allegans decisiones sacræ Congregationis Episcoporum et regularium :

« Capitulum, inquit, non potest eligere in vicarium capitula-« rem nisi unum tantum; et si eligat plures, electio devolvitur ad « Metropolitanum. Sacra Congregatio Episcoporum, in *Cassa-« nensi,* 6 Augusti 1569; in *Bobiensi*, 12 martii 1607; et in « *Potentina*, 30 augusti 1641 » (verbo *Capitulum*, articulo 3, n. 40.) Iterum hac de re disserens sub verbo *Vicarius capitularis*, n. 16, sic habet : « Capitulum non potest eligere in vicarium « capitularem nisi unum tantum; et, si eligat plures, electio de-« volvitur ad Metropolitanum. Si tamen plures successive eligit, « primo electus debet continuare, dummodo habeat requisita. »

II. Idem concludendum venit ex ipso textu Tridentino, quem vide citatum supra, capite 6. Ibi enim dicitur constituendum esse

Digitized by Google

vicarium infra octo dies; et postea sic decernitur : Si *secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur.* Aliunde autem, ut probavimus, sensus est, constituendum esse *unum* dumtaxat vicarium; ita nempe intelligendam esse legem istam Tridentinam, hodie omnino certum est ex Sacrarum Congregationum auctoritate et praxi. Ergo inter alia quæ ibi præcipit synodus, et in quæ cadit phrasis *si secus factum fuerit*, computandum est etiam præceptum de eligendo *unico* dumtaxat vicario. Proinde si *plures* eligantur, fit *secus* ac quod præcipitur. Casu autem quo fit *secus*, id est, casu quo deputatio *aliter* fit quam ibi præcipitur, omnino decernit synodus electionem ad *Metropolitanum devolvi;* annullatque proinde ac irritat capituli electionem. Tria scilicet ibi præcipit Tridentina synodus : 1° ut eligatur *unicus* vicarius capitularis; 2° ut eligatur infra *octo dies;* 3° ut eligatur *doctor* in jure canonico, vel alias quantum fieri poterit idoneus. Et relative ad unumquodque ex istis tribus dicit : *Si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur* (1). Ergo si plures eligantur, irrita censenda est electio.

Hinc quando una eademque electione deputantur plures vicarii capitulares, non tantum cæteri præter primum nominatum, sed etiam ille qui primus nominatur omni potestate caret. Quia nempe talis electio ex ipsa lege nulla est atque irrita. Aliter dicendum (cum Lucio Ferraris) si forte capitulum, facta jam et completa electione unius vicarii capitularis, attentaret postea novam electionem celebrare, qua secundum tertium ve vicarium deputaret. Cum enim per primam electionem canonice factam tota capituli potestas exhausta fuerit, supervenientes istæ novæ electiones pro inani tentamine habendæ forent, nec de iis curare deberet Vicarius capitularis primo electus. Alii autem postmodum a capitulo deputati, si quam exercere jurisdictionem attentarent, tanquam intrusi a vero vicario capitulari judicandi ac puniendi forent.

(1) Censet Pignatelli (tomo VIII, consultatione 34), et cum eo Eminentissimus Cardinalis d'Andrea, electionem non devolvi ad Metropolitanum, quando nullitas provenit ex eo quod canonici deputaverint non graduatum; canonicis tunc assignandum a Metropolitano octo dierum terminum ad novam peragendam electionem. De quo vide quæ scripsi in publicatione *Revue des sciences ecclésiastiques,* maii 1862, p. 452.

Digitized by Google

§ 5

AN HODIE IN GALLIA LICITE AC VALIDE PLURES VICARII CAPITULARES DEPUTARI VALEANT

Propositio 1ª. — *Plures vicarios capitulares deputandi praxis, nisi a tempore concordati anni* 1802 *legitime præscripserit, censenda non est licita nec valida.* — Nam hodiernæ Galliarum diœceses non sunt antiquæ diœceses *continuatæ* aut *restitutæ;* sed sunt diœceses noviter erectæ ac creatæ, suppressis omnino ac extinctis prioribus. Atque idem dicendum de cathedralibus capitulis. Antiqua scilicet penitus extincta sunt ac suppressa; et quæ nunc extant non sunt illa ipsa priora capitula *continuata* aut *restituta ;* sed sunt nova capitula, post concordatum anni 1802 erecta, suppressis jam et extinctis auctoritate Pontificia prioribus. Suppressit autem Pius VII dictas diœceses ac cathedralia capitula cum omnibus singulorum juribus ac privilegiis. Ergo tunc extinctum fuit quodcumque particulare jus, ejusmodi antiquis capitulis ex legitime præscripta consuetudine inhærens. Ergo si quæ Galliæ capitula jus olim habuerint, ex legitima consuetudine, plures vicarios capitulares deputandi, jus illud tunc suppressum et extinctum fuit. Aliunde autem nullo decreto Pontificio nova Galliæ capitula facultate ista, juri communi contraria, donata sunt. Ergo, nisi facultatem hanc sibi acquisiverint per viam consuetudinis, a tempore concordati legitime præscriptæ, nullatenus eam hodie sibi vindicare possunt. Plurium autem vicariorum electio, secluso casu legitimæ consuetudinis, illicita est ac invalida, prout superiori paragrapho probatum est.

Propositio 2ª. — *Dicta praxis plures vicarios capitulares deputandi, non videtur a tempore concordati contra jus commune legitime præscripsisse.* — Agitur enim hic de consuetudine *per actus repetitos* inducenda. Porro ut hujusce speciei consuetudo legitime contra jus præscribat, non sufficiunt *pauci* actus, sed requiruntur *multi*. Haud facile quidem est rigorose determinare quot præcise numero requirantur actus, nec de hoc una est doctorum sententia. Ast quoad praxim de qua hic agimus, adeo pauci sunt, ut censeri nequeant legitimam constituisse contra

Digitized by Google

jus commune consuetudinem. Nam in diœcesi Atrebatensi verbi gratia, *unica* tantum contigit, a tempore concordati, sedis vacatio, ac proinde capitularis vicariorum deputatio : in Cameracensi *duæ :* in reliquis haud multo plures. Quis autem dixerit singula Galliæ capitula tam paucis repetitis actibus, contra legem communem de unico dumtaxat deputando vicario, legitime præscripsisse?

Nec objicias, *conjunctim* computandas esse omnes quæ in tota Gallia contigere hujusmodi vicariorum capitularium deputationes, et sic reperiri plus quam sufficientem numerum. — Nam hic agitur de privilegio, quod potest uni capitulo per viam legitimæ præscriptionis acquiri, quin acquiratur ab alio ejusdem regni, immo ejusdem provinciæ ecclesiasticæ capitulo. Supponamus dimidiam partem diœcesum Galliæ a jure communi, in certis materiis præscriptibilibus, nunquam recessisse; in alia vero dimidia parte inductam esse consuetudinem juri communi contrariam, et ad legitime præscribendum sufficientem : quis dixerit, priores diœceses legitime contra jus commune, a quo nunquam recesserunt, præscripsisse, eo quod aliæ diœceses legitime præscripserint? Enimvero Galliarum diœceses ac provinciæ ecclesiasticæ prorsus sunt ab invicem independentes, nec *conflant* communitatem, quæ nomine omnium diœceseon agat, et omnibus eadem privilegia per viam præscriptionis acquirat. Figmentum est persona illa moralis ex omnibus Galliæ diœcesibus conflata, quæ singularum nomine contra jus commune præscribere valeat. Igitur ad dignoscendum an aliquod Galliæ capitulum contra legem de unico deputando vicario capitulari legitime præscripserit, computandi sunt soli actus illius capituli, non autem cæterorum simul capitulorum. Qui actus, cum numero sufficientes non reperiantur quoad unumquodque capitulum seorsim sumptum, colligendum est nullibi in Gallia legitimam evasisse plures vicarios capitulares deputandi consuetudinem. Præterea, ubi agitur de Tridentinis decretis, legitimæ præscriptioni obstat Romanarum congregationum stylus seu praxis. Constanter nempe decisionibus suis inductas contra Tridentina decreta consuetudines reprobant et illegitimas declarant. Quæ praxis est quasi perpetua Sedis Apostolicæ reclamatio contra ejusmodi consuetudines Tridentinis legibus contrarias. Unde merito supponi

Digitized by Google

nequit Romani Pontificis consensus ad præscribendum necessarius.

Propositio 3ª. — *Dictam capitulorum Galliæ praxim plures vicarios capitulares deputandi legitimam non esse, colligitur ex recenti decisione Sacræ Congregationis concilii.* — Prodiit decisio illa occasione visitationis *ad limina* Eminentissimi Cardinalis Gousset, Remensis Archiepiscopi, diei 15 decembris 1857. Nimirum in sua relatione asserebat laudatus Cardinalis, consuevisse Remense capitulum plures vicarios capitulares sede vacante deputare. Quam consuetudinem quoad omnes Galliæ diœceses legitimam tunc temporis idem Prælatus reputabat; imo eam legitimam declarari procuraverat in provinciæ suæ concilio anni 1849. Porro ad hunc dictæ relationis locum, Sacræ Congregationis concilii nomine rescripsit Eminentissimus Cardinalis Cagiano die 14 julii 1858, in hunc modum : *Quod innuis, istic* (*sede vacante*) *tres vicarios capitulares eligi solere, animadvertunt eminentissimi Patres, capitula cathedralium, infra octo dies post obitum Episcopi, unum dumtaxat* (*ex capite* 16 *sessionis* 24, *De reformatione*) *vicarium capitularem, non autem duos vel plures deputare debere, quemadmodum de vicariis generalibus agere licitum est. Hæc porro pluries declaravit sacra congregatio Episcoporum et regularium ; nec non et hæc ipsa, nominatim in Elvensi jurisdictionis ad* 1 *et* 2, *diei* 1 *decembris* 1736. *Monebis itaque capitulum ut, quando vacatio ceciderit, quod longe sit, huic disciplinæ adhæreat; cum præsertim idem capitulum non impediatur vicario alium virum adsciscere, qui opem adjutricem eidem præbeat, quemadmodum non pridem inculcatum est capitulo Molinensi, in approbatione statutorum capitularium, per litteras diei* 10 *julii* 1854. (Integram illam epistolam edidi, mense octobri 1860, in collectione periodica *Revue des sciences ecclésiastiques,* tomo 2, pagina 293.)

Evincit hocce documentum illegitimam a Sacra Congregatione concilii reputatam fuisse Rhemensis capituli praxim plures deputandi vicarios capitulares. Si vero illegitima sit in Rhemensi diœcesi, nulla est ratio cur non in cæteris pariter Galliæ diœcesibus illegitima censenda sit.

Igitur ex hac Sacræ Congregationis auctoritate, et ex rationibus sub præcedenti propositione deductis, colligendum videtur revera

Digitized by Google

illegitimam hodie in Galliis esse praxim plures capitulares vicarios deputandi.

Fatendum tamen est gravissimam huic conclusioni auctoritatem opponi, decem nempe conciliorum Provincialium, recens in Gallia celebratorum, contrariam declarationem. Item opponi potest, Sedem Apostolicam cum dictis vicariis capitularibus Galliæ agere consuevisse perinde ac si legitime deputati fuerint. Quæ utraque difficultas sequentibus propositionibus diluitur.

Propositio 4ª. — *Legitimam esse dictam capitulorum Galliæ plures vicarios capitulares deputandi praxim, non videtur peremptorie colligi ex eo quod decem concilia provincialia, recens in Galliis celebrata, legitiman eam declaraverint, nec correcta fuerit ejusmodi declaratio a Romanis revisoribus.* — Si recenseantur duodecim provincialia concilia, ab anno 1849 in Galliis habita, decem reperientur quæ legitiman dictam praxim pronuntiant; duobus aliis hac de re silentibus. Omnia autem decem illarum synodorum acta et decreta, Sacræ Congregationis concilii recognitioni, prout de jure, subjecta sunt. Et quamvis eminentissimi dictæ Congregationis Patres aliquas in cæteris mutationes decreverint, intactum tamen reliquere textum quo decem præfata concilia hodiernam illam Galliæ praxim plures vicarios capitulares deputandi legitimam pronuntiant. Ea nobis objicitur auctoritas; et sane gravissima est. Quod tamen peremptoria non sit, mihi videtur sic probari posse:

1. *Contingere potest ut aliquod provincialis concilii decretum de se nullum sit atque irritum.* — Nullum enim et irritum certo foret decretum quo provincialis synodus aliquid contra jus commune, aut etiam adversus specialem Sedis Apostolicæ dispositionem statueret. Id extra controversiam est apud omnes; ex ea scilicet ratione quod jus commune universalem Ecclesiam obligans, sit lex superioris relative ad provinciale concilium; et aliunde nequeat unquam inferior contra legem superioris sui valide statuere. Jam vero in multis materiis adeo facile non est perspicere num aliquid juris communis sit, an vero provincialis concilii legislativæ potestati subjectum: item num aliqua juris communis dispositio adhuc vigeat, an vero per contrariam consuetudinem abrogata fuerit, ita ut valeat provincialis synodus consuetudinem illam legitimam pronuntiare. Aliunde autem,

Digitized by Google

etsi ingentis auctoritatis sit provincialis concilii judicium, non tamen infallibilitatis prærogativa protegitur. Ergo absolute contingere potest ut provinciale concilium legitimam aliquam praxim erronee pronuntiet; vel etiam tanquam legitimum decernat, quod de jure communi est illegitimum. Quo casu nullum et irritum profecto erit decretum. Et ita revera pluries contigisse, satis (inter alia documenta) patefacit tractatus Benedicti XIV, *De synodo diœcesana* inscriptus.

II. *Casu quo nullum de se et irritum sit aliquod provincialis concilii decretum, validari nequit nisi per summi Pontificis confirmationem, et quidem in forma specifica.* — « Confirmatio « quantum ad propositum, est juris quocumque modo quæsiti « per legitimum superiorem facta corroboratio... Dicitur *juris* « *quocumque modo quæsiti*, ad complectendam utramque con- « firmationis speciem, videlicet tam datæ *in forma communi*, « quam *ex certa scientia :* nam utraque jus aliquo modo quæ- « situm corroborat : illa jus legitime quæsitum ; hæc jus nul- « liter et de facto dumtaxat quæsitum. » Ita Reiffenstuel, ad titulum 30 libri II Decretalium, n. 2 et 3. Et quoad rem in ea tradenda notione concordant doctores, prout videri potest ubi explanant citatum titulum, qui inscribitur *De confirmatione utili vel inutili.*

Unanimiter etiam docent duplicem distinguendam esse confirmationis speciem, nimirum *in forma communi* et *in forma specifica ;* et per confirmationem *in forma communi* validum nullatenus effici actum de se nullum et irritum ; e contra autem per confirmationem *in forma specifica,* validari actum, etiamsi de se nullus esset et irritus. Quod cum extra controversiam omnem positum sit, unum dumtaxat citabimus Holsman : « Alia, inquit, datur *in forma communi,* qua superior, nulla vel non perfecta cognitione prævia, actum confirmat quasi conditionaliter tantum : alia *in forma speciali*, qua superior prævia cognitione de tota causa, confirmat actum absolute per similes clausulas, *ex certa scientia, cognita causa, parte citata et audita, ex plenitudine potestatis, supplendo juris et facti defectus, non obstante quacumque lege vel consuetudine in contrarium ;* aut tenore toto sententiæ privilegii, etc., quod confirmatur, inserto ipsi confirmationi. Confirmatio in forma *communi* non

Digitized by Google

tribuit actui specialem valorem, sed validum eum supponit... Ast confirmatio in forma *speciali* actum de se etiam invalidum reddit validum, quando defectus vel invaliditas est auferibilis a confirmante, vel dispensari solet » (ad titulum 30 libri II Decretalium).

Ex ea vero certa et unanimiter recepta doctrina hæc colligenda veniunt : 1° Decretum provincialis synodi, de se nullum et irritum, validari nequit nisi per aliquam summi Pontificis *confirmationem*. Cum enim ejusmodi confirmatio nihil aliud sit quam *corroboratio* actus, et decretum de se nullum validari nequeat nisi *corroboretur*, planum est validum effici non posse dictum decretum, nisi *confirmetur*. 2° Ast non sufficit confirmatio in forma *communi*, ut pote quæ actum de se nullum nunquam validum facit ; sed omnino requiritur confirmatio in forma *specifica*, quæ sola vim habet validum reddendi actum de se nullum et irritum.

III. *Declaratio qua dictæ decem provinciales synodi legitimam pronuntiarunt capitulorum Galliæ praxim plures deputandi vicarios capitulares, de se nulla fuit et invalida.* — Constat ex propositione 2 et 3, quibus probatum est dictam praxim, juri communi contrariam, nondum legitime præscripsisse, ac proinde remansisse et remanere illegitimam. Provinciales autem synodi non potuerunt declaratione sua praxim istam ex illegitima legitimam reddere, cum non potuerint jus commune abrogare. Ergo declaratio hæc de se nulla fuit et invalida.

IV. *Dicta declaratio provincialium conciliorum non facta est valida, ex eo quod a sacra Congregatione concilii correcta non fuerit.* — Etenim, ex jam probatis, ad eam validam efficiendam necessaria omnino erat *confirmatio*, et quidem in forma *specifica*. Porro *non corrigere* aliquod provincialis concilii decretum, nullatenus est illud confirmare in forma specifica ; imo neque etiam est illud confirmare in forma communi. Equidem si prodiisset breve Apostolicum, quo summus Pontifex dictarum synodorum decreta confirmasset, adhibitis clausulis confirmationi in forma specifica propriis, valida evasisset præfata decisio, qua provinciales illæ synodi legitimam pronuntiarunt plures vicarios capitulares deputandi praxim. Hoc ipso enim summus Pontifex decisionem hanc suam fecisset, et dictam praxim plu-

Digitized by Google

res vicarios capitulares deputandi, juri communi quoad id derogando, legitimam reddidisset. Quod autem Sacra Congregatio concilii aliquod provincialis concilii decretum de se nullum non corrigat, nullatenus illi decreto valorem supplet.

Objicies. — Nisi Sacra Congregatio legitimam existimasset hodiernam Galliæ praxim plures deputandi vicarios capitulares, correxisset procul dubio verba conciliorum provincialium nuper habitorum, quibus ea praxis legitima pronuntiatur. — Respondeo: Potuit non corrigere ob prudentiales rationes; eo quod nempe tunc nondum opportunum existimaverit illegitimam pronuntiare dictam Galliæ praxim. Cæterum quod eam praxim pro illegitima habeat, expresse declaravit postea per citatas ad Cardinalem Gousset litteras.

Concludendum igitur legitimam non probari praxim illam, ex eo quod decem dictæ provinciales synodi eam legitimam declaraverint, et ex eo quod declaratio illa correcta non fuerit a Sacra Congregatione concilii.

Propositio 5ª. — *Legitima non probatur Galliæ praxis plures deputandi vicarios capitulares, ex eo quod a tempore concordati Sedes Apostolica cum vicariis capitularibus juxta illam praxim deputatis egerit perinde ac si legitime deputati fuissent.* — Equidem a tempore concordati anni 1802, licet plures, sede vacante, vicarii capitulares deputari soliti sint, ad eos rescripsit Sedes Apostolica, et cum eis egit eodem modo ac si valida et legitima fuisset eorum electio. Quæ Sedis Apostolicæ agendi ratio ad præsentem usque diem (1) perseveravit. Inde tamen non evincitur legitimam esse dictam Galliæ praxim. Potuit enim Sedes Apostolica, licet dictam praxim illegitimam reputaverit, ob prudentiales rationes eam silendo tolerare, ac Galliæ capitula in sua bona fide relinquere, donec opportuniores ad id corrigendum circumstantiæ successissent. Interea enim nullum inde oriebatur grave detrimentum; siquidem ob titulum coloratum iis vicariis capitularibus supplebatur jurisdictio, et ob bonam fidem omni culpa vacabat hæc juris communis infractio. Quod autem Sedes Apostolica sic ex silentio œconomico dissimulat ac tolerat, non ideo vetitum et irritum esse desinit, si tale revera

(1) Hæc scribo mense januario 1862.

Digitized by Google

sit. Cum ergo dicta praxis, ut probatum est, de se illegitima sit et irrita, non evasit legitima per memoratam Sedis Apostolicæ agendi rationem.

Conclusio præsentis paragraphi. — Si quinque superiores propositiones solidis nitantur rationibus, aperte sequitur non posse hodie in Gallia, nec licite nec valide, plures, sede vacante, vicarios capitulares deputari. Huic tamen conclusioni non aliter adhæreo, quam si fuerit Sedis Apostolicæ judicio consona. Et cum resciverim illam ipsam causam hic et nunc Romæ pendere, in antecessum exituram Apostolicam decisionem amplector, derelicta qualibet contraria opinione.

§ 6

QUANDO UNITI FUERE ÆQUE PRINCIPALITER DUO EPISCOPATUS, UNUMQUODQUE CAPITULUM CATHEDRALE DEBET SUUM DEPUTARE VICARIUM, QUI IN EA TANTUM DIŒCESI IN QUA ELIGITUR JURISDICTIONEM HABET

« Ubi vero plures sint ecclesiæ cathedrales quæ sub uno « Episcopo æque principaliter unitæ sint, quamvis, sede plena, « unum sit regimen, unumque tribunal, cum unico vicario « generali (*De jurisd.*, discursu 22 et 24 —*De præem.*, disc. 7), « adhuc tamen, sede vacante vel impedita, quælibet *ecclesia*, « juxta naturam unionis æque principalis pluries insinuatam, « suum statum antiquum assumit; proindeque quodlibet capi- « tulum, cum omnimoda independentia, ejus proprium ac di- « versum deputat vicarium aliosque officiales in sua respective « diœcesi, perinde ac si quælibet haberet proprium Episcopum, « atque uterque eodem tempore obiisset. » Ita Cardinalis de Luca (*Annotationes practicæ,* discursu 31, in fine tomi XIV).

Addit idem auctor, si in una ex dictis ecclesiis extinctum de facto fuerit capitulum, ad metropolitanum pertinere deputationem vicarii capitularis.

CAPUT IX

CAPITULUM IN DEPUTANDO VICARIO NULLAM POTEST SIBI JURISDICTIONEM RESERVARE

« Vigebat olim opinio permittens capitulo aliquam jurisdic- « tionis partem sibi reservare. Ea propter, cum olim institutus

Digitized by Google

« fuisset concursus ad quamdam ecclesiam parochialem et lis « excitata fuerit inter capitulum et vicarium capitularem, cui- « nam jus competeret renuntiandi magis idoneum, Sacra Con- « gregatio concilii (die 18 novembris 1651, l. x Decretorum, « pag. 155 et 156), censuit spectare ad capitulum, quia in de- « putatione vicarii id juris sibi expresse reservaverat. Verum « cum postea prævaluerit sententia opposita, et jam communi- « ter doctores sentiant, integrum non esse capitulo, ne mini- « mam quidem partem jurisdictionis sibi reservare, sed totam « quam habet conferre debere vicario capitulari, quod pluribus « probant Fagnanus (in caput *His quæ*, n. 71, *De major. et obed.*) « et Marchetti (*De vicario capitulari*, parte II, tit. 12, n. 27); « etiam Sacra Congregatio a priori sententia recessit, aliudque « judicium tulit in alia simili controversia (in *Elvensi*, 1 decem- « bris 1736). » Ita Benedictus XIV (*De syn. diœc.*, l. IV, c. 8, n. 10).

Dubium autem propositum in causa Elvensi, de qua loquitur Benedictus XIV, sic habebat: *Tertio, an capitulum possit in deputatione vicarii capitularis dare jurisdictionem limitatam, et possit in hoc casu attendi consuetudo regni Lusitaniæ?* — Responsum est: *Ad tertium negative.* (*Thesaurus resolutionum*, t. VII, pag. 352.)

Cum tractata iterum fuerit quæstio non a multo tempore, id est, anno 1835, in Sacra Congregatione concilii, juvat hic summatim referre quæ tunc dicta et decisa sunt. (In causa Adriensi, 30 maii 1835. — *Thesaurus resol.*, in tomo dicti anni 1835, pagina 213):

Defuncto Episcopo Adriensi, canonici cathedralis ante electionem vicarii capitularis sibi reservarunt facultatem excipiendi confessiones fidelium et hos absolvendi ab omnibus casibus reservatis. Canonicus qui electus est in vicarium capitularem a S. Congregatione postulavit resolvi duo sequentia dubia: 1° *Utrum reservatio facta a capitulo in vicarii capitularis electione prout in casu sit valida.* 2° *Utrum vicarius capitularis possit facultatem a capitulo sibi reservatam revocare aut restringere.* Et fuit responsum: *ad* 1 *negative in omnibus: ad* 2 *provisum in primo.*

Secretarius autem Sacræ Congregationis sic disserit:

Digitized by Google

« Tota hæc, ut reor, controversia pendet a disputatione olim « apud doctores, teste Benedicto XIV (*De syn. diœc.*, « l. IV, c. 8, n. 10), excitata : utrum nempe capitulum vi de- « creti Tridentini (sess. 24, c. 19, *De ref.*) teneretur ita univer- « sam suam jurisdictionem huic officiali suo committere ut « nullam sibi posset relinquere facultatem. Paucis profecto post « absolutum concilium annis non una eademque erat hac super « re doctorum sententia. Nonnulli enim putabant capitulum « posse aliquam jurisdictionis suæ partem sibi reservare... (ibi « exponuntur ipsorum rationes, inter quas decisio Rotæ *in* « *Maurianensi*, 25 julii 1626, coram Pirovano, et alia Congre- « gationis concilii, 13 novembris 1651, lib. X Decretorum, « pag. 155 et 156). »

« Ea tamen opinio quæ juxta Benedictum XIV (loco cit.) « communiter invaluit tenet capitulum nihil posse de juris- « dictione sua sibi relinquere, sed omnem suo vicario com- « mittere debere... Jurisdictio vicarii capitularis eadem est in « his quæ sunt juris communis quæ fuit Episcopi (S. Congreg. « Episcoporum, in *Reatina*, 2 nov. 1603) ; atque vicario deman- « dari debet simpliciter et absolute, ac sine ulla conditione vel « clausula, ut libere tanquam Ordinarius possit justitiam *admi-* « nistrare ; alias esset nulla electio (ita Sacra Congr. Episcoporum « in *Cajetana*, 20 octobris 1587). Hinc uno ore asserunt doc- « tores, quod exceptis iis quæ spectant ad ordinem Episcopa- « lem, quidquid prædicatur de capitulo, sede vacante, vere et « proprie convenit vicario capitulari ex ipso jure. »

Sibi postea objicit consultor decisionem S. Congregationis concilii (in *Camanecensi*, 4 decembris 1632, lib. XIV Decretorum, pag. 483) in qua ad quæsitum an facultas competens Episcopis vigore concilii Tridentini transferatur ad vicarium capitularem, respondit : *Transferri in vicarium capitularem, sede Episcopali vacante, dummodo talis facultas specialiter per capitulum eidem vicario tributa fuerit.*

Refert postea decisionem 21 decemb. 1791 in *Derthonensi*, libro VII Decretorum, pag. 31 : *Congregatio concilii censuit scribendum ad vicarium capituli, sede vacante, deputatum, jurisdictionem Episcopalem defuncti ipsi nunc competere, nedum spiritualem sed universam.*

Digitized by Google

Affirmat deinde S. Congregationem Episc. et reg. (in *Salernitana*, 16 julii 1618) declarasse: « vicarium electum cum « aliquibus conditionibus posse nihilominus uti sua jurisdic- « tione absque ullo respectu supradictarum conditionum; » et quidem etiam adversus ipsosmet canonicos qui eum elegerunt cum dictis conditionibus, ex animadversis per Valenzuol. Cons. 107, n. 15 et 16, et in Flosc., verbo *Vicarius capituli*, n. 54 et 58, ubi refert ita pluries decisum a Sacra Congregatione Episcoporum et regularium.

His documentis adjungemus quæ tradit Cardinalis de Luca (*Relatio Romanæ curiæ forensis*, discursu 16, n. 12) : « Sede « autem Episcopali vacante, in ista congregatione (1) frequentius « (licet quandoque sed rarius in illa concilii) habentur quæstio- « nes super deputatione vicarii capitularis; atque ubi dignosca- « tur quod ea ad præscriptum concilii Tridentini vel Decretorum « Sacræ Congregationis facta non sit, variæ oriri solent provisio- « nes. Quandoque etenim, ubi nullitas non proveniat ex vitio « personæ, quam constet esse dignam et idoneam, tunc ipsa « deputatio revalidatur... Quandoque vero ipsa Congregatio vi- « carium deputat, cum oraculo Papæ, et qui propterea Aposto- « licus dicitur; et quandoque mandatur ut capitulum denuo ad « electionem procedat; sive metropolitano aut viciniori id com- « mittitur (quod tamen rarum est), cum frequentior stylus sit vel « confirmandi deputatum, vel deputandi vicarium Apostolicum. « Si vero deputatio sit valida, sed facta sit ad tempus, aut cum « aliquibus restrictionibus (ut capitulorum frequentior stylus « esse videtur), tunc ipsa Congregatio, quatenus contingat desu- « per per eumdem deputatum eam certiorari, eidem rescribit ut « pro toto tempore vacationis ejus munus exerceat, cum universa « jurisdictione, neglectis sibi factis restrictionibus, quas impro- « bat. Et aliquando eidem vicario capitulari aliquam communi- « care solet facultatem qua ipse careat, puta concedendi litteras « dimissoriales ad suscipiendos ordines infra annum. »

Olim, inquit Riganti, « Sacra Congregatio eam sequebatur sententiam, quod in vicarium capitularem non transiret tota potestas et jurisdictio Episcopalis, sed ea tantum quæ sibi specialiter

(1) Loquitur de Congregatione super negotiis Episcoporum et regularium.

Digitized by Google

impertiretur a capitulo; cui permissum erat ad sui favorem in pluribus vicarii facultatem limitare. Verum cum boni ecclesiæ regiminis ratio postulet, ut capitulum nil sibi reservet, sed integrum jurisdictionis Episcopalis exercitium in vicarium transferat, tum ad evitandas factiones quæ regulariter in capitulis vigere solent, tum quia non semper capitulum est congregatum, nec facile congregari potest, præsertim in iis quæ celerem requirunt expeditionem; hinc hodie contraria invaluit sententia, et juxta quamplurimas sacrarum congregationum resolutiones, omnimodum jurisdictionis exercitium quæ Episcopo competebat, privative ad capitulum, transit in vicarium capitularem; cui proinde permissum est totum id facere, quod de jure explere potest sede vacante capitulum ipsum, etiamsi alias requireret speciale mandatum; ut respondit Sacra Congregatio Episcoporum, in *Aquilana*, 8 maii 1682; et in *Fulginatensi*, 17 decembris 1683; et in *Mantuana*, 18 maii 1685... Quinimo, etiamsi capitulum in electione vicarii capitularis expresse sibi reservaret facultatem dispensandi super interstitiis, aliasque gratias faciendi, adhuc non attenta hujusmodi reservatione, facultas dispensandi ad vicarium capitularem spectare debet, ut pluries rescripsisse Sacram Congregationem Episcoporum et regularium testatur Monacelli. » (Riganti, *Commentaria in regulas cancellariæ*, ad regulam 24, § 3, n. 229 et seq., tomo II, pag. 409, edit. Romæ, 1745.)

His præallatis ad resolvendam quæstionem deveniamus.

1° Sacra Congregatio super negotiis Episcoporum et regularium non videtur unquam variasse. Non posse enim limitari a capitulo jurisdictionem quam tradit vicario capitulari tenuit anno 1587, anno 1603, anno 1618, ex citatis documentis. Semper autem postea idem tenuisse minime dubium esse potest.

2° Congregatio autem concilii, quæ, teste Fagnano, paucissimas variationes passa est, in hac materia variavit, quasi sequens ipsammet contemporaneam doctorum variationem. Nam posse restringi jurisdictionem a capitulo concessam vicario capitulari, tenuerat anno 1632 et 1651; et sibi Rotam consentientem habebat, ut patet ex citata decisione hujus tribunalis, anno 1603. Postea vero, ab anno saltem 1736, sententiæ oppositæ constans hæsit.

Digitized by Google

3° His ita stantibus, jam minime dubia est quæstionis resolutio, quoad liceitatem et valorem hujusmodi restrictionum. Nam etsi olim inter auctores controversa res extiterit, a multo jam tempore communis sententia prævaluit non licere nec valere restrictiones jurisdictioni vicarii capitularis appositas. Et quamvis Sacra Congregatio concilii prioribus post synodum Tridentinam temporibus restrictionibus faverit, tamen id postea correxit et contrarium a multo tempore constanter declarat. Unde sicut olim ob ipsius auctoritatem capitulis licitum fuit prædictas restrictiones apponere, ita hodie, ob eamdem auctoritatem, id eis evasit illicitum. Unde nunc causa omnino finita est, id est, restrictiones apponi licite non possunt, et appositæ non tenent. Sed remanet quæstio an vitient electionem et reddant eam nullam.

4. Si porro aliquod capitulum hujusmodi limitationes nihilominus apponat, an electio erit valida licet non valeat quoad restrictiones; an vero erit nulla? — Ut valida videtur habenda talis electio: conditiones enim appositæ (utpote jam de jure nullæ), quoddam sunt addimentum prorsus inutile electioni superveniens: pro regula autem apud jurisperitos accipitur, inutile alicui actui superveniens, non vitiare illum actum, si aliunde habeat requisita ad valorem. Unde vicarius capitularis cum limitata jurisdictione deputatus, si aliunde electio legitime peracta sit, has omnes restrictiones pro non appositis habere potest. Prudenter tamen aget si statim de hoc certiorem faciat Sacram Congregationem concilii, quæ plenam electi jurisdictionem in tali casu confirmare solet.

Videtur ita sentire Cardinalis de Luca, cum dicat (loco modo citato) : *Si vero deputatio sit valida, sed facta sit ad tempus aut cum aliquibus restrictionibus...*

Id vero certum est, in tali casu non devolvi electionem ad metropolitanum, sed recurrendum ad Sacram Congregationem concilii.

Digitized by Google

CAPUT X

VICARIUS CAPITULARIS NON POTEST DEPUTARI AD CERTUM TEMPUS, SED DEPUTARI DEBET PRO TOTO VACATIONIS TEMPORE

Maximam connexionem habet præsens quæstio cum præcedenti; imo nec ab ea distinguenda est. Nam restringere ad aliquod determinatum tempus vicarii capitularis jurisdictionem, est aliqua species earum limitationum quas modo probavimus nec licere jam, nec valere, quidquid olim aliqui auctores in contrarium senserint. Documenta enim allata non distinguunt inter restrictiones hujusmodi, sed omnes omnino sublatas volunt; ergo et restrictionem quoad tempus. Cum autem olim controversia viguerit circa alias restrictiones, mirari non debet lector eamdem viguisse pariter quoad restrictionem temporis, prout videre est apud Leurenium (Tract. *De capitulo, sede vac.*, Cap. 4, quæst. 555) et apud Pignatelli (t. I, consult. 23).

Quod certum sit proscriptas fuisse cum omnibus aliis restrictiones quoad tempus, sic eximie exponit præstantissimæ inter canonistas auctoritatis Cardinalis de Luca :

« In plerisque ecclesiis mos inoleverat deputandi vicarium ad « tempus, puta ad annum, vel ad sex sive ad tres menses; ac « etiam ut capitulum vicarii potestatem in pluribus restringendo, « aliqua graviora negotia sibi reservaret, pluresque alias leges et « restrictiones electo præscribendo. Hæc autem omnia Sacra « Congregatio improbavit, decernendo ut electio pura et gene- « ralis pro toto tempore vacationis fieri deberet, denegata capi- « tulo potestate pro libito revocandi deputationem jam factam, « ac alteram faciendi inconsulta ipsa Sacra Congregatione. Quæ « propterea in casibus in quibus temporalis deputatio fiat cum « hujusmodi restrictionibus, rescribere solet electo ut per totum « tempus vacationis continuet neglectis restrictionibus ; et quan- « doque ex ista causa improbare solet electionem deputando vi- « carium Apostolicum pro facti qualitate, ex qua aliquando etiam « ipsummet electum deputat, quamvis electio invalida esset. « Ideoque certa generalis regula, cuicumque casui applicabilis, « desuper statui non potest, cum totum pendeat ex singulorum « casuum circumstantiis, et juxta Sacræ Congregationis leges

Digitized by Google

« prudentiales. » (*Annotationes practicæ*, discursu 31, n. 25, in fine libri XIV.)

Idem confirmabat jam suo tempore Pignatelli (tomo I, consult. 23, n. 10): « Cæterum adverto quod novissime Sacra Con-
« gregatio Episcoporum et regularium sæpe decrevit, vicarium
« capitularem non posse eligi ad certum tempus, puta tres men-
« ses, sed eligendum esse pro toto tempore vacationis ecclesiæ.
« (Ita in una Sutrina, die 14 februarii 1653; in una Puteolana
« die 14 novembris 1659, et alibi.) Nec posse capitulum ad sui
« libitum vicarium revocare sine causa per Sacram Congrega-
« tionem approbanda (ut in una Neapolitana, die 1 septembris
« 1603, et in una Messinensi, die 16 martii 1618). Et quidem
« summo jure : nam alias vicarius metu remotionis ab officio,
« non exercet suam jurisdictionem cum opus fuerit etiam in ca-
« pitulum et canonicos. Unde cum sacrum concilium Tridenti-
« num arctaverit capitulum ad constituendum vicarium intra
« octo dies, voluit id necessario fieri per electionem : de jure
« autem nullus officialis per electionem canonicam constitutus,
« amoveri potest absque causa ad nutum ; quia non subest am-
« plius electoribus quoad exercitium jurisdictionis. »

Idem tenet Monacelli tanquam omnino certum (*Formularium*, tit. 1, form. 2, adnot. 14), plures citans decisiones congregationis Episcoporum.

In *Thesauro resolutionum* Sacræ Congregationis concilii (tomo VII, pagina 350) similiter reperimus expositam quæstionem : « Tametsi olim vicarius capitularis posset a capitulo ad
« certum tempus constitui, et ad libitum quoque amoveri, dum-
« modo alium infra octo dies deputaret, quemadmodum constat
« ex antiquioribus decretis Sacræ Congregationis (et signanter in
« Panormitana, l. I Decretorum, pag. 163; — in Taurinensi,
« lib. VII Decretorum, pag. 48; — in Goana, l. XVII Decreto-
« rum, pag. 274; — cum aliis relatis in Leopoliensi, tomo VII
« *Thesauri resolutionum*, pagina 182); attamen ut recto eccle-
« siarum regimini consultum sit, eumdem vicarium capitularem
« eligi debere pro toto tempore quo Episcopalis sedes vacua re-
« manet, nec posse nisi ex justa causa per Sacram Congregatio-
« nem Episcoporum et regularium cognoscenda et approbanda,
« revocari, decrevit eadem Sacra Congregatio Episcoporum et

Digitized by Google

« regularium negotiis præposita, juxta testimonium Fagnani « (in c. *His quæ*, n. 71, De majoritate et obed.). »

Ex quibus prælibatis facile liquet quænam esse debeat præsentis quæstionis resolutio. Nempe : 1° Verum est primis post concilium Tridentinum temporibus viguisse sententiam quæ capitulo tribuebat potestatem restringendi, tum quoad tempus, tum quoad objecta, jurisdictionem vicarii capitularis ; et per multos annos Sacram Congregationem concilii declarationes in hunc sensum edidisse. 2° At certum est Sacram Congregationem Episcoporum et regularium, pro auctoritate qua a Sede Apostolica instructa erat, dispositionem contrariam, utpote utiliorem, decrevisse. 3° Certum est hanc dispositionem praxi Congregationis concilii et Rotæ confirmatam in jus commune transiisse. 4° Ex tali autem jure, ne minimam quidem particulam suæ jurisdictionis capitulum sibi reservare posse ; sed illa jurisdictio tota quanta ad vicarium capitularem transit. Unde jam omnino certum est non magis valere restrictionem quoad tempus, quam alias quaslibet restrictiones.

Si autem nihilominus apponeretur aliqua temporis restrictio, an electionem vitiaret? — Idem dicendum ac in præcedenti capite dictum est de cæteris restrictionibus.

CAPUT XI

AN VICARIUS NECESSARIO DEBEAT ESSE DOCTOR ET QUIDEM IN JURE CANONICO

I. Attendenda sunt verba Tridentini : *Qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias quantum fieri potest idoneus.* Illa autem verba pluribus quæstionibus ortum dedere, quæ nunc solvendæ veniunt.

II. Cum dicat Tridentina synodus *vel alias idoneus,* an liberum sit capitulo eligere non doctorem, relictis doctoribus gremii sui idoneis? — Aliqui olim canonistæ affirmativam sententiam tenuerant. Sed omnino derelinquendi sunt. Plurimæ siquidem prodierunt Sacræ Congregationis concilii declarationes decernentes invalidam esse in hoc casu electionem. Et ita communiter tenent doctores, inter quos vide Pignatellum (tom. VIII, consult.

Digitized by Google

34), Leurenium (*Tract. de capit., sede vac.*, c. 4, quæst. 557), Cardinalem de Luca (*Annotationes ad concilium Trid.*, discursu 31, in fine lib. XIV), Monacelli (*Adnot. ad formulam* 2, tituli 1, n. 12). Et revera Tridentina synodus addens *vel alias quantum fieri potest idoneus*, clare indicat se noluisse eligi non doctores nisi deficientibus doctoribus idoneis. Unde *regulariter* electio invalida est si, cum præsto sint doctores idonei, eligatur aliquis non doctor. Quod intelligendum est etiam de electo vicario generali Episcopi defuncti, si ipse non sit graduatus. « Pro-« cedit responsio, ait Leurenius (*Tract. de cap., sede vac.*, c. 4, « quæst. 557), ita etiam ut defuncti Episcopi vicarius non doctor « superstes, a capitulo, sede vacante, in vicarium generalem con-« firmari seu assumi non debeat. » Et ita decisum est a Sacra Congregatione concilii in causa Acernensi, 23 februarii 1709, ut refertur in *Thesauro resolutionum* (tomo XXXIII, pagina 56) his verbis : « Species facti erat : *Secuta vacatione sedis episco-« palis, capitulares (octodecim numero) decem deputarunt in « vicarium capitularem Oliverium, immediate jam existentem « vicarium generalem defuncti Episcopi : reliqui octo suffra-« gati sunt Vito Fredæ, doctoris privilegio decorato. Freda « provocavit sub fundamento quod electio Oliverii fuerit nulla, « uti facta contra dispositionem sacri concilii in personam « non doctoris neque licentiati in jure canonico.* Sacra Congre-« gatio jam sub die 15 decembris 1708 rescripserat : *Exerceri « vicariatum per Archidiaconum, nomine Sacræ Congregatio-« nis, sine præjudicio ambarum partium usque ad exitum causæ « in Sacra Congregatione.* Proposita deinde causa, *An et quæ « electio substineatur in casu ?* censuit : *Neutram electionem « substineri, et satis provisum in personam Archidiaconi.* » Ergo quando adsunt doctores idonei, nisi eligatur doctor, regulariter electio est nulla, etiam si electus esset vicarius defuncti Episcopi. Ut autem intelligatur quam firma sit et certa prædicta generalis regula, transcribendam duximus indicationem quamdam decisionum a Sacra Congregatione concilii hac de re emanatarum, quam reperimus in *Thesauro resolutionum*, tomo XXXVII, pagina 238 : « Quare Sacra hæc Congregatio, « concilii Tridentini vindex ac custos (in una Mazariensi, 19 de-« cembris 1569) respondit : *Archiepiscopus constituere debet*

Digitized by Google

« *capitulo octo dierum spatium ad eligendum vicarium docto-* « *rem, casu quo elegisset non doctorem; et, eo non electo, omnis* « *electionis potestas ad Archiepiscopum transfertur.* — Et in « una Triventina (decembris 1586) respondit : *Eligendos in vica-* « *rium doctores aut licentiatos, si qui sint in capitulo; sin mi-* « *nus sufficere ut quantum fieri poterit idoneus eligatur* (lib. IV « Decret., pag. 211 ter). — Atque idipsum constanter edixit, in « Melphiensi, 9 septembris 1594, in Camplensi, 11 maii 1624 « (lib. XII Decret., pag. 167), in Crotonensi, 9 maii 1637 (lib. XV « Decret., pag. 225), in Salernitana, 9 decembris 1662 (lib. XXIII « Decret., p. 301), et in Montis Regalis, 19 januarii 1664 « (lib. XXIV Decret., pag. 18).

« Quod servandum quoque mandavit etiam in casu quo uni- « cus duntaxat de gremio capituli adsit ad doctoris dignitatem « promotus, ut in Neritonensi (24 julii 1643, lib. XVII Decret., « pag. 209), in Ecclesiensi (3 julii 1679, lib. XXIX Decret., « pag. 457). Imo nullis extantibus doctoribus e gremio capituli, « edixit eligendum esse doctorem, si quis sit extra gremium (ut « in Tricaricensi 1592, lib. VII Decret., folio 44). Constanter « igitur improbavit rejecitque deputationem non doctoris, « omissis doctoribus vel licentiatis, ut in... » (1).

III. An sufficiat doctoratus in theologia? — Sufficere sustinuit olim Riccius (decisiones curiæ archiep. Neap., part. IV, decis. 305), eo quod concilium dicat qui *saltem* in jure canonico sit doctor; quasi illa vox *saltem* indicaret posse a fortiori eligi doctorem in theologia. Sed opinio illa prorsus falsa est. Vox enim *saltem* ibi adhibetur relative ad eos qui gradum habebant in civili simul et canonico jure, quales erant Tridentini concilii tempore plerique doctores. Vult nempe synodus ut vicarius capitularis, si doctor non sit in *utroque* jure, in canonico *saltem* gradum obtineat. Unde ad doctoratum in theologia non attenditur, cum de illo lex Tridentina prorsus siluerit. Ita communiter tenent doctores, ex pluribus emanatis a Sacra Congregatione decisionibus. Aliquas autem hujusmodi decisiones sic indicatas reperimus in *Thesauro resolutionum*, tomo XXXVII, pagina 238 : « Quinimo cum concilium expresse eligi jubeat

(1) Citantur ibi in confirmationem octo aliæ decisiones.

Digitized by Google

« doctorem vel licentiatum *in jure canonico,* improbavit etiam « electionem doctoris in jure civili aut sacra theologia, si post- « habiti fuerint doctores in jure canonico (ut in Astensi, 11 julii « 1626; — Oriolensi, 24 martii 1627, libro XII Decretorum, « pagina 53 et 222; — in Capuana, 19 junii 1636, lib. XV De- « cretorum, fol. 311; — in Tyrasonensi, fol. 315). » Certum ergo est a concilio requiri gradum academicum in jure canonico, et non sufficere gradum in theologia vel jure civili. Rationem autem cur potius canonistam quam theologum doctorem constitui in vicarium voluerit concilium, hanc affert, post Dianam Leurenius (*Tract. de capit., sede vac.*, c. 4, quæst. 557, n. 5) : « Nempe, quod viri theologi, etsi litteratissimi sint, non satis « jurisprudentiæ praxim et theoriam callent; et proinde multo- « ties ex capite et pro arbitrio sententias proferunt, et a veritatis « et justitiæ tramite aberrant. »

IV. De quibusnam doctoribus et licentiatis loquatur concilium Tridentinum? — Sic habetur in tomo XXXVII, pagina 239, *Thesauri resolutionum* S. Congregationis concilii : « Præterea « ne fraus fieret concilii menti quæ jubendo electionem doctoris, « voluit ut muneri præficeretur persona vere docta atque pru- « dens, Sacra hæc Congregatio declaravit ulterius, solum do- « ctoratum in publica universitate obtentum spectandum esse. « Nam (in una Montis Regalis, 19 junii 1664), proposito : *An « hujusmodi doctor debeat esse doctor in publica universitate « studiorum, an vero satis sit ut fuerit promotus ex gratia ab « aliquo comite Palatino vel ab alio habente auctoritatem a « Sede Apostolica vel ab imperatore; adeo ut electio sit valida « existentibus aliis qui ejusmodi gradum in publica univer- « sitate susceperunt;* — respondit — : *Debere esse promotum in « publica universitate* (lib. XXIV Decretorum, fol. 18). Quare « (in una Elesina, 21 februarii 1682) nullam censuit electionem « in personam doctoratu insignitam a duce Sfortia (Lib. XXXII « Decretorum, pag. 142). »

Huic doctrinæ concordant unanimiter canonistæ, e quibus satis erit unum adduxisse :

« Doctorum autem nomine veniunt illi qui in aliqua publica « universitate vel collegio solemniter isto gradu decorati sint, « non autem illi qui ex aliquorum particulari privilegio doctores

Digitized by Google

« creati fuerint. Prout licentiatorum nomine veniunt solum illi « qui pariter a publica universitate vel collegio (juxta regionum « mores ac stylos) licentiatura tanquam gradu solemniter « decorati sint ; ut præsertim contingit in Hispania, ubi licen- « tiatura illam habet imaginem vel speciem quam habet docto- « ratus in Italia... Ideoque licet in Italia illi qui studiis in aliqua « universitate vacaverint... ab aliquo magistro licentiam repor- « tent et vulgo licentiati nuncupari soleant, vere tamen tales « non sunt, neque istud decretum eos complectitur.

« Doctoratus autem in aliis scientiis, etiam in sacra theologia, « in hoc proposito non habetur in consideratione. » Ita Cardinalis de Luca (*Adnotationes practicæ,* discursu 31, in fine libri XIV).

V. Titulus doctoris vel licentiati in facultatibus, qualesnunc extant in Gallia, obtentus, ad satisfaciendum legi Tridentinæ prorsus inutilis est. — Nam facultates hujusmodi non erectæ sunt auctoritate Pontificia, sed tantum auctoritate civili; ita ut gradus qui in ipsis obtinentur ab eadem auctoritate civili promanent. Nec existit in Gallia universitas studiorum canonica, cum talis existere nequeat, nisi auctoritate Summi Pontificis constituatur; sed existit tantum aliqua studiorum publica ordinatio, a potestate civili decreta, et universitatis nomine decorata. Unde gradibus in prædictis Galliæ facultatibus obtentis, omnino applicandum venit quod de graduatis a Cæsare vel ex indulto Cæsaris tenent communiter canonistæ; inter quos Leurenius (*De capit., sede vac.,* c. 4, quæst. 557), postquam ostendit non valere gradus ex privilegio obtentos, sic addit : « Idem et multo magis « dicendum de graduatis ab indultario aliquo ipsius Cæsaris, vel « etiam ab ipsomet Cæsare. Non solum quia respectu facultatis « theologicæ et juris canonici (quos dumtaxat concilium et « pontifex considerat) deficit illius auctoritas, sed quia quos « Papa inhabilitat in materia sibi subjecta, non potest Cæsar « habilitare; etiamsi admittatur actum doctorandi esse volun- « tariæ jurisdictionis; quatenus enim removeretur inhabilitas « inducta per Papam, esset contentiosa. » Idem docent Lotterus et Felinus ad quos remittit citatus auctor. Si ergo sede aliqua vacante in Gallia, ibi extent veri doctores vel licentiati in jure canonico, et cæteroquin ad munus vicarii capitularis idonei, non potest deputari aliquis graduatus tantum in facultatibus hodier-

Digitized by Google

nis Galliæ, nec ipsi quidquam prodest fictum quod gerit doctoris nomen.

VI. Quando adsunt quidem doctores, sed non idonei, potest capitulum deputare non doctorem. — « Cum hæc qualitas doc-« toratus mere extrinseca sit, nec certam reddat probitatem, « prudentiam et idoneitatem ad curam animarum gerendam, « nihil magis menti concilii Tridentini adversaretur, quam ut « eligeretur doctor non idoneus vel quoad mores vel quoad pru-« dentiam, omisso altero qui licet qualitate doctoratus destitutus, « certe tamen præstaret majori prudentia, scientia et idoneitate. « Hinc Sacra Congregatio, constito de certa non idoneitate doc-« toris, et de majori prudentia, ac probitate non doctoris, ali-« quando (licet rarissime) non abhorruit a confirmanda electione « non doctoris, spretis doctorum querelis. Nam (in una Carino-« lensi, 22 septembris 1714) cum electus fuisset primicerius « Sassi non doctor, et metropolitanus alterum elegisset, illo « excluso ob defectum doctoratus (quem tamen idem primice-« rius post tredecim dies susceperat), proposito : *primo, an « electio vicarii capitularis facta a capitulo in personam « Sassi substineatur, et quatenus, negative — Secundo, an « de putatio facta a curia metropolitana substineatur?* respon-« sum fuit : *Ad primum, circumscriptis* (1) *omnibus gestis in « curia archiepiscopali, affirmative. — Ad secundum, nega-tive.* » Hæc transcripsimus ex *Thesauraro solutionum* S. Congregationis concilii (tomo XXXVII, page. 239). In tali autem casu, doctoribus a capitulo rejectis ex titulo non idoneitatis, recursus semper patebit; et metropolitanus si judicet aliquem ex ipsis esse idoneum, poterit, electionem irritam declarando, illum doctorem quem idoneum existimat deputare. Et tunc, si velit capitulum in sua electione persistere, non poterit lis terminari nisi per sententiam Sacræ Congregationis concilii, postquam eidem Congregationi constiterit nullum ex doctoribus fuisse idoneum. Unde ad prævertendas lites, multum cavendum est capitulis, ne doctores apud ipsa existentes facile rejiciant tanquam non idoneos; sed id tantum agant quando clare hanc inhabilitatem probare possunt.

(1) Circumscribere apud jurisperitos idem sonat ac annullare seu irritum facere

Digitized by Google

VII. Si non adsit nisi unicus tantum doctor in jure canonico, sed cæteroquin idoneus, an is necessario a capitulo deputandus sit in vicarium capitularem? — Id negat Cardinalis de Luca, ex eo quod deputandus sit vicarius capitularis per formam electionis, et electio non sit possibilis nisi inter plures : « Deputandus « autem est vicarius qui ad minus in jure canonico doctor sit, seu « licentiatus; sin minus (quoties in capitulo ita graduati existant « in aliquo competenti numero, intra quem electionis libertas « congrue exercibilis remaneat) deputatio invalida pluries per « Sacram Congregationem declarata est. Secus autem si in capi- « tulo graduati non adsint in dicto numero, intra quem dicta « libertas cadat, quamvis in civitate vel diœcesi graduati idonei « existant; quoniam potest quidem capitulum aliquem ex eis « deputare, sed non tenetur; ideoque unum de capitulo quamvis « non doctorem tali casu licite deputare potest. (Annotationes ad « concilium Trid., discursu 31, ad finem libri XIV.) »

Illa vero sententia Cardinalis de Luca non concordat cum decisionibus in *Thesauro resolutionum* (tomo XXXVII, p. 238) indicatis hoc modo : « Quod servandum quoque mandavit Sacra « Congregatio (*nempe eligi doctorem*) etiam in casu quo unicus « dumtaxat de gremio capituli adsit ad doctoris dignitatem pro- « motus, ut in Neritonensi, 24 julii 1645 (libro XVII Decretorum, « pagina 209), et in Ecclesiensi, 3 julii 1679 (lib. XXIX Decreto- « rum, pagina 457). » Non adivimus libros Decretorum (1), ut perspiceremus utrum citatæ duæ illæ decisiones faciant revera ad casum. Si revera ita declaraverit Sacra Congregatio, dicendum est Cardinalem de Luca id non rescivisse. Cæteroquin ratio quam affert præstantissimus Cardinalis non videtur per se solam decisiva. Electio quidem fieri nequit nisi ex pluribus; sed non probatur Tridentinam synodum voluisse *electionem* proprie dictam semper et in omni casu. Imo nec utitur voce *electionis*, sed deputationis. Requirit ergo concilium Tridentinum ut deputetur a

(1) *Libri decretorum* vocatur collectio adhuc manuscripta et in archiviis S. Congregationis concilii asservata, declarationum ejusdem Congregationis, ab ipsius initio usque ad Benedictum XIV. Dum enim Benedictus XIV secretarium illius Congregationis ageret, cœperunt typis vulgari decisiones in collectione nota sub nomine *Thesaurus resolutionum;* sed quæ præcesserant declarationes, nondum editæ sunt, et citantur ex manuscripto codice.

Digitized by Google

capitulo vicarius qui sit doctor : hoc autem facit capitulum tum per electionem proprie dictam quando adsunt plures doctores idonei, tum per electionem improprie dictam, id est, simpliciter deputando quando unicus adest doctor idoneus : quod utrumque scopo Tridentinæ synodi satisfacit.

VIII. Quando major pars elegit nulliter non doctorem, et minor pars elegit doctorem, an valeat electio facta a minori parte? — Respondendum negative. Ita enim pluries, casu redeunte, resolvit Sacra Congregatio concilii. Jam in præcedenti capite citavimus causam Acernensem, 23 februarii 1709; cum nempe a majori parte capituli Acernensis electus fuisset non doctor, a minori vero doctor, neutram electionem admisit Sacra Congregatio, sed tertium deputavit in vicarium capitularem. Duæ aliæ hujusmodi resolutiones memorantur in *Thesauro resolutionum* (tom. XXXVII, pag. 240) his verbis : « Sacra Congregatio in « una Aliphana, 8 julii 1702, qua ex duodecim capitularibus, « quinque pro canonico doctore suffragia dederant, reliqui vero « septem favore alterius canonici non doctoris, censuit neutram « electionem confirmandam esse, et consulendum esse Sanctissi- « mum pro deputatione vicarii Apostolici. Et in una Nazarena, « 11 septembris 1717, qua ex 26 capitularibus, 15 suffragia de- « derant favore primicerii nec doctoris nec licentiati, et alii un- « decim favore Archidiaconi juris utriusque doctoris, proposito: « *an et quæ electio substineatur?* responsum fuit : *Neutram sub- « stineri, et facultatem eligendi devolutam esse ad viciniorem.*

« Advertendum, quod sacrum concilium in casu non electi « doctoris, non quidem præscripsit ut doctor existens ipso jure « electus censeretur, sed tantum ut ad metropolitanum devol- « vatur jus deputandi vicarium. »

Unde quando invalida est electio ex eo quod non fuerit electus doctor, neque valet electio doctoris a minori parte facta, neque a fortiori vicarii capitularis potestatem acquisivit unicus existens doctor qui nulla suffragia habuit; sed electio devolvitur ad Metropolitanum, vel ad antiquiorem suffraganeum, si agatur de metropolitana ecclesia.

Alii casus circa doctoratum commode rejiciuntur ad caput sequens, in quo expenditur an vicarius capitularis de gremio capituli necessario assumi debeat.

Digitized by Google

CAPUT XII

AN VICARIUS CAPITULARIS DEBEAT NECESSARIO ASSUMI DE GREMIO CAPITULI?

« Quamvis autem Sacra Congregatio laudet, ut existentibus « graduatis vel alias idoneis de capitulo, vel de gremio ecclesiæ « cathedralis, in uno istorum deputatio cadere soleat, si tamen « eligatur doctor idoneus extra gremium, non exinde actus re- « manet invalidus. Quinimo id insinuat ipsummet concilium « Tridentinum, dum primo loco agit de confirmatione vicarii « generalis Episcopi defuncti, qui in magnis diœcesibus pro fre- « quentiori contingentia supponendus est exterus. Et quidem id « potius commendabile videtur, ut ego pluries sum expertus : « tum quia ita conciliantur factionariæ divisiones assumendo « tertium, ut neutra canat triumphum, tum etiam quia liben- « tius recognoscitur ac timetur ille superior qui non sit de capi- « tulo..., cum potius apud capitulares vilescat illa persona quæ « quotidie in choro et in sacristia cernitur... Unde propterea, « quemadmodum Episcopo præsente atque ut plurimum extero, « adhuc ob civicas æmulationes ac factiones injungitur *necessi-* « tas habendi vicarium exterum, multo magis fieri deberet, sede « vacante, quoniam ita eligerentur famosi doctores ac personæ « quæ ex aliis jam peractis muneribus in regione sint in magna « æstimatione. » Ita Cardinalis de Luca (*Annotationes ad concil.*, discursu 31, ad finem lib. XIV Theatri veritatis).

In *Thesauro resolutionum* (tomo XXXIII, pagina 56) sic habetur : « Tridentinum sanxit *omnino* capitulum teneri, *officia-* « *lem seu vicarium infra octo dies constituere, vel existentem* « *confirmare, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licen-* « *tiatus, vel alias quantum fieri potest idoneus.* Nihil ultra de « eligendi meritis quæsivit, neque de cive, neque de capitulari, « neque de extraneo; imo extraneum videtur non exclusisse « dum confirmationem prioris vicarii permisit.

« Sacra Congregatio æquitatem secuta est : primum censuit esse « capitularem præferendum extraneo *cæteris paribus;* postmo- « dum etiam utcumque digniori : *In Neritonensi, die 24 julii* « 1643. *Cum alias Sacra Congregatio censuerit in vicarium*

Digitized by Google

« *capitularem eligi posse etiam aliquem extra capitulum; si* « *tamen quis de gremio capituli reperiatur habilis, istum cæ-* « *teris paribus esse præferendum: ideo canonici ecclesiæ cathe-* « *dralis Neritonensis, ad evitandas in hujusmodi electione* « *controversias, supplicant declarari quomodo intelligenda* « *sint verba illa* cæteris paribus; *an ita ut, si in capitulo ades-* « *set habilis eligi posset, etiamsi alius extra capitulum esset* « *magis habilis. — Sacra Congregatio respondit, ita esse in-* « *telligenda, ut sufficiat capitularem habere qualitates a sacro* « *concilio requisitas quod sit doctor vel licentiatus in jure ca-* « *nonico, vel alias idoneus.* Hæc ipsissima verba extant in li- « bro XVII Decretorum. »

His præmissis, ad solutionem variorum casuum qui occurrere possunt deveniamus.

I. Electio non est nulla ex eo *solo* titulo quod electus sit extraneus capitulo. Nam decretum Tridentinum minime requirit ut assumatur de gremio capituli; sed de ea re omnino silet. Sacra autem Congregatio concilii expresse declaravit *in vicarium capitularem eligi posse etiam aliquem extra capitulum.* Ergo licet irrita esse possit electio extranei ob alias causas, non tamen irrita esse potest ex eo *solo* titulo quod sit extraneus.

II. Nec est irrita electio ex eo *solo* titulo quod eligatur extraneus diœcesi. Id quidem non ita expresse et propriis terminis invenimus declaratum; sed facile ex aliis certis deducitur. Nam decretum Tridentinum non requisivit eligi aliquem de clero diœcesis; imo implicite eligi posse extraneum diœcesi declarat, cum permittit confirmari vicarium generalem defuncti Episcopi; vicarius enim generalis Episcopi non tantum potest, sed regulariter debet esse extraneus seu assumi ex alia diœcesi, ut docent communius canonistæ.

III. Si nulli sint doctores in capitulo, aut adsint quidem sed non idonei, adsit autem doctor idoneus extra capitulum, an capitulares teneantur exterum eligere? — Vidimus in superiori capite Cardinalem de Luca negative respondere. Postquam enim dixit necessario eligendum esse doctorem quando adsunt in capitulo doctores idonei, addit : « Secus autem si in capitulo graduati « non adsint, quamvis in civitate vel diœcesi graduati idonei « existant; quoniam potest quidem capitulum aliquem ex eis de-

Digitized by Google

« putare, sed non tenetur; ideoque unum de capitulo quamvis « non doctorem tali casu licite deputare potest. »

Porro illa doctissimi Cardinalis sententia pugnat cum doctrina asserta in *Thesauro resolutionum* (tomo XXXVII, pagina 238) his verbis : *Imo nullis extantibus doctoribus e gremio capituli, edixit* (*Sacra Congregatio*) *eligendum esse doctorem si quis sit extra gremium, ut in Tricaricensi* 1592, *libro* VII *Decretorum, folio* 44. Hinc nobis adhuc remanet dubius casus ille; et posito quod vera sit affirmatio *Thesauri*, dubium remanet an id procedat etiam de doctore diœcesi extraneo.

IV. Existente in gremio doctore idoneo, et extra doctore pariter idoneo et *æque* habili, præferendus est doctor de gremio capituli. — Talem enim *cæteris paribus esse præferendum* expresse declaravit Sacra Congregatio in modo allata decisione.

V. Idem dicendum etiamsi doctor exterus esset *magis* habilis. — Nam eadem Congregatio rogata ut declararet sensum horum verborum *cæteris paribus*, dixit intelligenda esse tantum de paritate quoad qualitates a concilio Tridentino requisitas. Quando ergo doctor de gremio, licet minus habilis, æque habet qualitates a concilio Tridentino requisitas, nempe sufficientem idoneitatem et doctoratum, adhuc præferendus est.

VI. An capitulares, in prædictis duobus casibus, ita teneantur præferre doctorem de gremio, ut irrita censenda sit electio exteri? — Diligentiorem indagationem requirit quæstio illa, in qua reperimus Cardinalem de Luca non esse concordem cum aliis doctoribus, imo nec cum ipsa Sacra Congregatione concilii. Stabiliemus ergo primo doctrinam quæ communior videtur, tum sententiam prædicti Cardinalis expendemus.

Primo, firmatur sententia affirmativa, nempe irritam esse electionem doctoris exteri, licet idonei, existentibus in capitulo doctoribus idoneis. — Vidimus S. Congregationem declarasse *præferendum esse* doctorem de gremio *cæteris paribus*, id est, quando habet et ipse qualitates a Tridentino requisitas. Porro licet verba ista *præferendum esse*, absolute intelligi possent in sensu mere exhortatorio, indicante quid deceat regulariter, non autem eo sensu quod sub nullitate electionis ita agere debeant capitulares, tamen quatenus ea verba proferuntur a Sacra Congregatione, cujus partes sunt jus declarare, dicendum est potius

Digitized by Google

ibi exprimi jus proprie dictum; ita ut alio modo facta electio, sit contra jus, ac proinde irrita. Id autem congruit cum iis quæ legimus apud Pignatellum (tom. VII, consult. 4, n. 1) : « Quamvis « sacrum concilium Tridentinum præcise non arctet ad eligen- « dam personam in vicarium, quæ sit de gremio ipsius capituli, « quoties tamen cumque adest idoneus, cæteris paribus illum « esse præferendum referunt pluries decisum a Sacra Congrega- « tione concilii Quaranta, Riccius, Barbosa, Gavantus; et a Sa- « cra Congregatione super Episcopis (ut in Tranensi 22 februa- « rii 1593; — in Nepesina 10 junii 1602; ac alibi sæpe). Quin « imo ex necessitate, quando in capitulo adsunt doctores in pu- « blica universitate laureati, capitulum teneri unum ex illis eli- « gere in vicarium, alioquin electionem dici nullam, pariter fuisse « decisum per eamdem Sacram Congregationem concilii, testa- « tur Garzias (*De benef.*, part. 5, c. 7, n. 12) his verbis : *Sacra « Congregatio concilii censuit, existentibus doctoribus in capi- « tulo, necessario unum ex illis in vicarium esse eligendum.* »

Idem tenet Leurenius (*Tract. de cap., sede vac.*, cap. 4. quæst. 556) : « Ubi tamen in capitulo adsint doctores in publica « universitate promoti, capitulum ex necessitate teneri unum ex « iis eligere in vicarium, alioquin electionem fore nullam, juxta « declarationem Sacræ Congregationis. »

Secundo, his tamen non obstantibus, Cardinalis de Luca (loco supra transcripto) sic asserit : « Quamvis Sacra Congregatio « laudet, ut existentibus graduatis de gremio, in uno istorum « deputatio cadere soleat, si tamen eligatur doctor idoneus extra « gremium, non exinde actus remanet invalidus. » Quo fundamento existimaverit clarissimus auctor Sacram Congregationem *laudasse* tantum id quod alii putant ab ipsa decisum esse sub nullitate electionis aliter factæ, ignoramus.

Unde diligentius inquirendæ essent et expendendæ prædictarum congregationum declarationes; et si quidem reperiantur clare et constanter respondisse juxta sensum a Leurenio et Pignatello memoratum, relinquendus erit circa hanc quæstionem Cardinalis de Luca. Vidimus præterea laudatum Cardinalem ulterius perrexisse. Attenta scilicet experientia, quæ testatur utilius regi diœcesim per vicarium capitularem exterum, ipsi visum est ordinarie expedire, cæteris paribus, ut exterus præferatur. Huic

Digitized by Google

vero sententiæ nullo modo adhærere audemus, utpote quæ aperte contradicit Sacræ Congregationi declaranti, *cæteris paribus præferendum esse* doctorem idoneum de gremio.

VII. Non existentibus doctoribus neque in capitulo, neque extra capitulum, seu (quod idem est quoad casum), existentibus quidem, sed non idoneis, eædem fere recurrunt solvendæ quæstiones.

Primo. Cum ex jure naturali et ex decreto Tridentino, omnino quoad fieri poterit requiratur idoneus, certum est posse eligi exterum, si nullus sit idoneus in capitulo.

Secundo. Extantibus in capitulo idoneis, non debet deputari exterus. Huc enim redit citata declaratio Sacræ Congregationis : *Si quis de gremio capituli reperiatur habilis, istum cæteris paribus esse præferendum.* Verba autem *cæteris paribus* ibidem declarantur ita intelligenda *ut sufficiat capitularem habere qualitates a sacro concilio requisitas, quod sit doctor vel licentiatus in jure canonico, vel alias idoneus.* Unde quando capitularis, licet non doctor, est *alias idoneus,* anteponi debet extero alias etiam idoneo, sed non doctori.

Tertio. An irrita erit in præcedenti casu electio exteri? — Eadem videtur applicanda solutio ac supra de doctore capitulari et de doctore extero pariter idoneis.

Hinc concludendum, a Sacra Congregatione valde restrictam fuisse libertatem capituli quoad eligendos exteros, quando declaratum est *cæteris paribus* assumi debere de gremio vicarium capitularem, et ista verba *cæteris paribus* explicata sunt de conditionibus a Tridentino requisitis. Hoc ipso enim non poterit eligi exterus nisi quando habebit aliquam ex istis conditionibus qua careant capitulares. Id est, si exterus sit tantum idoneus et non doctor, non poterit eligi existente idoneo de gremio capituli. Item non poterit exterus eligi si sit idoneus et doctor, existente aliquo capitulari doctore simul et idoneo. Unde tunc tantum poterit eligi exterus doctor et idoneus, quando non reperientur in capitulo nisi vel doctores non idonei, vel idonei non doctores.

VIII. Quamvis autem decretum Tridentinum expresse approbet confirmari vicarium defuncti Episcopi, id tamen ex ipso decreti tenore intelligitur, supposito ipsum esse instructum qualitatibus ibi enumeratis et requisitis.

Digitized by Google

Unde quæ dicta sunt de extero, etiam vicario generali defuncti Episcopi applicanda veniunt quando non est simul canonicus.

Et idem dicendum de casu in quo vicarius defuncti Episcopi careat qualitate doctoris : minime scilicet ipsi suffragatur quod fuerit vicarius generalis, si existant in capitulo aut in diœcesi doctores idonei. « Quod si Episcopus demortuus reliquit vica-« rium, quem elegerat cum non esset doctor, capitulum non « debet eum confirmare, sed alium qui sit doctor eligere. » Ita Pignatelli (tom. VII, consult. 4, n. 9), qui affirmat id erui ex decisione quadam Sacræ Congregationis concilii, et citat Garziam (*De beneficiis,* part. 5, c. 7, n. 10), et Barbosam (*Jus eccles.*, l. I, c. 32, n. 50, t. I ; — *De canonicis,* c. 42, n. 50; — *De officio episc.*, part. 3, alleg. 54, n. 168; — ad cap. 16 Trid., n. 26 in fine).

CAPUT XIII

AN IN VICARIUM CAPITULAREM ELIGI POSSIT PAROCHUS?

Hanc quæstionem fuse tractavit Pignatelli (tomo VII, consultatione 4), quem secutus est breviori forma Leurenius (Tractatu *De capitulo, sede vac.,* c. 4, q. 558). Summa autem doctrinæ eorum hæc est :

1° Quoad parochum exterum, id est, qui parochiam habet extra civitatem episcopalem, et a fortiori extra diœcesim, certum est ipsum non posse eligi in vicarium capitularem. Ita tenent doctores communiter, contra paucos qui putarunt parochum excusari a residentia ob exercendum illud munus. Quod ut probet Pignatelli, memorat *primo,* talem parochum, eo quod non sit de gremio capituli, non posse eligi quoties essent in capitulo ornati qualitatibus a Tridentina synodo requisitis; nam *cæteris paribus* tenentur capitulares eligere aliquem de gremio. *Secundo,* ratione curæ animarum prædictus parochus tenetur ad residentiam jure divino atque canonico, ex capite 1 sessionis 23 concilii Tridentini, ut tenent doctores communiter. Nec potest capitulum a residentia illum dispensare, cum nec Episcopus ipse potestatem habeat hujusmodi dispensationis impertiendæ : « Super quo « Episcopus non potest dispensare, ut declaravit Sacra Congre-« gatio concilii in Eginatensi; nec ipse (parochus) acceptando

Digitized by Google

« tale officium debet esse immemor oneris sibi injuncti, cum « detrimento suarum ovium, quas ipse pascere debet, non autem « mercenariis ministris committere... Quod adeo verum est, ut « ne ipse quidem Episcopus absque dispensatione Apostolica « possit habere in sui servitium parochum; nec item potest « illum occupare in servitio ecclesiæ cathedralis, ut nempe sit « vicarius, visitator, secretarius, fiscalis, et hujusmodi alia exer- « ceat officia... Parochus ne resideat nulla excusat consuetudo; « nec, secundum Sacram Congregationem concilii, excusat ser- « vitium Episcopi, aut cathedralis, aut officii sacræ inquisitionis, « aut paucitas ovium... Quaranta... et Possevinus, dicunt Sacram « Congregationem hoc declarasse, nempe *Episcopum non posse* « *uti opera parochi in visitatione vel in alio servitio suæ diœ-* « *cesis, nisi pro tempore permisso duorum mensium, et tunc* « *pro eo tempore idoneus vicarius debet deputari.* » (Pignatelli, loco citato.) *Tertio,* sibi objicit idem auctor casum necessitatis ecclesiæ, quem tradunt auctores tanquam a residentia excusantem; et respondet : « In hoc casu, præterquam quod requireretur dispensatio..., nulla potest considerari urgens necessitas vel utilitas ecclesiæ; cum verisimile non sit alios non reperiri æque idoneos in tota diœcesi, et præcipue in capitulo cathedralis ecclesiæ, cujus canonicos jura præsumunt esse peritos ac consilio maturos. *Quarto,* sibi objicit decisiones quasdam Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium quibus declaratur parochum cathedralis aut alterius ecclesiæ in civitate episcopali, posse eligi in vicarium capitularem; et objectionem hanc vertit in probationem suæ thesis, cum constet « in iisdem declaratio- « nibus declaratum etiam fuisse illas tantum procedere in pa- « rocho habente curam animarum in eadem ecclesia et civitate, « non autem in parocho extero vel diœcesano. »

2° Quoad parochum habentem curam animarum in ipsa civitate episcopali : *Primo,* eum posse deputari in vicarium capitularem (si alia cæteroquin requisita habeat) expresse declaravit Sacra Congregatio Episcoporum et regularium. « Interrogata an, « sede episcopali vacante, canonici eligere valeant in vicarium « capitularem canonicum ejusdem ecclesiæ, qui in eadem civi- « tate et ecclesia curam quoque gerit animarum, ipsa affirmative « respondit; et generatim quod parochus urbanus, tam Episcopi

Digitized by Google

« quam capituli vicarius deputari possit (si habeat alia requisita), « declaravit in Auriensi 19 martii 1610 et 19 julii ejusdem « anni. »

Ratio autem diversitatis inter parochum urbanum et exterum in promptu est. « Quia cum parochia dicatur officium curatum, « quod residentiam requirit causa administrandi sacramenta, et « talis ratio cesset in casu quo parochus habet curam in eadem « cathedrali et civitate, in qua potest quacumque hora residere, « utique nil mirum quod ipse possit exercere officium vicariatus, « non autem parochus exterus vel diœcesanus. » (Pignatelli, loco citato.)

Secundo, « de cætero tamen generale est parochum et vicarium « esse officia male compatibilia ; ex eo quod ut quis bene exerceat « alterum ex dictis officiis, alteri necessario deesse cogitur. Unde « licet talis parochus urbanus habens in ipsa cathedrali curam « animarum, vel ex hoc ipso residere censeatur residentia mate- « riali quod habitet in urbe, non tamen censebitur residere resi- « dentia formali, quæ consistit in exercitio muneris pastoralis, ad « qualem tenentur parochi... (Tridentinum, sess. 23, c. 1... in- « culcat residentiam qua *pascat et regat.*) Non, inquam, cense- « bitur residere residentia formali, si ea quæ muneris pastoralis « sunt, vi muneris vicarii exercere impediatur. » (Leurenius, Tract. *De capitulo, sede vac.*, c. 4, quæst. 558.) —« Hinc gene- « raliter, esse parochum et vicarium, sunt officia male compa- « tibilia in eadem persona, ex Sacra Congregatione super Epis- « copis (19 junii 1603) ; ex eo quod ut quis bene exerceat alterum « ex dictis officiis, alteri necessario deesse cogitur, ex eadem « Congregatione, in Sutrina, 16 novembris 1640. » (Pignatelli, loco cit., n. 6.)

Tertio, advertendum est quod docent canonistæ de loco habitationis vicarii capitularis. « Iste tenetur habitare in episcopio, ut, « ex mente Sacræ Congregationis super Episcopis, resolvit Ric- « cius (resol. 116, n. 1 et 2) ; ubi advertit nihil obstare quod « Episcopus in quacumque parte suæ diœcesis sibi benevisa « possit pro tribunali sedere ; quia in his et similibus vicarius « non æquiparatur Episcopo, cui major et liberior facultas con- « cessa est. » (Pignatelli, loco cit., n. 8.)

Ex præallatis auctoritatibus et rationibus sic videtur conclu-

Digitized by Google

dendum : 1° In vicarium capitularem eligi non potest parochus curam animarum extra civitatem cathedraticam habens, talisque electio esset irrita. 2° Valida esse potest electio parochi urbani, cum absolute evenire possit ut aliquis duobus illis muneribus sufficienter satisfaciat, et aliunde non obstet in hoc casu lex residentiæ. 3° Regulariter tamen illicita erit illa electio, quia ordinarie probabilius est talem duobus muneribus sufficienter non satisfacturum.

CAPUT XIV

QUÆNAM ÆTAS REQUIRATUR IN VICARIO CAPITULARI, ET QUINAM ORDO SACER?

I. « Ætatem 23 annorum permitti posse in vicario capitulari, « si alias est idoneus, non tamen id expedire, ait Barbosa (*Jus « eccles.*, l. I, c. 32, n. 54), sic declaratum testans a Sacra Con- « gregatione concilii (11 augusti 1614). Verumtamen, præscin- « dendo a dicta declaratione, rectius dici videtur ob paritatem « rationis, requiri in eo ætatem ad mininum 25 annorum; dum « vi Tridentini ad quascumque dignitates quibus cura animarum « subest, requiritur ut promovendus 25 ætatis annum *attigerit.* » (Leurenius, Tractatus *De capitulo, sede vac.*, c. 4, *q.* 559.)

Concilium Tridentinum requisivit quidem 25 annos quoad Dignitatem cui annexa est cura animarum; sed cum sustineri possit vicarium capitularem non esse Dignitatem, non attingitur hoc decreto.

II. An vicarius capitularis debeat esse constitutus in sacris ordinibus? — « Respondeo id non requiri; sed posse, non « minus a capitulo, sede vacante, quam ab Episcopo, in vica- « rium eligi clericum primæ tonsuræ. » (Leurenius, loco citato, plures adducens auctoritates.)

III. An deputari possit illegitimus? — « Respondeo negative : « eo quod qui etiam solum ad interim pro tempore vacantiæ « statuuntur superiores ordinarii (qualis est dictus vicarius) de- « beant esse legitimi. » (Leurenius, loco citato.) Unde licet aliquis clericus obtinuerit dispensationem super illegitimitate natalitiorum, ad suscipiendos ordines, non tamen absque nova dispensatione potest assumi in vicarium Episcopi vel capituli; sicut

Digitized by Google

idem, dispensatus in natalitiis pro episcopatu, indiget nova dispensatione ut fiat Archiepiscopus.

CAPUT XV

AD QUEM DEVOLVATUR DEPUTATIO VICARII CAPITULARIS, TUM IN CASU NON FACTÆ ELECTIONIS A CAPITULO INTRA DEBITUM TEMPUS, TUM IN CASU NULLITER FACTÆ, ET QUALE SIT JUS ILLIUS AD QUEM FIT DEVOLUTIO?

§ 1

CASUS ELECTIONIS NON FACTÆ INTRA DEBITUM TEMPUS

I. Jam sub capite 5 retulimus Tridentinæ synodi de hac re decretum. Illam autem Tridentinam dispositionem explanat Benedictus XIV (*De syn. diœc.*, l. II, c. 9, n. 2) his verbis. « Tenetur « capitulum intra octo dies post mortem Episcopi, aut aliter « inductam ecclesiæ vacationem, seu verius, ab habita vaca- « tionis notitia vicarium constituere, per quem jurisdictionem « ad se devolutam exerceat. Quod si in vicario intra octo dies « eligendo negligens fuerit, tunc, si agatur de ecclesia suffra- « ganea, ad Metropolitanum ; si de ipsa ecclesia metropolitana, « ad antiquiorem ex suffraganeis ; si de ecclesia exempta, ad « propinquiorem Episcopum electionem vicarii pertinere, voluit « Tridentinum (sess. 24, c. 16). Idemque juris est si ecclesia va- « cans careat capitulo, a quo vicarius constitui queat. Si tamen « contingat vacare ecclesiam suffraganeam carentem capitulo, « tempore quo etiam metropolitana est suo pastore viduata, in hoc « casu electionem vicarii non spectare ad antiquiorem ex suffra- « ganeis, ut nonnulli opinabantur, sed ad capitulum vacantis ec- « clesiæ metropolitanæ, censuit Sacra Congregatio concilii ; a « qua cum quæsitum fuisset : Primo, *an vacante ecclesia suffra- « ganea capitulo carente, illius administratio et vicarii, sede « vacante, deputatio spectet ad Metropolitanum? Et quatenus « metropolitana ecclesia pastore careat* — Secundo, *an spectet « ad capitulum ejusdem ecclesiæ metropolitanæ, vel potius ad « antiquiorem suffraganeum Episcopum?* Eadem (die 28 augusti « 1683 — libro XXXIII Decretorum, pag. 261), ad primum res-

Digitized by Google

« pondit *affirmative:* ad secundum, *spectare ad capitulum* « *metropolitanæ.* Idemque responsum dedit die 14 aprilis 1685 « (l. xxxv Decret., pag. 190). »

II. Si tamen ille, ad quem devolvitur jus deputandi, illo non statim utatur, et capitulum interea post assignatos a jure octo dies suam electionem compleat, an valebit ista electio? — Illam valere (si adsint alias requisita) tenent doctores communiter, modo capitulum *purget moram*, id est, exponat se non ex mera negligentia, sed ex causa electionem ultra tempus protraxisse.

§ 2

CASUS ELECTIONIS NULLITER FACTÆ

Vel nulla est eo quod sit contraria decreto Tridentino, vel aliunde : non violatur scilicet decretum Tridentinum nisi in duobus casibus : 1° quando non fit electio intra octo dies; 2° quando non eligitur doctor, vel isto deficiente, alias idoneus. Electio autem potest esse nulla ex multis aliis capitibus ; verbi gratia ex eo quod omnes capitulares non fuerint vocati, et similibus.

I. Quando nullitas aliunde provenit quam ex violatione decreti Tridentini, non habet locum quod dicitur in illo decreto de devolutione ad Metropolitanum, vel ad antiquiorem, vel ad viciniorem Episcopum. Dispositio enim Tridentina non decernit hanc devolutionem nisi in prædictis duobus casibus. Unde qui, extra illos duos casus, contendit electionem fuisse nullam debet adire tribunal superius respective ad capitulum, seu superiorem capituli, id est Sacram Congregationem concilii quando agitur de capitulo ecclesiæ metropolitanæ vel exemptæ. Si autem illud tribunal pronuntiet nullitatem, debebunt capitulares ad novam electionem procedere. Sacra autem Congregatio concilii solet usque ad exitum causæ manutenere eum cujus electio controvertitur, supplendo ipsi auctoritatem in quantum indigeret ; vel etiam aliquem ipsa deputat pro toto sedis vacantis tempore. (Vide Leurenium, Tract. *De capitulo, sede vac.*, c. 4, quæst. 554.) Si autem declararet tantummodo nullitatem, nihil aliud statuendo, deberet ut diximus capitulum ad novam electionem procedere intra octo dies a cognita sententia nullitatis.

Digitized by Google

II. Quando nullitas provenit ex violatione dispositionis Tridentinæ, an hoc ipso statim possit Metropolitanus, vel respective antiquior ex suffraganeis, vel vicinior Episcopus, ipse vicarium capitularem deputare? — Potest quidem ita statim deputare in casu omissæ electionis, ut vidimus supra. Statim scilicet expletis octo diebus potest ille ad quem electio devolvitur vicarium eligere et constituere. At in altero casu quo locum habet devolutio, in casu nempe electi *non doctoris* vel *non idonei*, an statim vicarium deputare possit? Controvertitur. Duplicem enim circa illum casum reperimus sententiam.

Juxta sententiam Pignatelli non potest in hoc casu metropolitanus ipse statim deputare vicarium ad regendam ecclesiam suffraganeam vacantem; sed debet monere capitulum de nullitate electionis factæ, et ipsi terminum constituere ad novam faciendam electionem. Quod sic exponit et probationibus firmat prædictus auctor:

« Videtur repugnare (ait Pignatellus, t. VIII, consult. 34, « n. 8), non solum concilio Tridentino, sed etiam toti juri cano- « nico, ut superior ad quem devolvitur electio vel collatio ob « negligentiam vel malam electionem inferioris, non possit « conferre, sed debeat eidem inferiori novam collationem vel « electionem demandare. Hic enim est effectus devolutionis, ut « ea facultas quæ inferiori competebat transeat in superiorem, « illaque pro ea vice destitutus remaneat inferior in pœnam suæ « negligentiæ vel culpæ in non conferendo vel male confe- « rendo. » Hanc rationem postquam evolvit citatus auctor, concludit nihilominus in contrarium, his verbis:

« His tamen minime obstantibus, censeo respondendum, men- « tem concilii fuisse inducere dictam devolutionem ad metropoli- « tanum in casu non factæ electionis intra terminum octo « dierum; non tamen si in tempore facta fuerit sed nulliter de « non doctore, existentibus doctoribus. Devolutio enim hujus- « modi est pœna imposita principaliter ob negligentiam in ge- « rendo actu; quæ non debet extendi ad casum quo actus quidem « gestus fuit, sed nulliter; cum minus sit peccare in qualitate « quam in substantia; maxime quia erratum fuit in intelligen- « tia concilii, dum credebatur ex verbis illius alternativis (1)

(1) *Qui sit doctor vel alias idoneus.*

Digitized by Google

« posse eligi, vel doctorem, vel alias idoneum ; qui error excusat « a pœna ; ut excusat quælibet causa etiam irrationabilis ; et ad « hoc sufficit probabilitas credulitatis..... Regulariter concedi- « tur aliquid fieri per secundum actum, quando per primum « non valuit, nec fuit satisfactum menti disponentis. » Postea probat Pignatellus ita sentire Sacram Congregationem concilii, adducendo inter alias sequentem decisionem. In Mazariensi, 19 decembris 1569 : *Archiepiscopus constituere debet capitulo octo dierum spatium ad eligendum vicarium doctorem, casu quo elegisset non doctorem ; et eo non electo omnis potestas ad Archiepiscopum transfertur.* Addit autem Pignatellus :

« Neque vim facere debent in contrarium declaratio facta « 24 februarii 1594 et aliæ concordantes, quod stantibus in « capitulo doctoribus, necessario unus ex illis eligatur, alioquin « deputatio ad Metropolitanum devolvatur. Quia... devolutio « prædicta intelligitur in casu electionis non doctoris quando « post octo dies *a remissione* ad idem capitulum nova electio « facta non esset, ut bene explicat dicta declaratio in Mazariensi « anni 1569, ibi : *et eo non electo in termino assignato ab Ar-* « *chiepiscopo.* »

Nihilominus Monacelli (*Formularium*, tit. 1, formula 2, adnot. 5) existimat derelinquendam esse illam Pignatelli sententiam, et potius adhærendum Quarantæ (*Summa bullarii*, verbo *Archiepiscopi auctoritas*, n. 35), Barbosæ (ad conc. Trid., sess. 14, c. 16, n. 28 ; — *Jus ecclesiæ*, l. I, c. 7, n. 102) ; Ventrigliæ (*Praxis*, tit. De jurisd. Archiepiscopi, c. 49, n. 23) ; Cardinali de Luca (*De canonicis* discursu 24, n. 7 ; — et discursiu 25, n. 4). Hi nempe auctores tenent illa concilii Tridentini verba, *si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur*, utrumque casum pariformiter comprehendere ad effectum devolutionis ; ita scilicet ut capitulum, sive negligat suam facultatem exercere intra octo dies, sive male exerceat inhabilem eligendo, pro illa vice privetur tali facultate, quæ devolvatur ad Metropolitanum, vel viciniorem Episcopum juxta dispositionem concilii.

Ego tamen existimo tenendam potius sententiam Pignatelli, ob decisionem præsertim Sacræ Congregationis concilii, in citata causa Mazariensi.

Digitized by Google

§ 3

CASUS APPELLATIONIS INTERJECTÆ A CAPITULO CONTRA DEPUTATIONEM VICARII FACTAM A METROPOLITANO

Si nempe capitulum contendat suam electionem esse canonicam, nec velit novam facere, et Præsul ad quem spectat, illam pro irrita habens, ratione juris ad se devoluti alium deputet vicarium capitularem, et ab eo actu appellent capitulares, quæritur et multum interest scire utrum appellatio habeat effectum suspensivum, ita ut interea vicarius a Præsule deputatus nullam possit exercere jurisdictionem. Sic casum resolvit Cardinalis de Luca (*Annotationes ad conc. Trid.*, discursu 31, n. 26) : « Atque « ubi unus ex prædictis superioribus, jure devoluto, manus de- « super apponat, disputari quandoque consuevit, an appellatio « quæ ab eo interponatur, effectum suspensivum causare debeat « necne. In casus autem contingentia, *pro negativa* per Sacram « Congregationem resolutum fuit, ex rationibus insinuatis in « meis Adnotationibus ad materiam capituli et rerum capitu- « larium (titulo *De canonicis*, disc. 25). »

§ 4

QUÆNAM REQUIRANTUR QUALITATES IN VICARIO QUEM DEPUTAT METROPOLITANUS EX JURE AD SE DEVOLUTO

Quoad qualitates requisitas in vicario quem deputat Metropolitanus (vel respective antiquior vel vicinior Episcopus), in casu juris sibi devoluti, eædem sunt ac in vicario a capitulo deputando. Unde quem non potuisset valide eligere capitulum, nec eum deputare poterit Metropolitanus. Quod adnotamus dumtaxat, utpote certum et extra controversiam omnem positum.

§ 5

QUID SI MORIATUR VICARIUS A METROPOLITANO EX JURE AD IPSUM DEVOLUTO CONSTITUTUS

Sic habet de hoc casu Monacelli (*Formularium*, tit. 1, form. 2, adnot. 6) : « At si vicarius deputatus per Metropolitanum vel

Digitized by Google

« viciniorem Episcopum, ob negligentiam vel malam electionem « capituli, decederet, tunc posset capitulum novum eligere « vicarium infra octo dies, ut prius, quia pro prima vice tantum « jus amisit. » Ita etiam Barbosa (*Jus eccles.*, c. 7, n. 102), et ut certum haberi debet.

CAPUT XVI

QUID DE COLLEGIATIS, VACANTE SEDE SUI PRÆLATI, JURISDICTIONEM QUASI EPISCOPALEM HABENTIS ?

Duplex quoad tales collegiatas occurrit quæstio : 1° Utrum jurisdictio transeat ad capitulum ; 2° utrum capitulum *ligetur* decreto Tridentino præcipiente deputari infra octo dies vicarium capitularem.

§ 1

MORTUO PRÆLATO INFERIORI, JURISDICTIONEM QUASI EPISCOPALEM HABENTE, JURISDICTIO TRANSIT AD CAPITULUM COLLEGIALE

Sat longo tempore in controversia fuit illa quæstio apud doctores. Non pauci existimarunt in dicto casu jurisdictionem minime transire ad capitulum collegiale, sed devolvi ad Episcopum seu Archiepiscopum illius Cathredralis quæ est ecclesia matrix relative ad collegiatam. Contraria tamen sententia prævaluit et jam sola tenenda est. « Verumtamen, ait Fagnanus (in c. « *His quæ*, De major. et obed., n. 48, in 2 part., I libri Decreta- « lium), communiter tenetur ut capitulum succedat in illa; tum « propter auctoritatem Abbatis (1) et eorum quos allegat, tum « propter consuetudinem, quæ est optima dubiorum interpres; « et de ipsa (consuetudine) testantur doctores. Hanc etiam opi- « nionem communiter teneri affirmat Joannes Franciscus Pan- « vinus ; eamque secuta est Rota (in Burgensi, 22 junii 1611, « recentiorum, parte 1, decisio 346), ubi resolvit capitulum col- « legiatæ ecclesiæ de Covarruvias, cujus Abbas jurisdictionem « habet quasi Episcopalem cum territorio separato, sede Abba- « tiali vacante, succedere in jurisdictionalibus, et, in specie,

(1) Hanc sententiam sustinet Abbas Panormitanus, dum disserit in caput *His quæ*, de majoritate et obed., n. 2.

Digitized by Google

« in jure visitandi, sicut capitulum ecclesiæ cathedralis. »

Cardinalis de Luca (*De jurisdictione*, discursu 54) dicit se de eodem casu rogatum sententiam dicere, respondisse in favorem capituli, atque ita exponit suæ decisionis rationes: « Quoniam « dispositio sacri concilii Tridentini (sess. 24, c. 16), per quam « præscribitur forma deputationis vicarii faciendæ per capitu- « lum, sede vacante, ita procedit in cathedralibus et metropo- « litanis, ac in inferioribus ecclesiis exemptis quarum Prælatus « habeat jurisdictionem ordinariam cum territorio separato et « *nullius;* quoniam eadem est proportio, ut patet ex verbis « concilii : *Et si ecclesia ipsa metropolitana fuerit, aut* « *exempta, capitulumque negligens fuerit, tum antiquior* « *Episcopus in metropolitana, et propinquior in exempta, œco-* « *nomum et vicarium, etc.* Quod etiam comprobatur ex decla- « ratione Sacræ Congregationis, registrata apud Garziam (*De* « *beneficiis*, part. 5, c. 7, n. 20. — Barbosa, *Collect. in conc.* « *Trid.*, c. 16, n. 30). Et supponitur absolutum per Rotam « (decisione 146, p. 1, rec.) : et merito; quoniam, licet de jure « communi apud scribentes deductos per Fagnanum (loco supra « citato) id esset in quæstione, attamen ista (quæstio) sopita vide- « tur per dictum conciliare decretum, per quod ita præsuppo- « sitive canonizata remansit ea opinio, quæ etiam in puncto « juris verior censenda est. Cum enim hujusmodi Prælati cum « territorio separato... sub Ordinariorum nomine veniant,.. se- « quitur quod, Prælato defecto, ex eadem ratione cujusdam « juris non decrescendi, ob quam in capitulo cathedralis rema- « net ecclesiæ administratio, idem in omnibus in hujusmodi « ecclesiarum capitulis dicendum venit, cum nulla dignosci « videatur ratio differentiæ. »

Unde quæstio olim quidem fuit aliquatenus dubia; sed nunc, tum ob recentiorum doctorum unanimitatem, tum præcipue ob praxim et decisiones Sacræ Congregationis concilii et Rotæ, tanquam certum tenendum est in prædictis collegiatis jurisdictionem transire ad capitulum.

Hoc tamen applicandum est cum aliqua restrictione collegiatis ecclesiis tituli cardinalitii; nam quamvis, mortuo Cardinali, ad capitulum transeat jurisdictio, tamen (in capite *His quæ*, De major. et ob.) Summus Pontifex Honorius III ab illa jurisdic-

Digitized by Google

tione excepit correctionem, excommunicationem, suspensionem et interdictum : *Quando autem ecclesia ipsa Cardinali vacabit, capellani et clerici memorati eidem ecclesiæ reverenter exhibeant omnia supra dicta; excepto quod de correctione, et excommunicatione et suspensione ipsorum, pro bono pacis, nostræ providentiæ reservamus.*

§ 2

AN CAPITULUM COLLEGIATÆ, MORTUO PRÆLATO, JURISDICTIONEM QUASI EPISCOPALEM HABENTE, POSSIT JURISDICTIONEM PER SE IPSUM EXERCERE ; AN VERO TENEATUR, SICUT CAPITULUM CATHEDRALE, VICARIUM INFRA OCTO DIES DEPUTARE?

« Animadvertendum dispositionem concilii Tridentini in « dicto capite 16 sessionis 24, procedere in capitulo cathedralis « et metropolitanæ ecclesiæ dumtaxat, ut patet ex illius con- « textu, et declaravit Sacra Congregatio ejusdem concilii in- « terpres. Nam proposito dubio, an decretum concilii (sess. « 24, c. 16) quod capitulum, sede vacante, constituere debeat « vicarium qui saltem in jure canonico sit doctor vel licentiatus, « locum habeat etiam in collegiata, defuncto ejus Prælato, qui « ordinariam jurisdictionem et omnia jura episcopalia habeat : « Sacra Congregatio censuit, *non habere locum.* » (Fagnanus in c. *His quæ*, De major. et obed., n. 77.)

Ergo hæc capitula possunt jurisdictionem per seipsa exercere; et si quem vicarium deputent, non necesse est ut ille sit gradibus academicis decoratus.

CAPUT XVII

QUOMODO A CAPITULO PERAGI DEBEAT ELECTIO UT SIT LEGITIMA?

Hæc magni momenti quæstio plures complectitur materias, quas in totidem paragraphos distribuemus.

§ 1

AN ELECTIO NECESSARIO FACIENDA SIT PER SECRETA SUFFRAGIA ?

I. Certum est præscriptam fuisse formam suffragiorum secretorum in electione Episcopi quando ad capitula pertinebat hu-

Digitized by Google

jusmodi electio. Ita enim expresse decretum est in concilio generali Lateranensi, sub Innocentio III (cap. *Quia propter, De electione*, in l. 1 Decretalium, tit. 6). Item certum est in electione Prælatorum et officialium apud ordines religiosos procedi debere per secreta vota; ut stricte mandat Tridentina synodus (sess. 25, c. 6, *De regularibus*). Inde olim aliqui auctores inferebant formam suffragii secreti esse pariter necessario servandam a capitulo in electione vicarii capitularis, vacante sede.

II. « Non tamen subest necessitas servandi illam scrutinii « formam quæ per sacros canones præscripta est in electione fa- « cienda de Prælato vel pastore ecclesiæ viduatæ; cum ista « (*nempe electio vicarii capitularis*) vere non sit electio, sed « simplex deputatio;... adeo ut alia non exigatur superioris con- « firmatio..., sive concessio litterarum patentium, sine quibus « deputatus illico administrare potest. » (Cardinalis de Luca, *Adnotationes ad conc. Trid.*, disc. 31, n. 24.) Non teneri capitulares ad servandam formam capitis *Quia propter*, iterum monet idem Cardinalis de Luca sub titulo *De canonicis* (discursu 26, n. 4); et memorat declarationem Sacræ Congregationis concilii a Garzia relatam (*De beneficiis*, part. 5, c. 7, n. 22), quæ omne dubium tollit. Postea, testans ita etiam frequenter a Rota fuisse decisum, remittit ad sequentes decisiones : 289, n. 30 et 38, partis 6 recentiorum; — 210, n. 9, partis 9; — Addend. ad Buratt., decis. 809, n. 19.

III. Nec erui potest obligatio servandæ scrutinii formæ ex supra memorato capite 6 sessionis 25 concilii Tridentini; cum decretum illud regulares tantum respiciat.

IV. Ergo tum ob communem doctorum sententiam, tum ex prædictis rationibus, tum præcipue ob declarationes Rotæ et S. Congregationis concilii, tanquam certum tenendum est, nullo modo obligari capitulares ad procedendum per secreta suffragia in eligendo vicario capitulari. Laudabiliter tamen illam formam adhibebunt, utpote ad vitanda multa incommoda idoneam.

Digitized by Google

§ 2

AN NUMERANDUM SIT VOTUM QUOD SIBI IPSI ALIQUIS DARET

Si quis, verbi gratia, medietatem suffragiorum jam obtinuisset, et proprium suum votum ipse sibi adderet, an reputandus esset pluralitatem consecutus? A tali quidem agendi ratione refugere multo magis humilitati christianæ congruit, (nisi forte in extraordinariis aliquibus circumstantiis evidenter immineret diœcesi periculum, si aliter compleretur electio); sed aliud est aliquid esse minus decorum, aliud esse invalidum; unde et casus ille in jure canonico expenditur.

Accidisse autem casum in capitulo Matheranensi, anno 1649, refert Cardinalis de Luca (*De canonicis*, discursu 26). Berardinus Marra medietatem votorum obtinens, ipse sibi suum dedit suffragium et in vicarium capitularem recognitus est. Ortis tamen reclamationibus, et lite ad Sacram Congregationem concilii delata, in ipsius favorem responsum est; electio nempe habita fuit ut valida.

Et ita revera concludendum probat dictus Cardinalis validis rationibus. Nam 1° licet ex capite *Quia propter*, et ex capite *Cumana, De electione*, non fas sit ulli proprium sibi suffragium tribuere, hæc capita agunt de electione proprie dicta, non autem de simplici deputatione quæ sola requiritur quoad vicarium capitularem, sede vacante. 2° In prædictis textibus prohibetur quisque sibi dare votum in actu scrutinii secreti, quia hoc ambitionem argueret; sed declaratis votis, qui videt se medietate votorum donatum, jam ambitionis non ita argui potest, si judicio mediæ partis accedens, et suffragium quod alteri dederat retrahens, illud in seipsum convertat. Ita ut dare sibi ipsi votum hoc modo, per accessum nempe ad mediam partem capituli, non censeri debeat citatis textibus prohibitum. 3° Præterea sicut non arguitur ambitionis qui acceptat vicariatum ab Episcopo oblatum, ita non arguendus qui consentit capitularium medietati idem offerenti. 4° Caput *Cum in jure, De electione*, id licitum esse sat clare declarat. Cujus capitis materia sic breviter exponitur in titulo ipsi præfixo : *Si ex septem, tres eligunt quartum, et ille consentit, confirmabitur electio.* Porro dispositio hujus

Digitized by Google

textus juris, non est sublata nec correcta, sed etiam hodie viget et est attendenda, quoties in electione non est de necessitate adhibenda forma expressa in capite *Quia propter;* ut observat cum Pignatello Leurenius (*Tract. De capitulo, sede vac.,* quæst. 551, n. 4).

Ergo publicato scrutinio, poterit electus a medietate capitularium adhærere votantibus pro se, et sic determinare et sibi acquirere pluralitatem suffragiorum. « Idem est, ait Leurenius « (loco cit.), dum esset processum non per secretum scrutinium, « sed per publica suffragia... Quam doctrinam communiter re- « ceptam testantur Navarrus (cons. 6, *De elect.*, n. 5) et Rota (in « *Cæsaraugustana,* 26 junii 1646). »

§ 3

AD QUOS PERTINEAT VICARIUM CAPITULAREM ELIGERE

Otiosa quidem videri posset illa quæstio, cum ex antea dictis abunde constet, electionem hanc ad capitulum pertinere. At vero inde oriuntur difficultates, quod ambiguum aliquando esse possit an talis censendus sit de capitulo quoad actum deputandi vicarii, et an, licet de capitulo, jus amiserit suffragii. Unde accurate hæc materia expendenda est.

I. Certum est electionem vicarii capitularis ita pertinere ad capitulum, ut excludatur clerus diœcesis. — Eruitur ex capite *Cum olim*, *De major. et obed.*, ex capite unico ejusdem tituli in sexto; et ex capite 16 sessionis 24 concilii Tridentini. Id firmat perpetua observantia. Ita communiter tenent doctores. Et tandem huic principio tanquam certissimo adhærent Congregationes Romanæ in suis declarationibus.

II. An electio vicarii capitularis ita pertineat ad capitulum, ut excludantur Dignitates cathedralis?— Expendimus supra (parte I, sect. 2, c. 1 et 5) utrum Dignitates sint necne de capitulo; et probavimus, *de jure* quidem *communi,* eas non esse de capitulo; ex *statutis* autem ecclesiarum et *consuetudine*, posse esse vere et proprie de capitulo, et talem de facto vigere frequentissimam et laudabilem praxim. Quando ergo, ex statutis vel ex consuetudine, Dignitates omnia jura canonicorum etiam jurisdic-

Digitized by Google

tionalia participant, ad ipsas sicut ad cæteros canonicos pertinet vicarii capitularis electio; unde convocari debent ex necessitate; ita ut aliqua ex ipsis non vocata, cum vocari posset, et ipsa reclamante, electio sit hoc ipso irrita. Ubi vero nec ex statutis particularibus, nec ex consuetudine, Dignitates habentur tanquam de capitulo, nullum jus habent sese immiscendi in vicarii capitularis electione.

III. An electio vicarii capitularis ita pertineat ad capitulum, ut excludantur beneficiati inferiores canonicis, quocumque vocentur nomine? — Difficultas inde oritur quod aliquibus in locis, hujusmodi capellani, vel portionarii, vel sub alio nomine beneficiati inferiores, ex statutis particularibus aut inveterata consuetudine, obtineant stallum in choro et vocem in capitulo; unde et vacante sede ad vicarii capitularis electionem se esse vocandos contendere possunt. Hanc difficultatem discussam et solutam fuisse reperimus a tribunali Rotæ (decisione 144, et decisione 251, partis XIX, recentium) :

Primo, memorat Rota principium generale, capitulum cathedrale constare solis canonicis, attento jure communi. « Quo « attento, capitulum cathedralis ecclesiæ de solis canonicis con- « stare intelligitur, eaque vocis acceptio absolute sumpta *stat in* « eo tanquam principaliori significato (ex celebri glossa ad caput « penultimum, *De clericis non resid.*, ad verbum *Assisios;* — « Barbosa, *De canonicis*, c. 4, n. 37...). Constituunt enim corpus « unum cum Episcopo tanquam capite; eosque *senatum ecclesiæ* « appellarunt, et in his senatoriam auctoritatem agnoverunt « sancti Patres Ignatius (in *Epist. ad Smyrnenses*) et Hierony- « mus (in *Epist. ad Tit.*, c. I); cum quo et ejus consilio Epi- « scopus graviora ecclesiæ tractaret et administraret (can. Epi- « scopus, 24 dist. — Cap. *Nullius causam* 15, quæst. 7); unde « et fratres Episcopi dicuntur, capite *Quanto*, *De his quæ fiunt* « *a Prælato.* » (Rota decis. 251, n. 1, rec.)

Secundo, ostendit Rota huic generali principio posse absolute dari aliquam exceptionem : « hæc utcumque verissima, non « tamen excludunt quin et alii præter canonicos ingredi possint « mysticum corpus capituli, et votum in eo habere, ac dici de « capitulo; sive privilegio, sive statuto, sive consuetudine : sed « ea tenus tantum quatenus privilegium, statutum aut consue-

Digitized by Google

« tudo largiatur, nec ultra : cum limitata causa limitatum pariat « effectum. » (Ib., n. 6.)

« Quamvis enim regulare sit, quod appellatione capituli ve- « niant solæ Dignitates et canonici, ipsique soli dicantur de ca- « pitulo privative quoad alios beneficiatos (juxta vulgarem glos- « sam ad caput penultimum *De clericis non residentibus*, verbo « *Assisios.* — Barbosa, *De canonicis*, c. 4, n. 37; — Rota, deci- « sio 183, n. 1, partis I, recentium, — et decisio 4, n. 5, partis II, « rec.; — et decisio 76, n. 4, partis VI, rec.; — et decisio 237, « n. 1, coram Celso; — et decisio 27 novembris 1671, in *Ave- « nionensi*, § I, coram Rondinino), cessat tamen assertio, utcum- « que universalis, ubi ex specialibus constitutionibus alicujus « ecclesiæ, aut inveterata et approbata consuetudine obtineret, « ut alias beneficiati essent de capitulo et capituli appellatione « comprehenderentur.

« Et quoad electionem vicarii capitularis,... cum sit ex præ- « cipuis actibus capitularibus, merito ab omnibus qui sunt de « capitulo geri debet... Hocque non pugnat cum decisione con- « cilii Tridentini (sess. 24, c. 16) : cum enim generaliter conci- « lium statuat, *Capitulum, sede vacante*, etc., jam omnes qui « sunt de capitulo comprehendit et neminem excludit. Et esto « quod extra illud caput nonnunquam ita loquatur ut capitulum « ad solos canonicos (1) restringat, id tamen facit respiciens ad « id quod ut plurimum accidit; cum non sit adeo frequens ut « capellani capitulum constituant, sed aut solis particularibus « statutis aut approbata consuetudine. » (Rotæ decisio 144, parte XIX, recentium.)

Tertio. Hæc principia applicat Rota ad beneficiatos de quibus agebatur in causa, et qui revera ex statutis capitularibus suæ ecclesiæ habebant vocem in capitulo. Cum vero non expresse dicerent illa statuta id intelligi etiam *in jurisdictionalibus*, nec idem ex observantia constaret, judicavit Rota id intelligendum esse tantum *in œconomicis*, id est respicientibus massam et commune interesse ipsorum et capituli; et beneficiatos a sua prætentione dejecit quoad jus eligendi capitularis vicarii.

« Ea enim mens est Sacrosancti concilii Tridentini (sess. 24,

(1) In textu legitur *capellanos*, et *nonunquam*; quæ typi menda ex sensu correximus.

Digitized by Google

« c. 16), ut scilicet electio vicarii capitularis ad solum capitulum « canonicorum pertineat; etiamsi portionarii, beneficiati et ca- « pellani haberent vocem in capitulo cum canonicis; cum in dis- « positionibus pertinentibus ad capitulum veniant canonici soli « et non alii qui de consuetudine vocem habeant in capitulo « (Fagnanus, in c. *Nullus*, *De elect.*, n. 39 et seq.). Cum enim « vita functo Episcopo jurisdictio devolvatur ad capitulum; de « capitulo proprie dicto id accipi debet, quod ex solis canonicis « constat, et non de capellanis... qui non sunt de capitulo quoad « jurisdictionalia. » (Rota, decisio 251, n. 27, partis 19, recentiorum.)

Quarto. Ex hac discussione concludendum videtur electionem vicarii capitularis nunquam pertinere ad beneficiatos canonicis inferiores : vel enim ex statutis et consuetudine habent vocem in capitulo etiam quoad jurisdictionalia, et tunc sunt veri canonici et improprie dicuntur beneficiati inferiores; vel non habent vocem in jurisdictionalibus sed tantum in œconomicis, et tunc ex rationibus et decisione Rotæ, ad ipsos non spectat vicarii capitularis deputatio.

IV. Applicanda hic veniunt quæ supra generatim dicta sunt (parte I, sect. 4) de canonicis qui carent voce activa in *capitulo*. Tales sunt : 1° qui nondum sacros ordines recepere; 2° qui nondum receperunt ordinem annexum canonicatibus ad quos promoti sunt; 3° suspensi, interdicti et irregulares; 4° irretiti excommunicatione majori, si fuerint denuntiati : nam licet excommunicati excommunicatione majori, si non fuerint denuntiati, servant vocem activam, non tamen passivam. Et, si constet de hac excommunicatione, possunt alii capitulares hujusmodi excommunicatos non denuntiatos expellere; sed possunt etiam in comitiis admittere. Denuntiati autem si admitterentur, hoc ipso irritus remaneret quilibet capitularis actus. Excommunicati vero excommunicatione minori, servant vocem activam, sed carent passiva.

Digitized by Google

§ 4

ELECTIO VICARII CAPITULARIS NON SPECTAT AD CANONICOS UTI SINGULOS, SED AD CAPITULUM; UNDE AD NIHIL INSERVIUNT SUFFRAGIA EXTRACAPITULARITER DATA, QUANTUMVIS AUTHENTICA ET PER LITTERAS PATENTES FIRMATA

Tridentinum concilium, licet formam præcisam eligendi vicarii capitularis non tradiderit, decrevit tamen electionem esse faciendam *a capitulo*. Porro ut aliquid dici possit a capitulo gestum, debet non tantum a majori parte capitularium, sed insuper ab iisdem collegialiter adunatis peragi. Ergo suffragia canonicorum quæ, soluto capitulo, alicui adderentur, licet per litteras patentes et subscriptas exhibita, omnino nulla sunt.

« Vota, inquit Pignatellus (t. I, cons. 23, n. 7) debent dari « collegialiter et in capitulo; ita ut non sufficiat consensus postea « datus uti a singulis... Nec refert quod sacrum concilium « Tridentinum non det formam præcisam eligendi vicarium « capitularem. Nam satis est quod dicat electionem esse « faciendam a capitulo. Non enim dicitur facta a capitulo, « dum non est facta a majori parte collegialiter congregata, « etiamsi postea canonici uti singuli accesserint in numero « sufficienti... Et proinde non sufficit subscriptio facta a cano- « nicis uti singulis. » Hanc doctrinam quæ est communis canonistarum, tenuit constanter Rota : « Nec ad ipsos uti singulos « spectat eligere vicarium, sede vacante, sed ad capitulum « cathedralis, vigore dispositionis concilii Tridentini. » (Decisio 347, n. 8, partis 10, recent.) Idem declaratur in decisione 13 februarii 1617, coram Buratto; et ita pluries ab eodem tribunali decisum testatur Pignatellus (loco citato). Id etiam decisum fuisse a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, 18 novembris 1625, testatur idem Pignatellus (ibid.).

Est ergo præsens thesis habenda pro regula omnino certa. Ex illa autem facile solvitur difficultas quæ occurrere posset circa eum qui obtinuit capitulariter medietatem votorum. Si nempe extracapitulariter aliqui electores ipsi suum suffragium afferant, remanet nihilominus electio nulla, eo quod non computanda sint illa suffragia extracapitulariter addita. Et idem a

Digitized by Google

fortiori dicendum de voto ipsius electi. In ipso quidem actu capitularis electionis poterat ille (ut supra probavimus) suum sibi suffragium addere, id est, medietati ipsum eligenti consentire, et sic pluralitatem votorum sibi obtinere. At vero extra capitulum frustra id tentaret, cum sit nulla et irrita electio facta a capitularibus *uti singulis*.

§ 5

AN IRRITA EVADAT ELECTIO SI QUIS IDONEUS REJECTUS FUERIT A NUMERO CONCURRENTIUM

Contingere posset ut capitulares inter sese statuerent excludere talem vel talem, cæteroquin idoneum. Quod si accidat, quæritur an valeat electio vicarii capitularis? « Respondeo negative, ait « Pignatellus (t. VI, cons. 92); quia quilibet idoneus de jure « potest eligi, atque adeo non potest a concursu repelli (Rota, « decis. 65, n. 6, parte 1, rec.). Eademque ratione non potest « Episcopus repellere concurrentem ad parochialem. Rejectio « enim idonei vim habet voluntariæ coarctationis ad certum « numerum eligendorum; quæ non permittitur electoribus in « præjudicium aliorum; solumque coarctationes permittuntur « post factum scrutinium, dummodo omnes in eo fuerint « admissi et tanquam minus idonei rejecti; at a scrutinio « non debent repelli; et si quis repellatur, ex hoc ipso electio « dicitur restricta et coarctata... »

§ 6

QUANDO NON REMANENT NISI UNUS VEL DUO CAPITULARES JUS HABENTES SUFFRAGII, EO QUOD CÆTERI VEL MORTUI SUNT, VEL PER CENSURAS VOCE ACTIVA PRIVATI SUNT, VEL ALIO MODO IMPEDIUNTUR, AN ELECTIO PER ILLUM UNUM AUT PER ILLOS PAUCISSIMOS FACTA VALEAT?

« Quinimo, quod magis est, ubi etiam omnia membra pu- « trescant, seu pro defectis ac putridis habenda sint, etiam « aliqua membra valida, quamvis essent duo, imo etiam unum, « apta sunt operari, totumque corpus repræsentare; quia nempe, « vacatis de facto pro majori parte canonicatibus, vel existentibus « de jure canonicis impeditis seu habitis pro non extantibus « (puta per censuras vel alia impedimenta), tunc totum capi-

Digitized by Google

« tulum consolidatur in non impeditis, etiam in paucis, quin « imo etiam in uno non impedito. » (Cardinalis de Luca, *Annotat. ad conc. Trid.*, discursu 31.)

§ 7

QUATENUS VOCANDI SINT ABSENTES, ET AN SUFFRAGIUM DARE VALEANT PER PROCURATOREM. — ET AN IN SCRIPTIS ?

I. Circa quæstionem an absentes debeant vocari, jus sic exponit Monacelli (*Formularium*, parte 1, tit. I, formula 2, n. 7) : « Canonici absentes non debent vocari, nisi commode « fieri possit.

« Nec ita absentes possunt mittere aut constituere procura- « torem ad ferendum in electione suffragium (glossa et cano- « nistæ communiter in cap. *Quia propter, de elect.*) Quia eo « ipso quod canonicus transit ad locum ex quo commode vocari « non possit, facit se extraneum et perdit jus ad eligendum.

II. « Quatenus autem adesset consuetudo legitime præcripta « admittendi in electione canonicos absentes per procuratorem, « talis consuetudo esset intelligenda et restringenda ad absentes « *intra provinciam* et ibidem detentos aliquo legitimo impedi- « mento de tempore actualis electionis vicarii, prout censuit et « declaravit Sacra concilii Congregatio (in *Hidruntina*, 11 apri- « lis 1699) ; in qua non obstante prætensa et allegata consuetu- « dine admittendi absentes per procuratorem, fuit declarata « nulla electio officialium in qua fuerunt ad votandum admissi « per procuratorem duo canonici, qui morabantur Neapoli.

« Et si e contra adesset consuetudo non vocandi quoquomodo « absentes a civitate, servanda esset et admittenda, ut dixit Rota « (coram Celso, decis. 85, n. 11). »

III. An absentes votum suum in scriptis mittere possint ? — Quæstionem illam plene discussit et definivit S. Rota (in *Leodiensi*, 10 decembris 1698, — in Appendice selectarum decisionum Rotæ Monacelli, sub numero 39 posita). Facienda erat electio pro vicaria aliqua perpetua cujus collatio ad capitulum Leodiense pertinebat. Ex sex præsentibus quatuor elegerunt Renerum, et duo alii Christianum : ex quatuor vero absen-

Digitized by Google

tibus unus Renerum, et tres alii Christianum per scripta ad capitulum transmissa nominarunt. Lis ad S. Rotam delata in favorem Reneri decisa est. Discussionis autem rotalis, quæ generalis est et applicatur proinde electioni vicarii capitularis, hæc summa est : « Cum simus in electione spectante ad capitulum, « quæ nonnisi collegialiter et omnibus canonicis in unum con- « gregatis fieri poterat, cum isti (nempe quatuor absentes) uti « singuli nullum penitus habere valeant jus eligendi, nequive- « runt utique memorati tres canonici singulariter et seorsim a « capitulo eorum votum proferre, minusque illud per schedulas « ad capitulum in scriptis transmittere, juxta litteralem textum « in capite *Si quis justo, de electione, in sexto;* ibique Bar- « bosa (n. 17); ubi conclusionem ampliat, ut consensus eligen- « tium, etiam volente capitulo, non possit per litteras præstari... « Boerus pariter ampliat ad id, quod etiam, volente capitulo, « hujusmodi suffragiorum præstatio effectuari non potest... « Idque procedit etiamsi dicti tres canonici fuissent legitimo « justoque impedimento detenti ; quia cum jus commune satis « absentium indemnitati providerit statuendo scilicet, ut sic « legitime impediti procuratorem ad suffragium præstandum in « capitulo constituere valeant, consequens fit quod *neque in* « hoc casu valuissent ad alium modum votandi in scriptis « recurrere : ex ea valde notabilis differentiæ ratione, quod in « transmissione suffragii in scriptis, eo ipso inducitur actus, « quem eligens extra capitulum adimplere non potest. In elec- « tione autem procuratoris, dictus actus remanet in fieri, nec « perfectionem assequitur nisi de tempore quo idem procurator « sui principalis præsentialiter in capitulo suffragium præstat... « Hinc rejiciendam esse Domini (1) sententiam censuerunt Hos- « tiensis, Azorii..., intrepide firmantium absentes in scriptis « posse ad capitulum eorum suffragia transmittere. » Addit Rota non valere objectionem quod jura allegata loquantur de electione proprie dicta, quando eligendus est v. g. Episcopus : quia sufficit ut electio debeat fieri capitulariter, et non possit fieri singulariter.

(1) *Domini*, id est, auditores seu judices. Eo quippe *Dominorum* nomine magistratus isti nuncupari solent.

Digitized by Google

§ 8

QUINAM, A QUO, ET QUOMODO VOCANDI ELECTORES, ET QUINAM SUFFICIAT VOTORUM NUMERUS (Remissive ad sectionem IV, partis I.)

§ 9

AN FACTA ELECTIONE, VICARIUS CAPITULARIS JURISDICTIONEM EXERCERE POSSIT ANTE LITTERAS PATENTES ELECTIONIS CONFECTAS EIQUE TRADITAS?

Difficultatem facit caput *Avaritiæ* (*De electione*, in sexto). In illa enim decretali Gregorius X invehens contra eos qui ante suæ electionis confirmationem, administrationem assumunt, ita statuit: *Sancimus ut nullus de cætero administrationem dignitatis ad quam electus est, priusquam celebrata de ipso electio confirmetur... gerere vel recipere, aut illi se immiscere præsumat, Omnes illos qui secus fecerint jure* (*si quod eis per electionem quæsitum fuerit*), *decernentes eo ipso privatos.*

Sed illa decretalis minime applicationem habet in casu deputationis vicarii capitularis : « Licet enim dictæ decretalis dispo-
« sitio procedat, nedum in prælaturis, sed etiam in inferioribus
« beneficiis ; attamen id procedit quando agitur de actu qui exi-
« gat ad ejus perfectionem auctoritatem superioris, ut est in
« casu electionis quæ indiget confirmatione : vel ubi agitur de
« præsentatione seu nominatione ad beneficium, unde necessa-
« ria sit institutio seu provisio superioris. Secus autem in hac
« subjecta materia, in qua non agitur nec de vera electione, nec
« de præsentatione seu nominatione exigente post se alium ac-
« tum ad sui perfectionem, sed agitur de simplici deputatione
« sonante in mandatum, quod Episcopus, vel Prælatus, vel ejus
« loco capitulum, vicario dare dicitur ; quod mandatum ad sui
« essentiam non exigit scripturam, sed etiam ore tenus dari po-
« test... Litteræ siquidem patentes expediuntur ad probationem,
« non autem ad substantiam vel perfectionem actus, cum nullo
« jure cautum sit eas requiri de substantia. » (Cardinalis de Luca, *De canonicis*, discursu 26, n. 10.) Idem docet Leurenius (*De capitulo, sede vac.*, quæst. 572) ; et est sententia communis canonistarum.

Digitized by Google

Unde vicarius capitularis statim ac legitime electus fuit, jurisdictionem exercere potest, etiam ante acceptas patentes litteras, quæ tamen ipsi a capitulo tradi debent ad fidem faciendam de electione.

SECTIO II

QUOMODO SESE HABEANT AD INVICEM CAIPTULUM ET VICARIUS CAPITULARIS QUOAD POTESTATEM?

In tota hac materia fallunt antiqui auctores, ex eo quod arguant et concludant a dispositione juris quæ jam immutata est. Imo hoc non advertentes non pauci qui recens scripserunt, vel confusa vel parum accurata tradiderunt.

CAPUT I

EXPONITUR PRINCIPIUM EX QUO DETERMINARI QUEAT CAPITULI ET VICARII CAPITULARIS IN INVICEM POTESTAS

Probatum est supra (sect. 1, cap. 9 et 10) totam *jurisdictionem* capituli transire ad vicarium capitularem; ita ut nequeat capitulum jurisdictionem hanc ullo modo limitare sive quoad tempus, sive quoad materias. Illa autem juris dispositio certa est nunc : at certa non fuit sat longo post Tridentinam synodum tempore. Imo tunc viguit magis opinio contraria, et ob illam opinionem viguit contraria praxis Sacræ Congregationis concilii, cujus responsiones facultatem faciebant et supponebant capitulis sibi partem jurisdictionis reservandi, et vicarium deputandi ad tempus et revocabilem. Unde idem evenit ac si primo lata fuisset et viguisset lex ista canonica : *Potest capitulum vicario suo jurisdictionem conferre sub restrictionibus et ad tempus sibi beneplacitum :* et postea ista lex in contrariam mutata fuisset hoc modo : *Tota jurisdictio transibit ad vicarium absque ulla restrictione et pro toto vacantiæ tempore.* Porro ex priori lege quæ certa supponebatur, multa concludere debuerunt et de facto concluserunt canonistæ, quæ nunc, vigente posteriore, omnino rejicienda sunt. Legitime, verbi gratia, argue-

Digitized by Google

bant, vicarium ad nutum capituli esse revocabilem, et teneri tantum capitulares ad alium constituendum infra octo dies, si priorem revocassent ; teneri vicarium capitulo rationem reddere suæ administrationis quoties capitulares exegissent : posse capitulum constituere officiales et cogere vicarium ad utendum istis et non aliis : non posse a vicario sine mandato speciali capituli ea peragi, pro quibus vicarius Episcopi indiget mandato speciali Episcopi : posse capitulum cognoscere de querelis et accusationibus contra vicarium illatis et illum judicare. Illa autem et his similia consectaria omnia cadunt, si vigens supponatur principium contrarium, nempe, electo vicario capitulari, nihil omnino jurisdictionis quoad exercitium remanere penes capitulum. Cum ergo principium istud sit jus nunc certissime vigens, illo duce expendendæ sunt omnes quæstiones de respectiva capitulum inter et vicarium capitularem potestate.

CAPUT II

POTESTAS VICARII IN CAPITULUM EST IPSAMET POTESTAS ORDINARIA EPISCOPI, QUALIS PRIMO TRANSIERAT IN CAPITULUM, ET QUÆ TOTA POSTEA VICARIO CONFERTUR

Potestas ordinaria Episcopi, cum paucis exceptionibus in jure expressis, mortuo Præsule, transit ad capitulum et postea in vicarium capitularem. Porro hanc ipsam potestatem episcopalem vicarius capitularis habet, non tantum in cæteros diœcesanos, sed etiam in ipsummet capitulum. Nam potestas vicario transmissa, non est potestas qualem placuit capitulo determinare et limitare, sed qualem acceperat capitulum ; est nempe ipsamet jurisdictio ordinaria Episcopi. Id sequitur invicte ex principio supra exposito, olim dubio, et nunc certissimo, *non posse capitulum jurisdictionem transmittere vicario cum restrictionibus.* Si transmissa est vicario potestas tota quanta, possidet revera vicarius jurisdictionem ordinariam Episcopi. Sed jurisdictio ordinaria Episcopi est jurisdictio etiam in ipsummet capitulum, quando non est exemptum ; ergo vicarius capitularis jurisdictionem ordinariam Episcopi habet etiam in ipsummet capitulum. Unde sicut potuit capitulum primis octo diebus quemlibet canonicum,

Digitized by Google

ex jure ordinario Episcopi, judicare pœnisque et censuris plectere, idem poterit vicarius capitularis, utpote munitus eodem jure ordinario Episcopi, cujus ne particulam quidem retinere potuit capitulum. Et ita pluries decisum fuisse a Sacra Congregatione super negotiis Episcoporum et regularium vidimus in sectione præcedenti, capite 9.

Hinc vicarius capitularis, statim ac fuit legitime constitutus, omnino habendus est quoad potestatem in capitulum tanquam ordinarius diœcesis Episcopus, exceptis quibusdam jurisdictionalibus in jure expressis, quæ sicut non transeunt ad capitulum, ita nec ad vicarium capitularem.

Ex isto autem principio multa sequuntur corollaria, omnino opposita iis quæ antiqui canonistæ ex admisso principio contrario deducebant. Quæ consectaria nunc exponenda sunt.

CAPUT III

CONSECTARIA QUÆ EX DUOBUS PRÆMISSIS CAPITIBUS FLUUNT

I. Consectarium. — Vicarius capitularis non est vicarius capituli, sed Episcopi. — Vicarius enim capitularis dicendus *est vicarius* illius cujus vices agit et cujus jurisdictionem exercet : porro exercet jurisdictionem propriam Episcopi, et non jurisdictionem propriam capituli. Nam jurisdictio ordinaria quæ est propria Episcopo et qualem exercet vicarius capitularis, minime dici potest propria capitulo. Ergo revera vicarius capitularis vices agit Episcopi et non capituli. Nec dicatur : illa jurisdictio prius residebat in capitulo ; ergo vicarius qui illam recipit est vicarius capituli : nam inde tantum sequitur vicarium capitularem esse successorem capituli, non autem ejus vicarium. Quod ut magis pateat supponamus Titium ab aliquo Episcopo constitutum fuisse vicarium generalem ; postea vero impeditum, rogari a suo Episcopo ut successorem ipse sibi in hoc munere eligat : eligit autem Caium, qui sic succedit Titio in vicariatu generali : certum est Caium, licet succedat Titio et ab ipso fuerit electus, esse tamen vicarium Episcopi et non Titii. Idem est porro in casu sedis vacantis quoad quæstionem quam movemus. Prior vicarius Episcopi est capitulum, sed ad paucos tantum dies. Et habet

Digitized by Google

quidem a jure communi potestatem eligendi et constituendi successorem suum in vicariatu Episcopi; sed posterior ille vicarius, licet a capitulo sit constitutus, et succedens capitulo, vere et proprie non succedit in alterius quam Episcopi vicariatu; cum potestatem suam seu vicariatum suum integre et non ex parte teneatur capitulum huic vicario transmittere. Nec dicatur quemlibet esse vicarium illius a quo constituitur: hoc enim falsum est. Et patet in casu vicarii capitularis deputati ab antiquiore suffraganeo, quando capitulum metropolitanum neglexit intra debitum tempus deputare. Talis enim vicarius exercet jurisdictionem ordinariam metropolitani, qua jurisdictione caret suffraganeus; ac proinde dictus vicarius non agit vices suffraganei, sed metropolitani defuncti.

Nec dicatur etiam ideo vocari vicarium capitularem quia est vicarius capituli. Nam ut hoc nomine vocetur sufficit ad capitulum pertinere ipsius electionem: unde illa denominatio idem sonat ac *vicarius Episcopi defuncti, a capitulo electus.*

Nec tandem dicatur jurisdictionem episcopalem, sicut sede plena, ita a fortiori electo vicario capitulari, semper residere penes capitulum *in habitu*, ut tenent multi doctores. Nam hic agitur de jurisdictione exercibili, qualis propria erat Episcopo privative ad capitulum; et quoad illam dicimus vicarium capitularem esse vicarium Episcopi et non capituli; quod recte concluditur ex eo quod jurisdictio illa exercibilis penitus extinguatur in capitulo statim ac electus fuit vicarius capitularis.

II. Consectarium. — Vicarius capitularis non potest a capitulo revocari. — Nam revocari tantum posset vi jurisdictionis Episcopalis in capitulo remanentis; atqui nulla remanet hujusmodi jurisdictio in capitulo; siquidem ex principio supra stabilito, tota et non ex parte transit in vicarium capitularem.

Objectio: Contrarium tenuerunt multi et gravissimi doctores, et firmarunt multæ declarationes Congregationum Romanarum. — Distinguo: Olim quando vigebat jus contrarium seu potius contraria interpretatio juris, concedo: ex quo interpretatio illa derelicta est, et in jus transiit opposita, nego. Unde hic frustra opponerentur auctoritates et facta priorum post synodum Tridentinam temporum. Quia tunc, ut diximus, admittebatur posse a capitulo transmitti cum restrictionibus jurisdictionem vicario

Digitized by Google

capitulari; ex quo sequebatur capitulum adhuc remanere verum vicarium Episcopi defuncti, et vicarium capitularem non esse nisi quemdam delegatum capituli. Ex quo autem id sublatum est auctoritate et declarationibus recentioribus Congregationum Romanarum et Sanctæ Sedis praxi, jam derelinquenda sunt quæ in sensum oppositum in antiquis auctoribus occurrunt.

III. Consectarium. — Vicarius capitularis non tenetur rationem suæ administrationis reddere capitulo. — Illud enim exigere tantum posset capitulum vi alicujus jurisdictionis episcopalis quam retinuisset. Sed nullam hujus jurisdictionis particulam retinuit; ergo nullum jus habet exigendi sibi reddi rationem a capitulari vicario. De auctoritatibus autem quæ in contrarium afferri possunt, idem dicendum ac in consectario præcedenti.

IV. Consectarium. — Non potest capitulum cognoscere de criminibus quibus accusaretur vicarius capitularis, nec eum judicare aut etiam syndicare. — Semper ex eadem ratione, quod tota jurisdictio episcopalis quam habebat capitulum in capitularem vicarium transierit; et neque hic obstat antiquorum doctorum et antiquarum decisionum auctoritas. Potest tamen quemadmodum Episcopum, ita a fortiori vicarium capitularem monere, si opus sit, ut resideat, et ad legitimum tribunal transmittere de criminibus ipsi objectis notitiam.

V. Consectarium. — In nullo casu vicarius capitularis indiget mandato speciali capituli. — Sicut vicarius Episcopi, licet jurisdictionem ordinariam exercens, in quibusdam indiget mandato speciali sui Præsulis, pari modo vicarium capitularem eadem non posse agere nisi speciale mandatum a capitulo recipiat, sustinebant olim auctores multi. Sed illa opinio nitebatur sæpe dicto principio, capitulum non transfundere totam suam jurisdictionem in vicarium capitularem. Quod principium cum jam sit derelinquendum, et certum evaserit, nullam partem jurisdictionis Episcopalis quoad exercitium remanere in capitulo, sequitur nec admitti debere in ullo casu necessitatem obtinendi a capitulo prædicti mandati specialis. Totum scilicet quod poterat tradere capitulum, tradidit ipso actu deputandi vicarium capitularem.

VI. Consectarium. — Non potest capitulum constituere offi-

Digitized by Google

ciales quibus teneatur uti vicarius capitularis et quos removere nequeat. — Hic etiam contrarios reperiemus auctores et praxim priorum a synodo Tridentina temporum. Imo capitula non eligebant vicarium capitularem nisi sub hac conditione in litteris patentibus expressa, ut constat ex solita formula hujusmodi litterarum patentium. Illa tamen conditio pro nulla jam habenda est; est enim aliqua jurisdictionis restrictio, et certum est totam sine restrictione jurisdictionem ad vicarium capitularem transire. Sicut ergo potuit capitulum hujusmodi curiæ Episcopalis officiales a defuncto Præsule constitutos amovere, ita constitutos et nominatos a capitulo amovere poterit vicarius capitularis. Utrum autem amoveri possint sine causa sive ab Episcopo, sive a capitulo aut capitulari vicario hujusmodi officiales, est quæstio diversa alibi tractanda.

Alia similia consectaria poterit lector ex iisdem principiis facile concludere.

SECTIO III

QUÆNAM SIT EXTENSIO POTESTATIS TUM CAPITULI, TUM VICARII CAPITULARIS, VACANTE SEDE; ET QUOMODO EXPIRET ILLA POTESTAS?

Ex antea dictis constat potestatem gubernandæ diœcesis, sede vacante, residere penes capitulum. Illam autem exercere potest per seipsum primis octo diebus ab habita vacationis notitia. Expendendum igitur quænam sit ipsius potestas per illud octo dierum spatium; an scilicet et in quibus a potestate defuncti aut translati Episcopi differat. Et idem inquirendum venit de vicario capitulari, in quem tota capituli jurisdictio postea transfertur.

CAPUT I

JURISDICTIO SEU POTESTAS QUAM HABET CAPITULUM ANTE VICARII CAPITULARIS ELECTIONEM, EADEM OMNINO EST AC JURISDICTIO QUÆ ELECTO VICARIO CAPITULARI COMPETIT

Id rigorose sequitur ex capitibus 9 et 10 sectionis primæ, ubi probavimus capitulum nihil omnino posse sibi reservare de sua

Digitized by Google

jurisdictione dum vicarium constituit; sed illam totam quantam in dictum vicarium de jure transire absque ulla limitatione sive quoad materias, sive quoad tempus. Id quidem olim in controversia fuit; nunc vero omnino certum. Non ergo opus est ut separatim agamus de jurisdictione capituli et de jurisdictione vicarii capitularis, ut fecere quidam canonistæ; sed quod de uno dicemus censebitur dictum de altero.

CAPUT II

PRO REGULA COMMUNITER ADMITTITUR TOTAM JURISDICTIONEM ORDINARIAM EPISCOPI, PRÆTER ILLA QUÆ A JURE COMMUNI REPERIUNTUR EXCEPTA, AD CAPITULUM ET POSTEA AD VICARIUM CAPITULAREM TRANSIRE

« Respondeo omnem administrationem et jurisdictionem episcopalem ordinariam, tam in spiritualibus quam in temporalibus transire ad capitulum, sede vacante, et ab eo exerceri posse, exceptis iis quæ ipsum jus commune excipit, vel Pontifex specialiter interdicit. » (Leurenius, *Tract. de cap., sede vac.*, quæst. 457.) « Ea omnia generaliter et universaliter quæ jurisdictionis ordinariæ sunt, lex ipsa nuncupatim transfert in capitulum. » (Lotterus, *De beneficiis*, l. I, q. 15, n. 28.)

« Et quamvis nonnulli constituant in hac materia contrariam regulam, id est jurisdictionem, mortuo Episcopo, ad capitulum non devolvi, nisi in quantum invenitur permissum vel ex indulgentia vel ex consuetudine præscripta, tamen *communiter omnes contra tenent.* » (Fagnanus, in cap. *Cum olim, De majorit. et obed.*)

Illa autem communis doctorum sententia, licet expressis verbis in jure canonico non inveniatur firmata, e pluribus tamen textibus merito concluditur. In capite *Cum olim* (*De majorit. et obed.*) videmus electionem quamdam, cujus confirmatio pertinebat ad Episcopum Messanensem, debuisse, vacante ecclesia Messanensi, a capitulo ejusdem ecclesiæ confirmari. Sic enim decernit Gregorius IX : *Cum ecclesia Messanensis vacet ad præsens, electionem suam confirmandam, prout de jure fuerit, vel etiam infirmandam, præsentent capitulo Messanensi.* Illud autem supponit tanquam regulam tunc admissum fuisse capitulum

Digitized by Google

in jurisdictione ordinaria, sede vacante, Episcopo succedere.

In capite *His quæ* ejusdem tituli, postquam enumeravit Honorius III varia jurisdictionalia quæ Cardinalibus in suis ecclesiis competunt, sic addit: *Quando autem ecclesia ipsa cardinalis vacabit, capellani et clerici memorati, eidem ecclesiæ reverenter exhibeant omnia supradicta : excepto quod de correctione et excommunicatione et suspensione ipsorum, pro bono pacis, nostræ providentiæ reservamus.*

In capite *Ad abolendam* (De hæreticis) sic habetur : *Quoscumque Romana ecclesia, vel singuli Episcopi per diœceses suas cum consilio clericorum, vel clerici ipsi, sede vacante, cum consilio, si oportuerit, vicinorum Episcoporum hæreticos judicaverint, vinculo perpetui anathematis innodamus.* Ubi videtur eamdem jurisdictionem in judicandis hæreticis quæ supponitur in ordinariis locorum, supponi etiam in capitulo, sede vacante.

In capite unico *De majoritate et obedientia,* in sexto, sic legitur : *Episcopali sede vacante, potest capitulum seu is ad quem episcopalis jurisdictio tunc temporis noscitur pertinere, iis* (*quibus posset Episcopus si viveret*) *ab excommunicationis sententia... absolutionis beneficium impertiri: nisi ei fuerit a Sede Apostolica specialiter interdicta potestas.* Cum ibi Bonifacius VIII dicat *capitulum, seu is* ad quem jurisdictio episcopalis noscitur pertinere, æquivalenter asserit jurisdictionem hanc ad capitulum regulariter pertinere ; et addit *seu is...*, quia potuit capitulum alicui vicario illam exercendam committere.

In capite *Cum nullus* (*De temp. ordinat.*) : *Sede vacante, capitulum, seu is ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi.*

In cap. *Ecclesiæ* (De suppl. negl. in sexto) : *Ecclesiæ cathedrali vacanti visitator ab alio quam a Romano Pontifice deputari non potest : nisi forte capitulum in spiritualibus et temporalibus perperam administret.*

Cum ergo textibus juris fundetur et communiter a doctoribus defendatur sententia de qua agimus, sic cum Leurenio concludemus : « Unde jam tenenda hæc regula, nimirum quod tota illa « jurisdictio ordinaria transeat ad capitulum, exceptis iis quæ « jus commune excipit (loco citato). »

Illa autem regula relinquit adhuc ex parte indeterminatum

Digitized by Google

quid jurisdictionis capitulo et vicario capitulari tribuendum sit, quidve denegandum; cum non dicat quænam sint illa a jure communi excepta. Unde quæstio nunc expendenda est quoad varias species jurisdictionis, et postea quoad præcipuos particulares casus.

CAPUT III

QUÆNAM JURISDICTIONIS SPECIES AD CAPITULUM TRANSEANT; QUÆNAM NON TRANSEANT

Distingui potest jurisdictio in necessariam et voluntariam; in jurisdictionem ex jure communi, et in jurisdictionem ex jure speciali; in jurisdictionem ex jure, et in jurisdictionem ex consuetudine; in ordinariam et delegatam; in jurisdictionem circa ea quæ sunt ordinis episcopalis, et circa ea quæ non sunt ordinis episcopalis. De his omnibus jurisdictionum speciebus quæstio breviter instituenda est.

I. *An capitulum succedat Episcopo tam in jurisdictione voluntaria quam necessaria?* — Succedere in tota jurisdictione contentiosa seu necessaria, exceptis quæ jus commune excipit, admittunt doctores communiter.

At vero quoad jurisdictionem voluntariam seu gratiosam, in triplicem abeunt sententiam. Alii cum Suaresio (*De censuris*, disp. 50, sect. 5, n. 6) tenent etiam quoad illam jurisdictionem admittendam esse supradictam regulam generalem, scilicet succedere capitulum, exceptis iis quæ a jure communi reperientur excepta. Alii contendunt regulam esse, non succedere, nisi in iis in quibus jus commune successionem admittit. Alii cum Fagnano absolute dicunt non succedere; et ea in quibus jus commune videretur successionem admittere, referunt ad jurisdictionem necessariam. « Capitulum, sede vacante, non succedit in « jurisdictione voluntaria, sed in necessaria tantum; quia est « necessarius et non voluntarius successor. » (Fagn. in c. *Illa, ne,* sede vacante, n. 13.)

Prima tamen sententia, quam probabiliorem dicit Reiffenstuel (ad titulum *Ne, sede vacante*, n. 25), sola videtur solida ratione niti. Nam ideo tanquam regula generalis communiter admittitur capitulum succedere jurisdictioni episcopali, quia supra allati textus juris id admittere cogunt: sed isti textus non distinguunt

Digitized by Google

inter necessariam et voluntariam jurisdictionem, sed generaliter supponunt jurisdictionem ordinariam Episcopi ad capitulum sede vacante transire. Ergo sine fundamento fingitur necessariam quidem jurisdictionem regulariter transire ad capitulum, non vero voluntariam. « Sicque tenendum (ait Reiffenstuel, « loco citato) quod capitulum succedat inordinaria jurisdictione « episcopali, non solum necessaria, sed etiam voluntaria, demp- « tis casibus specialiter exceptis. »

II. *An capitulum succedat in jurisdictionalibus quæ Episcopo competunt ex privilegio aut ex aliquo alio speciali jure?* — Quos pervolvimus canonistæ, nobis visi sunt de hac materia confuse loqui. (Vide Reiffenstuel, loc. cit., n. 42. — Leurenium, loco. cit., quæst. 459 et quæst. 460.) Videtur nempe omnino ita distinguendum : vel privilegium et jus speciale affixa erant personæ Episcopi, vel sedi : si prius, sublato Episcopo, extinguitur cum illo ipsius privilegium et jus speciale : si posterius, id est, si permanenter privilegium aut jus speciale quodcumque acquisitum fuit sedi, in capitulum transire dicendum est, exceptis semper iis in quibus expresse a jure cautum est capitulum non succedere. Et ita vitatur contradictio in quam incidit, verbi gratia, Leurenius. Postquam enim negavit capitulum succedere in jurisdictionalibus quæ competunt Episcopo ex aliquo jure speciali, affirmat postea (quæst. 460) succedere in iis quæ competunt ex consuetudine. Porro quod possidetur contra seu extra jus commune ex titulo consuetudinis, est aliquod jus speciale.

III. *An capitulum succedat in competentibus Episcopo ex consuetudine?* — Cum consuetudo non acquirat jus solum personæ Episcopi, sed Episcopo quatenus tali, id est, sedi, jam patet ex dictis respondendum esse affirmative, prout respondet laudatus Leurenius loco citato.

IV. *An capitulum succedat in jurisdictione delegata quam possidebat Episcopus?* — Non parum etiam insudant auctores in enodanda hac quæstione. Triplicem discutiemus sententiam.

1° *Sententia negans.* — Illam inter alios propugnat Fagnanus (in c. *His quæ*, de majoritate et obed., n. 54). Postquam enim stabilivit tanquam regulam generalem ad capitulum transire jurisdictionem Episcopi, sic addit : « Excipe a prædicta regula ju- « risdictionem Episcopo competentem, non jure suo ordinario,

Digitized by Google

« sed jure delegato, quæ, vacante episcopatu, in capitulum non « transit, etiamsi Episcopo competat ex generali delegatione « Sedis Apostolicæ. » Fatetur postea Fagnanus multos contradicere ; sed citat pro sua sententia auctores qui dicunt eam esse veriorem, communem et tenendam. Hoc principium deinde sic applicat : « Ex quo notabiliter infero, ut potestas à concilio Tri- « dentino Episcopis attributa tanquam Sedis Apostolicæ delega- « tis, defuncto Episcopo, in capitulum non transeat. Secus si « competat illis utroque jure, scilicet ordinario et delegato ; ve- « luti si concilium det illis facultatem procedendi *etiam* auctori- « tate apostolica. Ideoque Sacra Congregatio censuit facultatem « transferendi beneficia simplicia ab ecclesiis collapsis, compe- « tentem Episcopo (ex c. 7, sess. 21, Trid.) transire in vicarium « capitularem, sede vacante ; quippe decretum illud non dicit « simpliciter auctoritate apostolica, sed addita particula *etiam*, « quæ est implicativa jurisdictionis ordinariæ. »

2° *Sententia affirmans.* — Tenet in capitulum transire jurisdictionem permanenter delegatam muneri episcopali. (Nam quoad delegationem transitoriam a Papa factam alicui Episcopo pro aliquo negotio particulari, communi sensu docent canonistæ illam cum Episcopo extingui, nec transire ad capitulum.) Pro illa vero sententia affirmante stat inter alios Barbosa (*Jus eccl.*, l. III, c. 32, n. 107) ; ea ratione nixus, quod jurisdictio ita delegata ut perpetuo muneri Episcopali annectatur, censenda sit quædam extensio et quædam pars jurisdictionis episcopalis, quæ per viam regulæ in capitulum, sede vacua, transit.

3° *Quidquid sit theorice sententia affirmans, tuto in praxim deduci posse videtur.* — Tota difficultas ex eo procedit quod solutio pendeat a mente delegantis, id est, Sanctæ Sedis, et ex eo quod mentem suam Sancta Sedes nunquam expresse manifestaverit. Si enim concilium (1) et Summi Pontifices, jurisdictionem aliquam Episcopis in perpetuum delegando, clare expressissent, eamdem jurisdictionem, sede vacua, in capitulum transituram, vel non transituram, cessaret inter canonistas conflictus. Sic autem stante quæstione, potest hac via deveniri ad solutionem practicam. 1° Probabilis saltem est sententia affirmans, nempe

(1) Nempe Tridentinum.

Digitized by Google

jurisdictionem delegatam, muneri episcopali in perpetuum annexam, transire ad capitulum : nam probabile est talem fuisse delegantis mentem, cum pleræque rationes ex quibus censetur delegans determinatus fuisse ad committendam Episcopis hujusmodi jurisdictionem, urgeant etiam ut censeatur voluisse illam, sede vacante, in capitulum transire. Præterea sententia negans non potest mentem contrariam delegantis probare : præcipua enim ratio istius sententiæ (ut videre est apud Fagnanum, loco citato) est aliquis casus particularis, in quo jus aperte declarat jurisdictionem Episcopo delegatam non transire, vacua sede, ad capitulum ; sed quod talis fuerit mens delegantis in casu particulari, non probat eamdem fuisse in cæteris omnibus casibus ; quia exceptio regulæ, nedum arguat regulam non existere, illam e contra confirmat. Probabilitas sententiæ affirmantis erui potest insuper ex stylo seu praxi Romanæ Curiæ. Quando enim, sede vacante, expediendæ sunt dispensationes matrimoniales, sive aliæ gratiæ Apostolicæ aut litteræ, dataria et cancellaria et secretaria Brevium non rescribunt et executionem committunt capitulo vel vicario capitulari, sed viciniori Episcopo. Atque ita Sanctæ Sedis mens aperitur ; non vult scilicet a capitulo haberi et exerceri jurisdictionem delegatam quoad illa particularia negotia. Cum ergo nihil simile faciat quoad jurisdictionem perpetuo delegatam et muneri episcopali annexam, videtur consentire ut ista ad capitulum transeat. Quod etiam adnotavit Cardinalis de Luca ; postquam enim quæstionem memoravit his verbis, « atque ex hoc stylo resultare videtur decisio quæstionis in qua « scribentes videntur se involvere, an scilicet in jurisdictione Episcopo vel vicario generali delegata, capitulum seu ejus vicarius « succedat, » subjungit sententiam affirmativam tenendam esse, « in ea delegatione generali quæ per concilium Tridentinum et « Apostolicas constitutiones locorum ordinariis conceditur : secus « autem in iis specialibus delegationibus quæ capitulo vel ejus « vicario dirigi non solent. » (*Annotationes ad conc. Trid.*, discursus 31, n. 36 et 37.) Tandem probabilitas sententiæ affirmativæ ex solo auctorum ipsi adhærentium numero satis constat.

2° Vicarius capitularis habet insuper titulum coloratum, regulam nempe generalem et ab omnibus admissam, quod jurisdictio Episcopalis ad ipsum generaliter transeat, exceptis quæ in jure

Digitized by Google

reperientur excepta. Excipi autem jurisdictionem delegatam de qua agitur non certo probatur, cum contrarium sit ad minus valde probabile. 3° Jam vero habens probabiliter aliquam jurisdictionem, et insuper titulum coloratum, potest tuto in praxi illam jurisdictionem exercere; quia si forte illa destitueretur, ecclesia suppleret.

V. *An et quomodo capitulum succedat in jurisdictionalibus quæ sunt ordinis episcopalis?* — Indubitatum est illa jurisdictionalia ad capitulum non devolvi exercenda per ipsummet capitulum aut ejus vicarium, dum hic Episcopus non est. (Fagnanus in c. *His quæ*, De major. et obed., n. 64.) Verumtamen devolvitur ad capitulum potestas ea exercendi per alium, seu committendi illorum exercitium alteri qui charactere episcopali insignitus sit. (Vide Fagn., ibid.; — et Leurenium, *Tract. de capitulo, sede vac.*, quæst. 466.) « Capitulum, ait Barbosa (*Jus eccl.*, « l. III, c. 32, n. 89), succedit in concedenda licentia extero « Episcopo exercendi pontificalia in ecclesia vacante. » « Atque « ita potestas illa non devolvitur ad proximum superiorem, verbi « gratia Archiepiscopum aut patriarcham, qui ea per seipsum « expediat, vel visitatorem per quem expediantur constituat; sed « poterit capitulum vel ejus vicarius invitare vicinum aut alium « Episcopum, qui in ecclesia vacante et diœcesi capitulo sub- « jecta, ea quæ ordinis sunt episcopalis exerceat. » (Leurenius, loco citato.)

Jus autem illud capituli ideo ab omnibus canonistis absque ulla controversia admittitur, quia omnino certum est ex decretali Bonifacii VIII sic decernentis : *Cum nullus clericum parochiæ alienæ, præter superioris ipsius licentiam, debeat ordinare..., sede vacante, capitulum, seu is ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi.* (Cap. *Cum nullus*, de temporibus ordinationum, in sexto.)

Monet autem Fagnanus capitulum et vicarium capitularem ut, cum dant prædictam licentiam alicui vicino Episcopo, hoc faciant *cum cautelæ studio, idest, cum protestatione quod per hoc nihil juris illi Episcopo acquiratur.* (Loco supra citato, n. 64.)

Ex dictis in hoc et præcedenti capite, facile advertet lector, non posse in sat multis clare determinari jurisdictionem capituli,

Digitized by Google

sede vacante, si instituatur tantum discussio de quæstione generali *an jurisdictio Episcopi transeat ad capitulum;* aut etiam de quæstionibus minus generalibus, in quibus res expenditur quoad quamlibet jurisdictionis speciem. Deveniendum ergo est ad casus particulares, id est ad varia objecta circa quæ inquiri solet utrum vicarius capitularis sive capitulum habeat necne jurisdictionem.

CAPUT IV

JURISDICTIO CAPITULI, SEDE VACANTE, EXPENDITUR IN PARTICULARI CIRCA VARIA OBJECTA

Cum superius tanquam regula generalis statutum sit jurisdictionem Episcopi ad capitulum, sede vacante, transire, et apposita fuerit hæc restrictiva clausula, *exceptis quæ a jure excipiuntur,* hic inter alia exponendæ veniunt exceptiones illæ: ita ut quantum fieri possit determinata remaneat illa tum capituli, tum vicarii capitularis, sede vacante, potestas. Materiam autem omnem in varias paragraphos distribuemus : quod tamen spectat ad materiam beneficiariam, pro rei gravitate, ad sequens caput rejiciemus.

§ 1

AD CAPITULUM NON TRANSEUNT QUÆ COMPETUNT EPISCOPO RATIONE DIGNITATIS EPISCOPALIS

Id communiter tenent doctores. « Capitulum, ait Pirhing (in « titulum 33, libri I Decret., n. 49), non succedit in potestate « Episcopis concessa ratione dignitatis ac præeminentiæ episco- « palis, quæ aliis qui Episcopi non sunt, licet episcopalem vel « quasi episcopalem jurisdictionem exerceant non conceditur; « qualis est facultas celebrandi missam in itinere extra ecclesiam « in loco decenti super altari portatili, Episcopis concessa in ca- « pite ultimo *De privilegiis* in 6 ; et alia hujusmodi privilegia. » « Quæ ei ratione dignitatis suæ speciali jure data vel commissa « sunt, non transeunt ad capitulum. » (Leurenius, *Tractatus* « *de capitulo, sede vac.*, quæst. 462.)

Digitized by Google

§ 2

AN, SEDE VACANTE, CAPITULUM AUT VICARIUS CAPITULARIS POSSINT CONDERE STATUTA, SEU CONSTITUTIONES PRO TOTA DIŒCESI?

« Potest capitulum, sede vacante, facere statuta obligantia « totam diœcesim, etiamsi ea contraria sint statutis diœcesanis; « ita ut perpetua sint et durent etiam post electionem novi Epi- « scopi ; qui tamen pro libitu ea revocare poterit, cum pari, vide- « licet episcopali, jurisdictione sit præditus, nisi in illa jurarit. « Quod tamen intelligendum est, dummodo ea statuta honesta « et justa sint, neque ecclesiæ aut juribus episcopalibus juste « acquisitis præjudicent : alioquin enim nec jurata valerent aut « obligarent, cum capitulum, vacante sede, nihil possit statuere « de rebus episcopatus in ejus præjudicium. » (Pirhing, in tit. *De majorit. et obed.*, n. 47.) Eamdem doctrinam variis punctis distinctam sic tradit Leurenius. (Loco cit., quæst. 470.)

« 1. Respondeo primo in genere : capitulum potest, sede va- « cante, facere statuta. Magistratus enim possunt condere statuta « super his quæ pertinent ad propriam jurisdictionem (Sbrozius « *De vicar.*, l. II, q. 188, n. 3, 4).

« 2. Potest facere statuta super rebus pertinentibus ad ipsum « capitulum, verbi gratia qualiter debeat congregari vel distri- « butiones dividi. Si enim id possit super his, sede plena, etiam « absque consensu Episcopi..., multo magis id poterit, sede « vacante.

« 3. Potest etiam tanquam successor Episcopi statuere in illis « quæ competunt Episcopo ratione jurisdictionis, etsi statuere « nequeat super his quæ Episcopo competunt jure speciali. Et « in specie statuta facere potest concernentia augmentum cultus « divini.

« 4. Potest facere statuta obligantia totam diœcesim (Barbosa, « *Jus eccl.*, l. I, c. 32, n. 7) ; et per quæ abrogentur statuta ante- « cedentia Episcoporum, quia et hoc est jurisdictionis ; quæque « sint perpetua et durent post electionem et constitutionem novi « Episcopi, seu tempore succedentium Episcoporum... ; modo « tamen sint honesta et justa, ecclesiæ aut juribus episcopalibus « juste acquisitis non præjudicantia. Sic condere statutum ne-

Digitized by Google

« quit quo minuatur subsidium charitativum debitum Episcopo.

« 5. Poterit tamen Episcopus successor statuta, a capitulo, sede « vacante, facta, pro libitu revocare, sicut et alia statuta cujusvis « prædecessoris sui. »

« 6. Verumtamen sicut non potest capitulum, sede plena, sta- « tuere quæ tangunt totum statum ecclesiæ, vel etiam in rebus « arduis, sine consensu Episcopi ; ita nec, sede vacante, id posse, « videtur tenere Lotterus (*De beneficiis*, l. II, q. 31, n. 82), ubi, « quod non transeat in capitulum potestas cogendi synodum ad « effectum decernendi et statuendi generaliter et universaliter « super statu ecclesiæ ; secus sit de potestate statuendi respectu « singularis casus cui aliter provideri nequit. »

Eamdem doctrinam certam habet et magis determinat Fagnanus dum dicit (in c. *A nobis*, De sententia excommunic., n. 51 et 56) : « Aut capitulum, sede vacante, procedit per modum « statuti, et tunc etiamsi statutum imponat pœnam pro futuro « delicto, non expirat, sede plena... ; aut capitulum procedit « per modum sententiæ, et tunc præceptum expirat per mortem « præcipientis... Conclude quod statutum, cum sit lex quædam, « perpetuo duret nisi revocetur expresse : unde dicit Federicus « quod si capitulum, sede vacante, fecit statutum, durat etiam « creato Episcopo, nisi expresse revocetur per Episcopum. »

Idem tamen Fagnanus quoad durationem hujusmodi statutorum in tempus supervenientis Episcopi, contrarium omnino profert disserens in caput *His quæ* (*De majorit. et obed.*, n. 53) : « Item potest statuta condere, *non tamen* duratura in tempus « successoris, de quo dic plene ut per Federicum de senis dicta « consultatione 16. » Sed ibi esse mendum typi certissimum est, cum Fagnanus remittat ad eumdem Federicum qui dicit contrarium et cujus contrariam citationem ipsemet Fagnanus transcripsit in altero loco, nempe : *dicit Federicus... durat etiam creato Episcopo*. Unde patet typographum voci *etiam* substituisse *non tamen*. Mendum autem quod signamus e textu irrepsit in indices, ita ut potuerint non pauci decipi circa celeberrimi Fagnani doctrinam et mentem.

Notandum etiam est in hac materia veteres auctores qui tenebant capitulum posse jurisdictionem vicario capitulari transmittere cum restrictionibus, non concedere prædicto vicario potes-

Digitized by Google

tatem de qua agimus circa condenda statuta, nisi de consensu capituli. Sed illud omnino nunc rejiciendum est, cum hodie certum sit, ut supra ostendimus, capitulum ne minimam quidem potestatis particulam sibi posse reservare. Ex quo sequitur vicarium capitularem illo consensu non indigere; cum nulla jurisdictio penes capitulum remaneat et tota in vicarium transierit.

§ 3

AN POSSIT DE CRIMINIBUS INQUIRERE ET COGNOSCERE, AC EA PUNIRE?

« 1. Respondeo primo : potest, etiam extra visitationem, de « delictis contra certas personas inquirere (Barbosa, *Jus eccl.*, « l. 1, c. 32, n. 102; — Fagnanus, c. *His quæ*, De major. et « obed., n. 5; — Rota, decisio 166, n. 2, parte 3, rec.).

« 2. Sic quoque potest cognoscere causas judiciales etiam « criminales. Nec obstat quod Tridentinum (sess. 24, c. 20) « causas matrimoniales et criminales, Episcoporum tantum « examinationi et jurisdictioni relinquat; nam per illa verba « solum excluduntur alii Prælati inferiores, non autem capitu- « lum, quod, sede vacante, non est inferius, sed par *Episcopo*. « Et sic in specie cognoscere potest de crimine hæresis et proce- « dere contra hæreticum.

« 3. Potest quoque punire crimina et excessus. Et sic in spe- « cie potest ob delicta suspendere ab officio, deponere, seu pri- « vare beneficiis, aliaque facere quæ correctionem spectant, cum « ea omnia spectent ad jurisdictionem ordinariam Episcopi.

« 4. Sic quoque videtur posse procedere contra clericum ad « verbalem degradationem (qualis dicitur quando contra cleri- « cum pronuntiatur sententia per quam privatur is ordinibus « clericalibus, quæ et proprie loquendo degradatio dicitur); cum « dicat Tridentinum (sess. 13, c. 4) quod Episcopus per se, seu « suum vicarium generalem in spiritualibus, contra clericum « in sacris, etiam presbyteratus, ordinibus, ad illius condemna- « tionem possit devenire; adeoque videtur idipsum competere « quoque capitulo, sede vacante. Nequaquam tamen ad actualem « illam et solemnem clerici degradationem (qualis dicitur quando « clericus non solum per sententiam privatur, sed etiam perso-

Digitized by Google

« naliter et actualiter degradatur, exuitur, et spoliatur ordinibus « ecclesiasticis, cujus modum ponit Tridentinum loco citato); « hanc enim per Episcopum fieri vult Tridentinum; et sic vide- « tur ea esse ordinis Episcopalis; quod ipsum aliqui tradunt de « degradatione seu depositione verbali. » (Hæc transcripsimus ex Leurenio, *Tract. de capitulo*, *sede vac.*, quæst. 472.)

§ 4

AN CAPITULUM AUT VICARIUS CAPITULARIS POSSIT, SEDE VACANTE, SYNDICARE TAM SUOS QUAM DEFUNCTI EPISCOPI OFFICIALES?

Respondendum affirmative. « Syndicare enim (quod aliud « nihil significat quam examinare in mores alicujus, vel acta « inquirere, notare, censura carpere) est actus jurisdictionis. Et « in illo proceditur tam ex officio, quam ad instantiam partis. In « jurisdictionalibus autem succedit capitulum, exercendis etiam « contra eos contra quos jurisdictionem suam ordinariam exer- « cere poterat Episcopus. Et de fiscali defuncti Episcopi, quod « eum syndicare possit capitulum, sede vacante, tradit Fagnanus « (in c. *His quæ,* De majorit. et obed., n. 52). » (Leurenius, loco citato, quæst. 473.)

Vicarium capitularem posse syndicari a capitulo, tenebant olim multi canonistæ, et huic sententiæ favebant declarationes antiquæ Sacræ Congregationis concilii : supponebant nempe capitulum posse jurisdictionem vicario Capitulari transmittere cum restrictionibus. Illud autem nunc, ut toties diximus, est omnino rejectum et rejiciendum; unde jam nequit capitulum rationem administrationis exigere a vicario capitulari, neque eum syndicare. Quod liquet ex multoties memorato principio, nempe nihil jurisdictionis exercibilis remanere in capitulo, statim ac constitutus fuit vicarius capitularis.

Digitized by Google

§ 5

QUÆNAM SIT CAPITULI, AUT VICARII CAPITULARIS, POTESTAS IN CENSURIS FERENDIS?

1° Potest infligere censuras quatenus id poterat Episcopus defunctus. (Ita Leurenius, loco cit., quæst. 475; — Barbosa, *Jus eccl.*, l. 1, c. 32, n. 65.)

2° Potest ergo excommunicare. Quod tamen non possit anathematizare, id est, excommunicare cum solemnitate, docet Fagnanus (in c. *His quæ*, De major. et obed., n. 49.)

3° Potest vicarius capitularis suspendere ab officio et beneficio. Aliqui tamen auctores excipiunt suspensionem perpetuam, ex eo quod sit *de arduis*, ita ut etiam Episcopus eam ferre non possit sine capitulo.

4° Potest etiam interdicere. (Quoad hanc paragraphum vide Leurenium, loco cit., quæst. 475, 576, 577.)

5° Potest vicarius capitularis excommunicare, suspendere et interdicere singulares personas de capitulo. Nec tenetur procedendo contra eas adhibere duos adjunctos judices a capitulo electos, quando capitulum non est exemptum; quod decisum a Sacra Congregatione concilii testatur Garcias (parte 5, c. 7, n. 23).

6° Non tamen potest vicarius capitularis totum capitulum excommunicare, suspendere, vel interdicere.

7° Potest capitulum, ante constitutum vicarium, absolvere ab excommunicatione et aliis censuris (Papæ non reservatis), sive a seipso, sive a defuncto Episcopo latis. — Idem potest vicarius capitularis quoad censuras latas sive a seipso, sive a capitulo, sive a defuncto Episcopo, aut ejus prædecessoribus. (Vide Leurenium loco modo citato.)

§ 6

QUID POSSIT QUOAD DISPENSATIONES?

I. *Quoad dispensationes ab irregularitatibus.* — « Respondeo « posse dispensare in irregularitatibus in quibus potest Episco-

Digitized by Google

« pus. » Ita Leurenius, citato tractatu *De capitulo, sede vacante,* quæst. 478. Sed observandum *primo,* facultatem quam ex Tridentino habent Episcopi dispensandi ab omnibus irregularitatibus ex delicto occulto (excepto homicidio voluntario), cessare in regionibus in quibus non receptum fuisset concilium Tridentinum. *Secundo* etiam in aliis locis restringi ad Episcopos proprie dictos, et non extendi ad Prælatos inferiores jurisdictionem habentes quasi episcopalem.

II. *Quoad dispensationem ab interstitiis ordinum.* — « Respondeo *primo :* sede vacante, potest dispensare in his interstitiis... Respondeo *secundo :* in iis casibus dispensare potest in « insterstitiis, in quibus concedere potest dimissorias. » (Leurenius, loco citato, quæst. 480.) Quandonam autem possit concedere litteras dimissorias, dicimus infra.

III. *Quoad alias dispensationes.* — « Respondeo 1° in « genere : potest dispensare in casibus in quibus potest Episcopus potestate ordinaria... Quinimo dispensare poterit in casibus non solum qui per se, sed etiam qui per accidens (nempe « propter impedimentum adeundi Papam) sunt episcopales seu « ordinariæ jurisdictionis Episcopi.

« Respondeo 2° in specie : sic itaque dispensare potest in « votis et juramentis in quibus id potest Episcopus. Item in « statutis diœcesanis. Item cum illegitimis ad ordines minores « recipiendos... Ratio his omnibus communis est quod tota universim jurisdictio Episcopi, etiam voluntaria (cujus actus est « dispensare) quæ non reperitur illi denegata, transeat ad capitulum. » (Leurenius, loco cit., quæst. 479.)

§ 7

AN POSSIT CONCEDERE INDULGENTIAS ?

Valde disputant de hac quæstione doctores. Alii negant cum Fagnano (in c. *Illa, ne, sede vacante,* n. 14); alii affirmant cum Barbosa (*Jus eccl.*, l. 1, c. 32, n. 91). Duplicem sententiam cum suis rationibus exponit Leurenius (in suo tractatu *De capitulo, sede vac.*, quæst. 182.)

Digitized by Google

§ 8

QUID POSSIT QUOAD APPROBATIONEM CONFESSARIIS DANDAM VEL RETRAHENDAM?

1° Quod possit, sede vacante, capitulum aut vicarius capitularis novos confessarios approbare, tenent communiter doctores. (Suarez, *De pœnit.*, dist. 28, sec. 5, n. 5; — Barbosa, *Jus eccl.*, l. 1, c. 32, n. 110.) « Extendendum hoc ipsum erit ad capitula « inferiora, quorum Prælatus defunctus exemptus, jurisdic- « tionem quasi episcopalem habebat in populum fidelium; cum « et tales Prælati potestate ordinaria confessarios approbare pos- « sint. Secus tamen est ubi hujusmodi Prælati jurisdictionem « non habent in populum sæcularem fidelium, quales sunt « provinciales et generales religionum. (Leurenius, loco cit., quæst. 483.)

2° An autem possit confessarios sæculares, a se, vel a defuncto Episcopo approbatos, ad examen revocare, et inventos inidoneos reprobare? Posse ex causa, tradit Leurenius (loco cit., quæst. 484); sicut idem potest ex causa quilibet Episcopus quoad confessarios sæculares, tum a se, tum a prædecessoribus jam approbatos.

3° Idem dicendum quoad confessarios regulares, nisi habeant a Sancta Sede privilegium in contrarium. Si autem privilegium habeant, intelligitur eo sensu quod non possint revocari, sede vacante; non autem eo sensu quod non possint ab Episcopo successore ad examen denuo vocari, ex causa, et si non reperti fuerint idonei, facultate confessiones audiendi privari. (Vide Leurenium, loco citato.)

§ 9

AN POSSIT CAUSAS ARDUAS ET IN SPECIE MATRIMONIALES COGNOSCERE ET EXPEDIRE?

1° Posse cognoscere de causis arduis tenent communiter doctores. (Barbosa, *Jus eccles.*, l. 1, c. 32, n. 72; — Pirhing, ad tit. *De majorit. et obed.*, n. 50; — Layman, in c. *Cum olim*, De majorit. et obed., n. 13.) Generaliter enim loquendo non prohibetur capitulum, sede vacante, causas graves et arduas

Digitized by Google

cognoscere, cum talis generalis et absoluta prohibitio capitulo facta non reperiatur, ut aiunt Layman et Pirhing locis citatis. Et in particulari posse capitulum de causis criminalibus, etiam de hæresi (quæ certe computatur inter arduas), cognoscere, supra ostendimus.

2° Idem dicendum de causis matrimonialibus quæ ordinariam jurisdictionem Episcopi non excedunt, ut tenent etiam auctores communiter.

3° Aliter dicendum de causa matrimoniali quæ specialiter delegata fuisset defuncto Episcopo aut ejus vicario. De illa enim cognoscere nequit capitulum, nec vicarius capitularis.

4° Nec contra prædicta objiciatur lex Tridentina : *Causæ matrimoniales et criminales, Episcopi tantum examini relinquantur* (sess. 24, c. 20) ; quia, ut jam diximus, per illud decretum excluduntur solum Prælati inferiores, non vero capitulum et vicarius capitularis, vacante sede.

5° Si tamen causæ sint ita arduæ, ut secundum consuetudinem ecclesiarum solis Episcopis competere censeantur, (quales sunt, verbi gratia, diœcesis visitatio, et synodi coadunatio), illas extra casum urgentis necessitatis non poterit capitulum nec vicarius capitularis expedire, ut tradunt inter alios Pirhing et Layman modo citatis locis.

§ 10

DE POTESTATE CAPITULI ET VICARII CAPITULARIS, SEDE VACANTE, QUOAD CONCEDENDAS LITTERAS TESTIMONIALES ET DIMISSORIAS AD SUSCIPIENDOS ORDINES

1. *Quæstio de litteris testimonialibus.* — Sic habet lex Tridentina (sess. 23, c. 8) : « Unusquisque autem a proprio « Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, « nullatenus id ei..., etiam statutis temporibus permittatur, « nisi ejus probitas et mores Ordinarii sui testimonio commen- « dentur. » Omnino differunt et distinguendæ sunt litteræ testimoniales a litteris dimissoriis. Testimoniales dant quidem testimonium de vita et moribus, sed non dant licentiam ordines recipiendi ab externo Episcopo. Dimissoriæ autem, quæ vocan-

Digitized by Google

tur etiam *reverendæ* seu licentiales, sunt illæ quæ aliquem absolvunt ab obligatione recipiendi ordines a proprio Episcopo, vel etiam ab obligatione subjectionis erga proprium Episcopum. Potest accidere casus in quo aliquis e diœcesi cujus sedes vacat, postulet tantum litteras testimoniales, non autem dimissorias. Si nempe jam obtinuisset a Sede Apostolica facultatem ordines accipiendi ab externo Episcopo, indigeret nihilominus testimonio Ordinarii circa probitatem et mores, juxta citatum Tridentinæ synodi decretum. Quæritur ergo utrum vicarius capitularis, licet (ut infra dicetur) non possit primo anno concedere dimissorias, possit tamen tradere hujusmodi testimoniales litteras.

Respondendum affirmative tenent communiter doctores, contra Garciam qui in hoc derelinquitur. Si nempe aliquis habeat a Pontifice vel a Nuntio Apostolico facultatem seu dimissorias, ut a quocumque Episcopo externo ordinari valeat, potest capitulum vel vicarius capitularis ipsi dare litteras testimoniales. Tridentina enim synodus præscribit tantum ut hujusmodi litteræ dentur ab Ordinario; sed Ordinarii nomine venit capitulum et vicarius capitularis, sede vacante.

II. *Quæstio de litteris dimissoriis.* — Sic decrevit Tridentina synodus : *Non liceat capitulis ecclesiarum, sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam aut litteras dimissorias seu reverendas, ut aliqui vocant (tam ex juris communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii aut consuetudinis vigore) alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere : si secus fiat, capitulum contraveniens ecclesiastico subjaceat interdicto : et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus gaudeant : in majoribus vero, ab executione ordinum ad beneplacitum futuri Prælati sint ipso jure suspensi.* (Sess. 7, c. 10.) Hæc dispositio iterum habetur cum quibusdam complementis in capite 10 sessionis 23. His præmissis, potest circa propositam quæstionem jus exponi hoc modo.

Primo. Ante concilium Tridentinum poterat ex jure communi capitulum vel vicarius capitularis concedere dimissorias seu facultatem recipiendi ordines sacros ab externo Episcopo,

Digitized by Google

absque ulla limitatione temporis, et etiam aliis quam arctatis (1). Unde ubi non fuisset receptum concilium Tridentinum, adhuc ad illud jus commune attendendum foret.

Secundo. A concilii Tridentini tempore certum est non posse dimissorias a capitulo et vicario capitulari, sede vacante, concedi intra primum vacationis annum, nisi arctatis.

Tertio. Lex illa Tridentina intelligenda est etiam quoad primam tonsuram. Ita communior sententia; vide Leurenium (Tract. *De capitulo, sede vac.*, quæst. 412). Nec fidendum aliquibus auctoribus qui contrarium tanquam certum asserunt; inter quos etiam fuerat Monacelli, qui postea sententiam suam correxit ut ipse sic exponit (parte 3, tit. 1, form. 3, adnot. 3, edit. Venetiis, 1772, pag. 532) : « Hæc autem facultatis restric-« tio non solum respicit ordines minores et majores, sed etiam « primam clericalem tonsuram, pro qua intra annum non nisi « arctatis dimissorias vicarius capitularis concedit. Et licet (in « parte 1, tit. 1, ad form. 2, n. 2) contrarium tenuerim, nunc re « melius cognita libenter ab illa opinione recedo, tum quia « decretum per me ibi allegatum, *Congregatio censuit textum « hunc non comprehendere primam tonsuram,* debet intelligi, « quod concilium non comprehendat primam tonsuram *quoad « pœnas ibi impositas* contra ordinatos, non autem quoad « licentiam ordinandi; tum quia Fagnanus a me eodem loco « citatus, loquitur in casu arctati, ut patet ex ejus verbis relatis : « *rursus dubitatum fuit, an vicarius capituli, sede vacante, « possit concedere litteras dimissorias ad primam tonsuram « præsentato ad capellaniam simplicem? Sacra Congregatio « censuit posse, quia non prohibetur dare dimissorias ad pri-« mam tonsuram, et quia præsentatus est arctatus.* Et quan-« quam ex prima ratione a Fagnano deducta, videatur quod « vicarius possit dimissorias concedere ad primam tonsuram, « etiam non arctatis, tamen hoc dicit obiter, et dubium propo-« situm et resolutum est de arctato. Tum quia cum prima ton-« sura, secundum canonistarum sententiam in foro magis recep-

(1) Arctatus dicitur ille, verbi gratia, qui obtinuit præbendam canonicalem cui annexus est presbyteratus, vel diaconatus, vel subdiaconatus, et qui nondum ordini isti initiatus est. Arctatur proinde seu tenetur illum ordinem infra annum recipere, sub pœna amittendæ præbendæ.

Digitized by Google

« tam, sit ordo,... bene verificantur verba illa concilii *ordinandi* « *licentiam*. Tum demum quia hæc communior sententia. » Pro illa autem sententia communiori stat inter alios Cardinalis de Luca (ad conc. Trid., disc. 31, n. 32). Ego tamen fateor illa verba Sacræ Congregationis concilii, *quia non prohibetur dare dimissorias ad primam tonsuram*, mihi videri satis clara; et ex illis in sententiam, quæ minus communis est me non parum inclinari.

Quarto. Applicanda est etiam prædicta lex Tridentina vicario capitulari quem deputasset Metropolitanus, etiamsi deputasset illum ipsum qui a defuncto Episcopo acceperat facultatem hujusmodi dimissorias concedendi; quia in hac re Metropolitanus non habet nisi ipsummet jus capituli : jus enim illud et non aliud ad Metropolitanum devolvitur, quando capitulares vel non eligunt vel nulliter eligunt suum vicarium. Unde vicarius a Metropolitano deputatus non plus potest quam si a capitulo deputatus fuisset.

Quinto. Excipiendus est tamen vicarius Sedis Apostolicæ vacantis; quia jurisdictio illius sedis, etiam vacantis, per illud decretum non restringitur. (Vide Leurenium, loco citato.)

Sexto. Elapso primo vacationis anno, poterit vicarius capitularis dimissorias libere concedere etiam non arctatis. Annus autem computatur a morte Episcopi, ut observant plures auctores. Si autem sedes vacaverit translatione, videtur computandus a die translationis in consistorio factæ, non autem a die acquisitæ notitiæ circa eamdem translationem.

Septimo. Non posse tamen, etiam elapso primo anno, concedi a vicario capitulari dimissorias ordinandis ad titulum patrimonii vel pensionis, eo quod illud reservatum sit Episcopo (Trid. sess. 21, c. 2), affirmat decisum a Sacra Congregatione concilii Garcias citatus a Leurenio (Tract. *De capitulo, sede vac.*, quæst. 412).

Octavo. Olim docebant plures auctores non posse vicarium concedere dimissorias in casibus a lege Tridentina permissis, nisi ex mandato speciali capituli. Id vero fundamentum habebat in principio multoties memorato, posse capitulum retinere aliquid jurisdictionis post deputatum vicarium. Cum autem principium contrarium nunc certum sit, dicendum est vicarium

Digitized by Google

idem omnino per se ipsum posse, quod poterat capitulum ante transmissam jurisdictionem. Poterit ergo absque ullo speciali mandato capituli, dimissorias concedere in casibus ipsi a Tridentino permissis.

Nono. Dimissoriæ concessæ a vicario capitulari post annum, an expirent per ingressum novi Episcopi? Illas etiam, ingresso novo Episcopo, valere quin ab ipso confirmentur tenent plures auctores quos citat Monacelli (parte 3, tit. 1, formula 3, adnot. 5, pag. 532, edit. Venetiis, 1772). Unde, ut quidam canonistæ suadent, prudenter agit novus Episcopus, si, capta possessione, per edictum publicum eas revocet antequam ad executionem deveniant. Item ab aliis Episcopis generatim melius est non admitti dimissorias, tum a defuncto Episcopo, tum a vicario capitulari concessas, si tempore quo ipsis exhibentur istæ litteræ, jam sciant novum Episcopum possessionem cepisse; ita ut munitos istis dimissoriis non ordinent nisi consentiente novo Episcopo.

Decimo. Concedentes autem dimissorias contra formam decreti Tridentini, ab officio et beneficio per annum sunt ipso jure suspensi. (Ita sancivit Tridentina synodus, sess. 23, c. 10.)

§ 11

VICARIUS CAPITULARIS POTESTATEM HABET VISITANDÆ DIŒCESIS, ET QUONAM ID RITU PERAGI DEBEAT

Probatur 1° ex principio generali. — Admittendum est scilicet tanquam principium certum, ad capitulum et postea ad vicarium capitularem transire jurisdictionem ordinariam defuncti Episcopi, iis exceptis quæ a jure excepta reperiuntur; atqui jus instituendæ visitationis ad jurisdictionem ordinariam pertinet, et nullus reperitur juris ecclesiastici textus quo exprimatur illam jurisdictionis ordinariæ partem ad vicarium capitularem non transire; ergo transire censenda est.

Probatur 2° ex communi doctorum sententia. — « Potest « visitare non solum particularem ecclesiam (aut etiam visi- « tationem instituere contra certas personas suborta præcedente « diffamatione), verum etiam totam diœcesim. Idque non solum

Digitized by Google

« ubi specialis id exigit necessitas, aut sedes diu vacatura est « (ut vult Layman in c. *Cum olim*, De majorit. et obed., n. 50), « sed etiam simpliciter et indistincte loquendo, quemadmodum « id potest Episcopus. » Ita Leurenius (loco cit., quæst. 501). Eamdem doctrinam tradunt Fagnanus (in c. *His quæ*, De major, et obed., n. 50), et Garcias (*De benef.*, parte v, c. 7, n. 27). Idem tenet tanquam certum Pignatelli (tom. X, consult. 123, n. 4), et addit unicum inveniri auctorem, nempe Fuscum, qui deneget capitulo hanc potestatem visitandi diœcesim. Lotterus (*De re benef.*, l. 2, q. 2, a n. 42) eamdem sustinet thesim, quod nempe, quemadmodum indubitatum est jus illud visitandi esse actum jurisdictionis ipsius Episcopi, ita minime est hæsitandum, illud in capitulum transire. Ex his et multis aliis auctoritatibus, quæ videri possunt congestæ apud Leurenium, loco citato, et apud Barbosam (*Jus eccl.*, l. 1, c. 37, n. 67), concludendum est sententiam quæ tribuit generaliter capitulo, sede vacante, potestatem visitandæ diœcesis, communiter a doctoribus haberi tanquam certam et tenendam. Quod autem dicunt de capitulo, vacante sede, id applicandum venit vicario capitulari statim ac electus fuit; cum aliunde non minus certum sit totam capituli jurisdictionem in dictum vicarium transire.

Probatur 3° ex valde attendendo decreto Gregorii XVI, quo ritus hujusmodi visitationis præscriptus est. — Etiamsi reperirentur aliqui auctores veteres qui de prædicto vicarii capitularis jure olim hæsitassent aut confuse locuti fuissent, essent hodie omnino deserendi, ob decisionem a Gregorio XVI per S. Congregationem rituum emanatam, quam pro rei gravitate hic referendam duximus :

« Certum exploratumque cum sit in unaquaque diœcesi, « elapso anno a die novissimæ visitationis peractæ ab ultimo « Episcopo defuncto, posse vicarium capitularem legitime elec- « tum hanc ipsam visitationem per diœcesim instituere, sede « adhuc vacante, non abs re ab aliquibus dubitatum est quo « modo et ritu sit a clero excipiendus hac in actione; quæque « ab eodem clero obsequia illi sint præstanda : oportet enim ut « minora sint illis quæ Episcopo exhibentur. Propterea attento « liturgicorum hoc in proposito silentio, volensque omnia ordi- « nate instituere, reverendissimus vicarius capitularis Abelli-

Digitized by Google

« nensis, Sacrorum rituum Congregationi sequentia dubia eno-
« danda proposuit, nimirum : — 1° Quo ritu excipiendus sit
« vicarius capitularis ad valvas uniuscujusque ecclesiæ diœce-
« sis ? 2° An omnes de clero et etiam canonici de capitulo acce-
« dere debeant ad præstandam obedientiam? — Eminentissimi
« et reverendissimi Patres... rescribendum censuere : *Dilata,*
« *et ad mentem.* Mens est, *ut eminentissimus Cardinalis præ-*
« *fectus cum Sanctissimo agat de necessitate supplendi hac in*
« *re defectui cæremonialis.* Super quibus omnibus facta post-
« modum sanctissimo domino nostro Gregorio Papæ XVI, Pon-
« tifici Maximo relatione... Sanctitas Sua prædicto defectui
« supplendum esse mandavit juxta modum a magistro cæremo-
« niarum in suo voto propositum, videlicet : *Vicarius capitula-*
« *ris procedat ad ecclesiam cathedralem veste talari indutus,*
« *ubi intra portam recipietur ab universo capitulo. Cum eo*
« *pervenerit, assumet superpelliceum, vel alia insignia canoni-*
« *calia si sit canonicus, eidemque biretum presbyterale manu-*
« *tenenti, dignior ex capitulo stans aspersorium per contactum*
« *exhibebit. Præcedente cruce capitulari, cæterisque de clero*
« *recta statim inter duos digniores ex capitulo perget ad sacel-*
« *lum ubi Sanctissimum Sacramentum asservatur ; atque para-*
« *tis super genuflexorio pulvinaribus una cum prædictis dignio-*
« *ribus in genua provolutus orabit. Assurgens inde, principem*
« *petit aram, et brevi oratione super infimo gradu peracta,*
« *sedebit in camerali sede ante latus Epistolæ, super altaris*
« *suppedaneum præparata, cæterisque in propriis subselliis*
« *consedentibus, et caput bireto cooperiens, tradet* (*si moris*
« *est*) *cancellario visitationis edictum legendum, et deinde*
« *proponet causas adventus sui, ut habetur in Pontificali*
« *Romano* (*Ordo ad visitandas parochias*). *His absolutis, ab*
« *altari descendet, et in plano extra latus Epistolæ stans,*
« *supra superpelliceum, vel rochetum si eo utatur, amictum,*
« *stolam et pluviale nigrum induat; eique duo sacerdotes assis-*
« *tent. Interim sedes ab altari amovebitur, cujus frons pallio*
« *itidem nigro obtegetur. Visitor autem adhuc stans juxta*
« *altare in cornu Epistolæ versus ad populum incipit anti-*
« *phonam* Si iniquitates. *Cætera peragantur ut in Pontificali*
« *Romano, loco citato.* Quam methodum Sanctitas Sua firmi-

Digitized by Google

« tate sua communivit. Die 8 mense novembri eodem anno 1843. » (In collectione Gardelliana, tom. VIII, n. 4826.)

Demonstrato autem vicarii capitularis jure visitandæ diœceseos, duo exquirenda remanent : 1° Quid sentiendum sit de limitationibus quas auctores quidam huic juri apponunt; 2° quænam pro visitatione emolumenta exigere possit vicarius capitularis.

I. A prædicto visitationis jure vicario capitulari tribuendo aliqui auctores excipiunt casum quo non effluxisset annus ab ultima visitatione facta a defuncto Episcopo. Alii etiam hunc casum nolunt excipi nisi quatenus non urgeret necessitas. Alii excipiunt etiam casum quo brevi constituendus speraretur novus Episcopus. Sed non clare explicant utrum has limitationes intelligant quoad convenientiam et liceitatem in foro conscientiæ, an autem etiam quoad valorem sic factæ visitationis. At vero sic videtur enodanda circa hujusmodi limitationes difficultas. Cum certum sit jurisdictionem ordinariam Episcopi transire in capitulum, sede vacante, exceptis iis quæ a jure reperiuntur excepta; cum certum sit aliunde jus visitandi esse de jurisdictione ordinaria episcopali, et nullibi reperiatur expressum in legibus ecclesiæ jus illud ad capitulum *non transire*, aut transire tantum cum limitatione; concludendum est capitulo competere potestatem ordinariam visitandi sicut competebat defuncto Episcopo. Unde etiamsi vicarius capitularis visitationem diœcesis institueret nondum elapso anno ab *ultima* Episcopali visitatione, et etiamsi brevi constituendus foret novus Episcopus, non posset dici acta visitationis esse irrita ex defectu jurisdictionis.

At vero concurrentibus duobus prædictis casibus, visitatio (demptis circumstantiis extraordinariis) plerumque esset potius noxia quam utilis, ut patet; et ex hac ratione potest capitulo et vicario capitulari non esse licita. Et sic quoad liceitatem prædictæ limitationes in foro conscientiæ admittendæ videntur. Visitationem autem instituere capitulum vix unquam utiliter poterit, cum administrare nequeat nisi primis octo diebus a cognita sedis vacatione; et teneatur vicarium constituere, quo constituto, nihil jam remanet penes capitulum jurisdictionis quoad exercitium. Vicarius autem capitularis, utpote totius

Digitized by Google

jurisdictionis obtinens exercitium, poterit visitationem vel per seipsum exequi, vel per designatum a se visitatorem. Utrum autem possit visitatorem illum deputare absque consensu capituli, negabant olim aliqui auctores, ex principio ab ipsis admisso, capitulum servare adhuc jurisdictionem post constitutum vicarium. Cum autem jam certum sit nihil jurisdictionis exerceri posse a capitulo, electo vicario capitulari, tenendum est hunc nullo egere capituli consensu, sicut non egebat Episcopus deputans aliquem ad visitandam diœcesim.

II. Quænam emolumenta possit exigere vicarius capitularis, vel delegatus ab ipso missus, ab iis quos visitat? — Ista emolumenta a canonistis vocantur *procuratio;* et exigere ista emolumenta dicitur *exigere procurationem.* « Circa exactionem pro« curationis visitantium tria statuta sunt : primum, quod « recipiatur solum a locis visitatis : secundo, quod solum in « victualibus : tertio, quod visitantes et eorum familiares munera « non recipiant. » (Monacelli, editio Venetiana, pagina 533.) Possunt visitati, si ita sponte velint, pecunias loco victualium solvere. Sicut Episcopus nihil potest exigere pro visitatione civitatis in qua est cathedralis, ita nec vicarius capitularis. Procuratio enim, ex lege ecclesiastica, debetur tantum pro aliis locis diœceseos, cum ideo tantum constituta sit ut visitans ex impensis itineris non gravetur.

Certum est vicarium capitularem non posse exigere nisi medietatem procurationis quæ Episcopo visitanti debetur. Ita pluries declaravit Sacra Congregatio concilii (vide Monacelli, loco citato); et idem est de vicario generali Episcopi, dum ab impedito Episcopo ad visitationis munus deputatur. « Ratio est, quia « visitatores inferiores Episcopo, pauciores homines et pauciora « jumenta quibus cibaria sunt danda, secum habere et condu« cere debent. » (Monacelli, loco citato, nempe parte 3, tit. 1, formula 4, adnot. 3.)

Si vicarius capitularis exigit procurationem officio visitationis non impenso, vel si exigit plus debito, vel si munera recipit, incurrit pœnam suspensionis (ex cap. *Exigit*, De censuris, in sexto, et ex capit. 3 sessionis 24 concilii Trid.). Si ergo novus Episcopus vicarium capitularem syndicando, invenerit eum hac prævaricatione reum, debet illum exemplariter punire, et curare

Digitized by Google

ut restituat quæ indebite exegit. Formulam autem pro hac sententia episcopali adhibendam, vide in appendice sub n. XVII.

§ 12

AN POSSIT CAPITULUM AUT VICARIUS CAPITULARIS SYNODUM DIŒCESANAM CELEBRARE ?

Doctrinam Leurenii circa hanc quæstionem summatim referemus. 1° Refert quomodo multi auctores affirment simpliciter et sine restrictione inesse capitulo, dum vacat sedes, synodi diœcesanæ celebrandæ potestatem.

2° Refert postea limitationem quam apponit Layman et post ipsum Pirhing ; nempe synodum, sede vacante, congregari non debere, si paulo post Episcopus instituendus speretur, secus si sedes diu vacatura sit : ex ea scilicet ratione quod celebrare synodum sit actus reputandus inter *valde arduos*, qui juxta consuetudinem ecclesiarum censentur celebrari non posse nisi a proprie dictis earumdem ecclesiarum capitibus, id est, Episcopis.

3° Refert etiam sententiam Lotteri (*De re benef.*, *l. 11*, q. 31, n. 80 et seq.), a præcedente non valde dissimilem. Concedit nempe Lotterus celebrationem synodi pertinere ad jurisdictionem ordinariam ; et tamen non audet simpliciter affirmare hanc potestatem transire ad capitulum, vacante *sede*. Putat congregari a capitulo non posse synodum ad effectum statuendi generaliter et universaliter super statu ecclesiæ et cleri : posse vero ad effectum providendi alicui necessitati occurrenti. Verbi gratia, si vacaret ecclesia parochialis, et deesset numerus sufficiens examinatorum synodalium pro instituendo concursu, posset, sede vacante, celebrari synodus ad nominandos examinatores, ut sic pastore destituta non tamdiu remaneat parochia.

4° Hæc postquam exposuit Leurenius, quid ipse sentiat declarat his verbis : « Verum non video, cur non pari modo de « cogenda per capitulum synodo, quam de instituenda per illud « visitatione sit loquendum ; cum et visitare sit inter ardua, ut « expresse dicunt Layman et Pirhing ; nec cogere synodum

Digitized by Google

« minus sit de lege jurisdictionis quam visitare; urgeatque « pariter lex diœcesana et concilii (1) synodum Episcopalem « cogendi singulis annis : ac proinde dici queat posse et teneri « capitulum cogere synodum quoties id potest et tenetur Epi- « scopus, nempe singulis annis;... nisi forte non multum post « elapsum ab ultima synodo annum speretur successurus novus « Episcopus. Et sic absolute tradit Ventriglia (t. II, annot. 15, « § 2, n. 49) hisce expressis verbis : *Synodum diœcesanam « quotannis capitulum per suum vicarium, sede vacante, « potest celebrare et convocare.* Pro quo citat Gavantum (En- « chirid. Episc., v° Synodus diœcesana, n. 2). Imo subdit « Ventriglia : *Potest in ipsa synodo vicarius juxta consuetudi- « nem Ecclesiæ exigere manualem obedientiam, quam clerici « suo exhibere solent Episcopo.* Pro quo citat Quarantam et « Merollum. »

5° Posse et debere a vicario capitulari, sede vacante, congregari quotannis diœcesanam synodum certo constat insuper ex celebri declaratione seu potius instructione Sacræ Congregationis concilii, ad instantiam capituli Toletani, facta anno 1577, quam per extensum infra transcribimus, et in qua sic habetur de vicario capitulari, sede vacante. *Curabit idem vicarius ut singulis annis a diœcesana synodo probentur examinatores saltem sex.* Et paulo infra: *Curabit vicarius ut, lapso anno, alii in locum demortuorum sufficiantur seu eligantur in synodo diœcesana.* Ergo tanquam certum supponit et existimat Sacra Congregatio synodum diœcesanam debere quotannis, sede vacante, coadunari.

Si tamen non multo post elapsum ab ultimæ synodi celebratione annum constituendus speraretur Episcopus, et nulla cæteroquin urgeret necessitas, non teneretur vicarius capitularis synodum cogere; excusaretur enim ex causa valde rationabili, ex uberioribus nempe fructibus qui ex synodo per successorem Episcopum celebrata percipiendi legitime præsumuntur. Imo deberet in hoc casu et ex eadem ratione idem vicarius ab eadem celebratione abstinere. Si tamen synodum etiam tum cogat, jure suo utetur, et valebit actus.

(1) Nempe Tridentini.

Digitized by Google

CAPUT V

DE POTESTATE CAPITULI, SEDE VACANTE, IN MATERIA BENEFICIARIA

§ 1

NON POTEST CONFERRE BENEFICIA QUORUM COLLATIO PERTINEBAT AD SOLUM EPISCOPUM. — ET CUINAM RESERVETUR HÆC COLLATIO

1. In decretali Honorii III ad aliquos canonicos Suessionenses directa sic legitur: *Cum nusquam inveniatur cautum in jure, quod capitulum, vacante sede, fungatur vice Episcopi in collationibus præbendarum* (*c. Illa, ne, sede vacante*). Bonifacius autem VIII ita decernebat anno 1298: *Etsi capitulum, sede vacante, beneficia quæ ad collationem Episcopi pertinent conferre non possit, præsentatos tamen a patronis potest admittere si sint idonei, et eos instituere in beneficiis ad quæ fuerint præsentati: licet ad Episcopum, si superesset, admissio et institutio hujusmodi pertineret.* (C. *Etsi, De institutionibus*, in 6.)

Ex his et quibusdam aliis juris canonici textibus concludunt doctores unanimiter a potestate episcopali quæ transit in capitulum, sede vacante, excipiendam omnino esse collationem quorumcumque beneficiorum quæ ad Episcopum et nullatenus ad ipsum capitulum ante vacationem pertinebat. Idque intelligendum est tam de beneficiis simplicibus, quam de iis quibus cura animarum annexa est. Quam certissimam juris regulam confirmant decisiones et praxis Congregationum Romanarum, et ecclesiarum omnium.

In tradenda autem ratione cur, dum reliqua Episcopi potestas in capitulum transit, excipiatur prædicta beneficiorum collatio, variant doctores. Alii dicunt non posse dari aliam rationem nisi quod jus expresse exceperit, cum alioquin hæc collatio utpote pertinens ad jurisdictionem, in capitulum transire etiam deberet. Plurimi autem sustinent collationem beneficiorum non esse de jurisdictionalibus Episcopi, sed ad ipsum pertinere jure aliquo speciali; unde fit ut, dum jurisdictio ordinaria Episcopi manat in capitulum, non tamen simul transeat potestas episcopalis beneficia conferendi.

Digitized by Google

Quidquid autem sit de variis hisce ad rem explicandam disceptationibus, res ipsa certa est et extra omnem disceptationem posita.

II. Jam vero si quæratur cuinam reservetur collatio beneficiorum illorum quæ, sede vacante, vacant, regula generalis non minus certa est, illam reservari futuro Episcopo. Ubi tamen vigent regulæ cancellariæ, reservatur Summo Pontifici : « Tu vero « dicas, ait Fagnanus (in c. *Illa, ne, sede vacante*), hodie nullo « casu collationem transire in Episcopum successorem, sed in« distincte pertinere ad Papam ; quia ex regula secunda cancella« riæ reservantur dignitates et beneficia omnia, quæ tempore « vacationis episcopatuum quomodocumque vacaverint usque « ad provisionem successorum et adeptam ab eis pacificam pos« sessionem. »

§ 2

AD CAPITULUM PERTINET, SEDE VACANTE, COLLATIO BENEFICIORUM, QUANDO ANTE VACATIONEM ILLAM HABEBAT VEL EXCLUSIVE, VEL SIMULTANEE CUM EPISCOPO. — HIC VERO QUOD DICITUR DE CAPITULO NON INTELLIGENDUM EST DE VICARIO CAPITULARI

I. Certum est et ab omnibus admissum collationem alicujus beneficii posse pertinere ad capitulum, tum ex titulo fundationis, tum ex immemorabili possessione. Si autem capitulum potest in hoc casu, etiam sede plena, beneficium illud conferre, poterit a fortiori, vacante sede.

II. Item evenire potest ut capitulum circa quædam beneficia jus collationis habeat simultanee cum Episcopo. Imo supra probavimus de jure communi ad capitulum regulariter pertinere quoad canonicatus illam simultaneam collationem. In hoc autem casu certissimum est, sede vacante, totum jus conferendi in capitulo consolidari, ut omnes canonistæ docent, et ut supra etiam exposuimus. (Parte 2, cap. 4.)

III. Cum autem jus illud capitulum habeat ex se, non autem ex transmissione jurisdictionis episcopalis, vacante sede, illud servat constituto vicario capitulari ; ad quem capitulum transmittit quidem jurisdictionem ordinariam Episcopi nihil sibi ex illa reservando, non vero jura sibi propria. Nihil ergo potest vicarius capitularis circa illas collationes quæ titulo simultaneita-

Digitized by Google

tis ad capitulum pertinent. Unde, dum in aliis, quæ de capituli potestate dicimus, de vicario etiam capitulari, statim ac constitutus fuit, intelligenda veniunt, hic contrarium intelligendum est.

§ 3

AN ET QUOMODO POSSIT CAPITULUM, SEU POTIUS VICARIUS CAPITULARIS, SEDE VACANTE, DEPUTARE VICARIUM SIVE ŒCONOMUM QUI VACANTIA BENEFICIA ADMINISTRET

I. Certa est regula generalis, posse capitulum, sede vacante, constituere vicarium seu œconomum qui vacans beneficium interim administret. « Respondeo in genere (ait Leurenius, Tract. « *De capitulo, sede vac.*, quæst. 532), posse capitulum, sede va- « cante, vacantia beneficia, etiam quæ conferre attinebat ad « Episcopum, commendare ad tempus, providendo de idoneo « vicario et œconomo qui ea administret, dato ei congruo stipen- « dio, donec beneficia ab eo conferantur cui competit eorum « collatio. Id enim ad rectam diœcesis administrationem spectat. « In hisce terminis generalibus loquuntur Barbosa (*Jus eccl.*, l. I, « c. 32, n. 94), Rebuffus (tit. *de Devolut.*, n. 77 et 80)... Res- « pondeo in specie posse quoque capitulum, sede vacante, eccle- « sias parochiales commendare, constituereque vicarium qui « ecclesiæ deserviat et sacramenta administret, donec fuerit de « pastore provisum. Ita Barbosa (loco citato), dicens esse praxim « communem omnium episcopatuum, et multo magis id proce- « dere in beneficiis curatis quam simplicibus. »

II. Ubi tamen vigerent regulæ Romanæ cancellariæ, etiam deputatio vicarii seu œconomi ad Summum Pontificem pertinet et non ad capitulum. « Dum enim hodiedum omnia beneficia « spectantia ad collationem Episcopi vacantia, sede Episcopali « vacante, reservantur Papæ, censet (Lotterus) non posse capi- « tulum in parochialibus aliisque beneficiis apponere œcono- « mum aut temporaliter commendare ; eo quod ex eo quod Papa « habeat providere, et collatio non pertineat ad successorem in « episcopatu, soli Papæ seu ministris ejus competit illud jus cus- « todiæ aut deputatio œconomi, aut temporaria commenda. » (Leurenius, loc. cit.)

Digitized by Google

III. Certum etiam est a capitulo non posse deputari hujusmodi vicarium seu œconomum sub titulo commendatarii perpetui seu proprie dicti. Hujusmodi enim commendæ a concilio Tridentino prohibitæ et sublatæ sunt. (Sess. 24, c. 18.)

IV. Maxime attendere debent capitula seu potius vicarii capitulares ad duo quæ ipsis prohibita declarata sunt a Sacra Congregatione concilii; nempe *primo*, ne vicario quem deputant ad vacans aliquod beneficium assignent omnes fructus illius beneficii, sed partem tantum; *secundo* et præcipue, ne ad aliquam parochiam in vicarium deputent illum qui in concursu pro eadem parochia magis idoneus judicatus est. En ipsa verba declarationis a Fagnano relatæ, et ut ipse testatur a Summo Pontifice approbatæ: *Multo magis idem capitulum abstineat a conferendo parochialem vacantem in commendam temporalem ei qui magis idoneus fuerit judicatus. Maxime etiam caveat ne concedat omnes fructus ipsius parochialis eidem, dicta commenda durante: quoniam concilium hæc omnia prohibuit, dum statuit debere Episcopum statim habita notitia vacationis parochialis idoneum in ea vicarium cum congrua fructuum portione constituere; quod munus obibit, ut supra dictum est, vicarius præcise, sede vacante, deputatus. Cavebitque et ipse a dicta commenda et a concessione omnium fructuum. Et illud quoque sibi interdictum sciet; ne eum quem magis idoneum ipse judicaverit, constituat vicarium in parochiali, aut ei quoquomodo præficiat, donec collatio fiat. Sed debet omnino a principio vacationis et antequam ullum examen fiat, constituere in ea alium vicarium qui curam animarum interea gerat.* (Apud Fagnanum, in c. *Illa, ne, sede vacante*, n. 26 et seq.) Qui in concursu pro parochia obtinenda judicatus est magis idoneus, hoc ipso est a jure designatus ad talem parochiam. Nullus autem designatus ad aliquod beneficium potest illius sub alio quovis titulo administrationem sumere antequam canonice institutus fuerit; ut notum est quoad designatum ad sedem episcopalem, qui hoc ipso jam non potest, licet ibidem electus in vicarium capitularem, diœcesim administrare. Et ideo in præmissa formula tam rigide quoad casum de parochia vacante exprimitur illa prohibitio.

V. Quod autem dictum est in hac paragrapho de capitulo, in-

Digitized by Google

telligendum est eo sensu, quod capitulum id agere possit per vicarium suum, non autem per seipsum, ut patebit ex infra dicendis.

§ 4

CAPITULUM, SEDE VACANTE, POTEST PRÆSENTATOS AD BENEFICIA INSTITUERE ET ELECTOS CONFIRMARE

Quando aliqua familia vel quicumque alter fundat beneficium, ordinarie contingit ut in diplomate sibi suisque hæredibus vel aliis designatis reservet id quod vocant jus patronatus, jus nempe præsentandi quem voluerint ad illud beneficium quando vacabit; et ita ut ille debeat institui, modo sit idoneus.

Quod autem hujusmodi præsentatos instituere possit capitulum expresse declarat decretalis Bonifacii VIII *Etsi*, initio § 1 modo transcripta. Et ita tenent doctores unanimiter. « Succedit enim capitulum, sede vacante, in jurisdictione Episcopali ordinaria, et vel maxime in necessaria, et quoad illos actus per quos nulla fit rei alienatio, et qui non tendunt in præjudicium Episcopi futuri. Jam vero instituere (idem est de confirmare) competunt jure magistratus, reputanturque ideo inter jurisdictionalia seu fructus jurisdictionis; estque actus jurisdictionis necessariæ, et dicitur collatio necessaria... Est actus justitiæ. Neque per illam res ulla ecclesiæ alienatur aut ullum fit Episcopo successori præjudicium. Si enim præsentatus est dignus, debet institui ab Episcopo, nec potest rejici. Atque ita, ut inquit Lotterus (*De benef.* l. II, q. 2, n. 21) ratio necessitatis, juncta cum cessatione præjudicii Episcopi, suadet ut confirmatio æque ac institutio, sede episcopali vacante, transeat in capitulum. »

Quoad confirmationem electorum, eadem est auctorum consensio, et non minus expresse a jure capitulo tribuitur, vacante sede (in capite *Cum olim, De majoritate et obedientia*) : *cum ecclesia Messanensis vacet ad præsens, electionem suam confirmandam, prout de jure fuerit, vel etiam infirmandam præsentent capitulo Messanensi*. Unde quando confirmatio alicujus electionis pertinet ad Episcopum, mortuo Episcopo, eadem confirmatio pertinet ad capitulum. Ratio autem est quod confirmatio sicut institutio sit actus justitiæ et jurisdictionis necessariæ, « cum

Digitized by Google

« per electionem sit jus quæsitum electo, eique sit debita confir-
« matio, » ait Fagnanus (c. *Illa, ne, sede vac.*, n. 12).

Cur autem capitulum, sede vacante, licet non possit beneficia conferre, possit tamen ad illa præsentatos vel electos instituere et confirmare, variis rationibus discutiunt auctores. Jus autem utrumque certum est.

Statim autem ac vicarius capitularis constitutus est, ad ipsum et non jam ad capitulum pertinet instituere et electos confirmare.

§ 5

QUID POSSIT, SEDE VACANTE, CAPITULUM VEL VICARIUS CAPITULARIS QUOAD BENEFICIA PAROCHIALIA PER CONCURSUM CONFERENDA

Extat de hac materia valde notabilis instructio quædam Sacræ Congregationis, de qua sic loquitur Fagnanus (c. *Illa, ne, sede vacante*) : « In Sacra Congregatione concilii fuit actum de « observandis in examinibus faciendis pro collatione parochia- « lium, sede cathedrali vacante, et ita concepta fuit formula, « per manus transmissa, et a Sanctissimo approbata. » Hanc formulam postea per extensum transcribit. Eamdem refert Garcia (*De beneficiis*, parte 9, c. 2, n. 8), addens factam fuisse ad instantiam capituli Toletani, anno 1577, dum sedes illa archiepiscopalis vacaret. Ex collatione utriusque textus menda aliqua typographorum correximus :

Observanda in examinibus faciendis pro collatione parochialium, sede cathedrali vacante.

Imprimis capitulum nullam sibi in hisce examinibus auctoritatem vindicabit; sed constituet officialem seu (1) *vicarium infra octo dies post mortem Episcopi, prout mandat concilium Tridentinum* (*sess.* 24, *c.* 16).

Secundo. Is vicarius sic constitutus obibit illa omnia munia quæ concilium (*sessione* 24, *c.* 18) *statuit obeunda ab Episcopo seu ejus vicario, cum parochialis ecclesiæ vacatio contigerit.*

Tertio. Et in specie statim habita notitia vacationis ecclesiæ, et antequam ullum fiat examen, constituet idoneum in ea vicarium cum congrua fructuum portionis assignatione, reserva-

(1) Textus Garciæ habet, *et* vicarium.

Digitized by Google

tis reliquis fructibus iis quibus jure debebuntur (1). *Hic autem vicarius sic positus ejusdem parochialis onera sustinebit, donec de rectore provideatur.*

Quarto. Postea per edictum publicum vocabit eos omnes qui voluerint examinari pro obtinenda ea parochiali vacante.

Quinto. Deinde examinabit eos qui concurrerint, adhibitis etiam aliis examinatoribus saltem tribus; quorum vota si paria aut singularia fuerint, accedere possit ipse vicarius quibus magis ei videbitur.

Sexto. Curabit idem vicarius ut singulis annis in diœcesana synodo probentur examinatores saltem sex, ex quibus tres ipse eliget, eosque congregabit, qui secum examen perficiant ad singulas vacantes parochiales. Et si duo vel unus tantum ex dictis examinatoribus cum vicario, vel omnes tres aut etiam sex absque vicario seipsos congregaverint, ac examen perfecerint, nullum erit.

Et si ex dictis examinatoribus aliqui intra annum suæ electionis mortui fuerint, tota facultas examinandi una cum vicario ad superstites, etiamsi unus tantum superesset, spectabit eo anno durante.

Septimo. Si contingat sequentibus annis nullos examinatores eligi in synodo diœcesana, illi sex qui semel præcedente anno ex decreto concilii fuerint electi, pro legitimis habeantur, etiam post lapsum annum suæ electionis, et sic in officio suo perseverare possint, donec alii servata forma concilii electi fuerint. Et si ex dictis examinatoribus aliqui mortui fuerint, curabit vicarius ut, lapso anno, alii in locum mortuorum sufficiantur seu eligantur in synodo diœcesana: alioquin qui supererunt pro legitimis non habeantur.

Octavo. Examen et approbatio pro legitimis non habeantur ad parochiales vacantes, si antea ad alias parochiales quæ prius vacaverint fuerint facta; ita ut non sufficiat quem judicatum fuisse idoneum præteritis mensibus aut annis ad aliquas parochiales, sed semper opus sit novo examine et nova approbatione ad ipsam parochialem de cujus collatione singulis vicibus agetur.

(1) Textus Fagnani, *Iis quibus jure videbitur*. Textus Garciæ, *Iis quibus vere debebuntur*.

Digitized by Google

Nono. Examinatores ex pluribus examinatis, non unum solum, sed plures quos judicaverint idoneos significabunt vicario; et ex istis pluribus per examinatores indicatis, non ipsi examinatores, sed ipse vicarius eliget quem cæteris magis idoneum judicaverit. Hæc enim facultas nullo modo examinatoribus competit, cum soli Episcopo a concilio sit attributa, cujus loco erit vicarius, sede vacante.

Decimo. Ipse etiam vicarius solus absque examinatoribus scribet litteras ad sanctissimum Dominum nostrum, ad quem collatio parochialis spectabit (1), *quibus præcipue testabitur vacasse parochialem, propositum fuisse edictum, et ex examinatis fuisse tot idoneos a tribus saltem examinatoribus judicatos; se vero ex istis idoneis talem cæteris magis idoneum judicasse et elegisse.*

Undecimo. Capitulum aut decanus ecclesiæ cathedralis nullum jus sibi vindicet proponendi edictum, aut deputandi seu eligendi vel convocandi coram se examinatores, nec jubendi aut curandi ut coram se aut examinatoribus ab eo deputatis examen fiat, (*multoque*) (2) *minus eligendi magis idoneum, aut litteras testimoniales de eo scribendi; sed hæc omnia, ut supra dictum est, exequetur partim synodus diœcesana, partim vicarius, sede vacante, constitutus, quem capitulum omnino* (*ut supra quoque in principio injunctum est*) *constituere debebit, ex dicto capite* 16 (3).

Duodecimo. Multo magis idem capitulum abstineat a conferendo parochialem in commendam temporalem ei qui magis idoneus fuerit judicatus; maximeque etiam caveat ne concedat omnes fructus ipsius parochialis eidem, dicta commenda durante; quoniam concilium hæc omnia prohibuit, dum statuit debere Episcopum, statim habita notitia vacationis parochialis, idoneum in ea vicarium cum congrua fructuum portione constituere; quod munus (*ut supra quoque dictum est*) *obibit præcise vicarius, sede vacante, deputatus.*

(1) Nempe secunda ex regulis Cancellariæ, quæ hic vigere supponuntur, collationem beneficiorum vacantium, vacante sede, reservat Summo Pontifici.

(2) Deest *multoque;* sed videtur illa vox supplenda.

(3) Nempe sessionis 24 concilii Tridentini.

Digitized by Google

Cavebitque etiam ipse (1) *a dicta commenda et concessione omnium fructuum ; et illud quoque sibi interdictum sciet, ne eum quem magis idoneum ipse judicaverit constituat vicarium in parochiali, aut ei quoquomodo præficiat, donec collatio fiat : sed debebit omnino a principio vacationis, et antequam ullum examen fiat, constituere in ea alium vicarium, qui curam animarum interea gerat, donec parochialis fuerit a Sede Apostolica collata magis idoneo.*

Hæc celebris declaratio, quæ totam formam concursuum in conferendis beneficiis parochialibus, non solum vacante sede, sed etiam plena (ut recte advertunt auctores cum Garcia, parte 11, c. 2, n. 9), tam præclare determinat, ita etiam clare exponit quænam sint in hac materia capituli et vicarii capitularis partes, ut quidquam addi fere supervacaneum sit. Ad quædam tamen præcipua punctarem totam de qua in præsenti paragrapho agimus, reducemus.

I. Potest, sede vacante, vicarius capitularis quoad concursus pro beneficiis parochialibus omnia quæ peragere posset ipse Episcopus, usque ad electionem inclusive, et usque ad collationem exclusive. Id sequitur invicte ex præmissa Sacræ Congregationis concilii declaratione, et ita etiam concludit Leurenius. (Tract. *De capitulo, sede vac.*, quæst. 530.)

II. Potest ergo apponere edictum de concursu, ad concursum vocare, concurrentes examinare, ex approbatis digniorem eligere, curare ut in synodo diœcesana eligantur examinatores, ac proinde etiam hanc synodum celebrare ; potest administrationem vacantis beneficii committere alicui vicario seu œconomo idoneo, modo ille non sit idem ac is qui in concursu pro eodem beneficio obtinendo judicatus est magis idoneus, et eidem assignare partem congruam fructuum, non autem omnes fructus.

III. Ab his omnibus excluditur capitulum ; ita ut in ea sese intromittere nequeat.

IV. Hæc autem doctrina in prædicta declaratione Sacræ Congregationis concilii contenta a canonistis tanquam regula certa recipitur. Ex quibus adducere sufficiat celeberrimum Cardinalem de Luca : « Planum ac receptum dixi quod concursus fieri

(1) Nempe vicarius capitularis.

Digitized by Google

« debeat coram vicario ad præscriptum concilii Tridentini de-
« putato ad exercitium universæ jurisdictionis Episcopalis in
« diœcesi, non autem coram capitulo, juxta declarationem Sa-
« cræ Congregationis (*loquitur de declaratione modo tran-*
« *scripta*) registratam apud Garciam. Idque summa ratione;
« quoniam concilium loquitur de Episcopo vel vicario, et sic de
« unico officiali; unde sub nomine vicarii contenti in decreto
« conciliari veniat deputatus a capitulo. Ac etiam quia prorsus
« incommodum videtur hujusmodi actum explicari in pleno
« capitulo, ubi ob ingeniorum et affectionum nimiam discre-
« pantiam, scissuræ et pleraque inconvenientia resultare pos-
« sent. » (*De parochis*, discursu 5, a n. 4.) Idem evolvit citatus auctor in *Annotationibus ad concilium Tridentinum* (disc. 23, n. 30).

CAPUT VI

QUOMODO EXPIRET POTESTAS CAPITULI ET VICARII CAPITULARIS

§ 1.

AN EXPIRET ANTEQUAM NOVUS EPISCOPUS OSTENDERIT CAPITULO LITTERAS PROVISIONIS APOSTOLICÆ?

Certum est ante præsentatas capitulo litteras confirmationis et provisionis Apostolicæ, non deficere jurisdictionem in capitulo, sive in vicario capitulari. « Sedis vacatio, etsi quantum est
« de jure communi, duret solum usque ad confirmationem,
« institutionem seu provisionem a Sede Apostolica factam, ita
« ut per dictam confirmationem, institutionem seu provisionem
« acquiratur novo Prælato exercitium jurisdictionis ante appre-
« hensionem possessionis, adeoque jam cesset jurisdictionis ha-
« bitualis existentia penes capitulum, ejusque administratio in
« vicario capitulari; hodie tamen post extravagantem *Injunctæ*
« (*De electione*, inter extrav. comm.), non ante cessat sedis va-
« catio, quam confirmationis, institutionis et provisionis hujus-
« modi apostolicæ litteræ sint expeditæ, et actualiter præsentatæ
« ipsi capitulo, cujus Prælati sedes vacabat; prout expresse
« disponitur per dictam extravagantem. » (Leurenius, *Tract. de Capitulo, sede vac.*, quæst. 615.)

Digitized by Google

Cavebitque etiam ipse (1) *a dicta commenda et concessione omnium fructuum ; et illud quoque sibi interdictum sciet, ne eum quem magis idoneum ipse judicaverit constituat vicarium in parochiali, aut ei quoquomodo præficiat, donec collatio fiat : sed debebit omnino a principio vacationis, et antequam ullum examen fiat, constituere in ea alium vicarium, qui curam animarum interea gerat, donec parochialis fuerit a Sede Apostolica collata magis idoneo.*

Hæc celebris declaratio, quæ totam formam concursuum in conferendis beneficiis parochialibus, non solum vacante sede, sed etiam plena (ut recte advertunt auctores cum Garcia, parte 11, c. 2, n. 9), tam præclare determinat, ita etiam clare exponit quænam sint in hac materia capituli et vicarii capitularis partes, ut quidquam addi fere supervacaneum sit. Ad quædam tamen præcipua punctaarem totam de qua in præsenti paragrapho agimus, reducemus.

I. Potest, sede vacante, vicarius capitularis quoad concursus pro beneficiis parochialibus omnia quæ peragere posset ipse Episcopus, usque ad electionem inclusive, et usque ad collationem exclusive. Id sequitur invicte ex præmissa Sacræ Congregationis concilii declaratione, et ita etiam concludit Leurenius. (Tract. *De capitulo, sede vac.*, quæst. 530.)

II. Potest ergo apponere edictum de concursu, ad concursum vocare, concurrentes examinare, ex approbatis digniorem eligere, curare ut in synodo diœcesana eligantur examinatores, ac proinde etiam hanc synodum celebrare ; potest administrationem vacantis beneficii committere alicui vicario seu œconomo idoneo, modo ille non sit idem ac is qui in concursu pro eodem beneficio obtinendo judicatus est magis idoneus, et eidem assignare partem congruam fructuum, non autem omnes fructus.

III. Ab his omnibus excluditur capitulum ; ita ut in ea sese intromittere nequeat.

IV. Hæc autem doctrina in prædicta declaratione Sacræ Congregationis concilii contenta a canonistis tanquam regula certa recipitur. Ex quibus adducere sufficiat celeberrimum Cardinalem de Luca : « Planum ac receptum dixi quod concursus fieri

(1) Nempe vicarius capitularis.

Digitized by Google

« debeat coram vicario ad præscriptum concilii Tridentini de-
« putato ad exercitium universæ jurisdictionis Episcopalis in
« diœcesi, non autem coram capitulo, juxta declarationem Sa-
« cræ Congregationis (*loquitur de declaratione modo tran-*
« *scripta*) registratam apud Garciam. Idque summa ratione;
« quoniam concilium loquitur de Episcopo vel vicario, et sic de
« unico officiali; unde sub nomine vicarii contenti in decreto
« conciliari veniat deputatus a capitulo. Ac etiam quia prorsus
« incommodum videtur hujusmodi actum explicari in pleno
« capitulo, ubi ob ingeniorum et affectionum nimiam discre-
« pantiam, scissuræ et pleraque inconvenientia resultare pos-
« sent. » (*De parochis*, discursu 5, a n. 4.) Idem evolvit citatus auctor in *Annotationibus ad concilium Tridentinum* (disc. 23, n. 30).

CAPUT VI

QUOMODO EXPIRET POTESTAS CAPITULI ET VICARII CAPITULARIS

§ 1

AN EXPIRET ANTEQUAM NOVUS EPISCOPUS OSTENDERIT CAPITULO LITTERAS PROVISIONIS APOSTOLICÆ?

Certum est ante præsentatas capitulo litteras confirmationis et provisionis Apostolicæ, non deficere jurisdictionem in capitulo, sive in vicario capitulari. « Sedis vacatio, etsi quantum est
« de jure communi, duret solum usque ad confirmationem,
« institutionem seu provisionem a Sede Apostolica factam, ita
« ut per dictam confirmationem, institutionem seu provisionem
« acquiratur novo Prælato exercitium jurisdictionis ante appre-
« hensionem possessionis, adeoque jam cesset jurisdictionis ha-
« bitualis existentia penes capitulum, ejusque administratio in
« vicario capitulari; hodie tamen post extravagantem *Injunctæ*
« (*De electione*, inter extrav. comm.), non ante cessat sedis va-
« catio, quam confirmationis, institutionis et provisionis hujus-
« modi apostolicæ litteræ sint expeditæ, et actualiter præsentatæ
« ipsi capitulo, cujus Prælati sedes vacabat; prout expresse
« disponitur per dictam extravagantem. » (Leurenius, *Tract. de Capitulo, sede vac.*, quæst. 615.)

Digitized by Google

In citata autem extravaganti sic decernit Bonifacius VIII : *Præsenti itaque perpetuo valitura constitutione sancimus ut Episcopi et alii Prælati superiores... quocumque nomine censeantur, qui apud dictam sedem promoventur, aut confirmationis, consecrationis vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis ecclesias et monasteria, absque dictæ Sedis litteris hujusmodi eorum promotionem, confirmationem, consecrationem seu benedictionem continentibus, accedere, vel bonorum ecclesiasticorum administrationem accipere non præsumant : nullique eos absque dictarum litterarum ostensione recipiant, aut eis pareant vel intendant. Quod si forsan contra præsumptum fuerit, quod per Episcopos, Prælatos... et alios prædictos medio tempore actum fuerit, irritum habeatur... Capitula vero et conventus ecclesiarum et monasteriorum ipsorum, ipsos absque hujusmodi dictæ sedis litteris recipientes vel obedientes eisdem, tamdiu sint a beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec super hoc ejusdem Sedis gratiam meruerint obtinere.*

Fatendum est aliquos auctores contrarium sustinuisse, inter quos Parisius (*De resignatione*, l. VII, quæst. 23, n. 46) qui auctoritate Rotæ in hanc opinionem inductus fuit. Verum est etiam tribunal Rotæ primo in hunc sensum abiisse (in *Burgensi*, 28 januarii 1583). At vero decisio illa, ut refert Leurenius (loco supra citato), « dein melius examinata dispositione « dictæ extravagantis *Injunctæ*, revocata fuit per aliam ei con- « trariam in eadem causa Burgensi (3 junii 1583); et hanc deci- « sionem ultimam, et revocatoriam prioris, fuisse postmodum « sæpius a Rota canonizatam ait Gonzalez (1). Atque ex his « concluditur ad expirationem potestatis capituli ejusque vicarii « requiri, non solum propositionem in consistorio, factamque « in eo promotionem, et dein litterarum expeditionem, etiam « cum certa prædictorum scientia habita a capitulo; sed insu- « per opus esse actuali ostensione et præsentatione dictarum « litterarum, sive Brevis loco ipsarum, facta capitulo.

(1) Verbi gratia, in Tarraconensi 11 decembris 1702, sic legitur : « Idem practi- « cari solet ab Episcopis, qui bullas apostolicas ostendere tenentur capitulo, ut « possessionem episcopatus capere possint; non ad effectum petendi licentiam a « capitulo, sed ut ei notificent collationem in sui personam factam. » (In appendice decisionum selectarum Monacelli, decisio 16.)

Digitized by Google

« Seclusa etiam extravaganti *Injunctæ*, æquum videtur non « posse Episcopum ingerere se administrationi et jurisdictionis « exercitio, nisi dictis litteris præsentatis capitulo, de cujus « præjudicio agitur, et de tollenda ei administratione et juris- « dictione habita ab eo, sede vacante, a qua prius desistere non « tenetur. »

Cavendum ergo est (ut ibidem advertit Leurenius), a paucis quibusdam auctoribus qui ante ostensas capitulo litteras jurisdictionem confirmato Episcopo attribuunt. Decretalis enim *Injunctæ* Bonifacii VIII, rem clare definivit, et pro jure communi habenda est. (Vide Barbosam, *De episcopo*, alleg. 54, n. 60; — alleg. 111, n. 35; — Azorium, *Instit. morales*, parte 2, l. III, c. 29, quæst. 9; — Dianam, *Resolut. morales*, parte 5, tract. 2, res. 47; — Lotterum, *De re benef.*, l. I, q. 27, n. 30.)

§ 2

AN ALIQUIS JUXTA CONCORDATA PRÆSENTATUS SEU NOMINATUS A GUBERNIO AD EPISCOPATUM, POSSIT ANTE CONFIRMATIONEM APOSTOLICAM DIŒCESIM ADMINISTRARE? AN TALIS POSSIT IN VICARIUM CAPITULAREM ELIGI? AN CONSUETUDO VI CUJUS UTRUMQUE PRÆDICTUM IN PRAXIM REDUCERETUR ALIQUID VALERE CENSENDA SIT?

Ad tres illas quæstiones omnino negative respondendum est. Discussionem autem illam reperies in meo tractatu *De episcopo*, ubi doctrinam contrariam habendam esse tanquam prorsus damnabilem et damnatam ostendimus. Nedum ergo capitulum et vicarius capitularis cedere debeant, dum possessionem apprehendere tentaret qui nominatus tantum est a Gubernio, et nondum confirmatus fuit a Summo Pontifice, talem statim Sedi Apostolicæ denuntiare debent, utpote qui intrusionem molitus sit; si vero a potestate civili manutentus, nihilominus de facto administrare incipiat, tenentur, et quidem sub gravi, capitulum et vicarius capitularis populum universum diœcesis certiorem facere, ne talem ut pastorem recipiant, cum sit intrusus et schismaticus, atque omni jurisdictione destitutus.

Quod si capitulum ipsum (quod Deus avertat) manus prævaricationi dedisset, nominatum a Gubernio in vicarium capitu-

Digitized by Google

larem eligendo, tota administratio talis vicarii capitularis nullitatis vitio laboraret. Tunc autem quilibet de clero, præsertim curam animarum habentes, deberent populum christianum admonere. Ad quod si utile reputaretur in cœtum convenire, non videtur dubium quin versentur in eo casu exceptionali, in quo clerum sese congregare posse absque Episcopi licentia dicimus parte 4, cap. 7, § 3. Quamprimum autem relatio ad Apostolicam Sedem expedienda esset.

§ 3

QUOMODO CAPITULUM ET VICARIUS CAPITULARIS TENEANTUR NOVO EPISCOPO RATIONEM REDDERE SUÆ ADMINISTRATIONIS

« Potest successor Episcopus rationem exigere a capitulo et « ejus vicario. Et si Episcopus vicarium illum culpabilem in- « venerit, potest eumdem punire; juxta declarationem Sacræ « Congregationis concilii quæ sic habet : Congregatio concilii « censuit Episcopum posse rationem administrationis officii « gesti a vicario capituli, sede vacante constituto, exigere, at- « que alicujus delicti reum compertum punire, auctoritate sibi « tributa a decreto concilii (c. 16, sess. 24), idque etiamsi a « capitulo fuisset absolutus. » Ita Leurenius (Tract. *De capi- « tulo, sede vac.*, quæst. 620), cum communi doctorum sententia. Nec ullum de hac re ambigendi locum reliquit textus Tridentinus : *Episcopus vero ad eamdem ecclesiam vacantem promotus, ex iis quæ ad eum spectant, ab eisdem œconomo, vicario, et aliis quibuscumque officialibus et administratoribus, qui, sede vacante, fuerunt a capitulo vel ab aliis in ejus locum constituti, etiamsi fuerint ex eodem capitulo, rationem exigat officiorum, jurisdictionis, administrationis, aut cujuscumque eorum muneris; possitque eos punire qui in eorum officio seu administratione deliquerint; etiamsi prædicti officiales redditis rationibus, a capitulo vel a deputatis ab eodem, absolutionem aut liberationem obtinuerint.* (Sess. 24, c. 16.) Formulam ad puniendum vicarium capitularem qui deliquisset, vide in appendice, n. XV. « Atque ex his omnibus (ait Leure- « nius, loco cit.) concluditur teneri vicarium capituli *ad syn-*

Digitized by Google

« *dicatum*, sive stare syndicatui, quod nihil est aliud quam « teneri illum Episcopo rationes reddere administrationis suæ. »

« Hunc autem syndicatum (ait Monacelli, part. 3, tit. 1, « formula 41, adnot. 1) Episcopus facere non omittat, nec « reputet hanc omissionem esse levem ; quia concilium Tri- « dentinum (capite 16 sessionis 24) non consulit, aut hortatur « Episcopum, ut recipiat rationem administrationis officii a « vicario et aliis officialibus capituli, sed ei præcipit et imperat « illis verbis, *rationem exigat;* et per consequens Episcopus « scienter omittens id facere contra præceptum concilii, non est « immunis a culpa mortali, per textum satis clarum in capite « *Nulli fas* (19 dist.) et ex aliis juribus ad hoc probandum ad- « ductis a Fagnano (in c. *Quoniam*, n. 22, *De constit.* ; — et in « c. *A crapula,* n. 21, *De vita et honest. cleric.*) .Idque optima « ratione a concilio ordinatum fuit, quia inde non parva prove- « niunt bona : hoc enim timore perterriti vicarii capituli, « æquius officio funguntur suo. »

Formulam qua Episcopus notificet habendum fore syndicatum vicarii capitularis, vide in appendice, n. XVI.

Digitized by Google

EPILOGUS

Antequam ab ista de Capitulis tractatione manum retrahamus, nonnullis quæ oboriri facile possent querelis obviandum esse existimavimus. Apud cæteras quidem, præter Galliam, regiones, nullis offensioni fore doctrinam expositam speramus : non enim novam neque ab ea quam in scholis suis tanquam communem et probatam haurire solent, dissimilem reperient. At vero in Gallia (pro ea quæ de capitulorum natura et juribus non parum invaluit opinione, atque eorumdem jam consueta ab ultimi concordati tempore ordinatione), non deerunt forsan viri, doctrinæ etiam et pietatis gravitate conspicui, qui doleant non paucas a nobis motas quæstiones atque conclusiones deductas, praxi a non parvo tempore in ea regione obtinenti adversas. Objicient scilicet intempestivam scriptionem, apertam tumultibus et dissidiis viam : unde minus prudentis et ecclesiarum Galliæ utilitati consulentis ingenii, notam in nos forte torquebunt.

Qua quidem nocivi magis quam proficui exitus expectatione, eos primo intuitu affici nedum miremur, eadem et nos aliquantisper detenti hæsimus.

At diligentius perspecta re, omnis evanuit cunctatio. Imprimis enim, interruptum tot annis in Gallia juris canonici studium nunc tandem reviviscere, strenue ad id non paucis de clero animum convertentibus, notum omnibus est. Silente me, jus commune de capitulis expendissent procul dubio alii, ac praxim præcipue illam Galliæ quæ videtur a communi regula recedere serius ocius ad crisim vocassent. Non erat ergo cur

Digitized by Google

institutiones juris canonici edens, truncas eas emitterem, ad vitandas quæ jam vitari nequeunt disceptationes.

Quid autem eventura commemoro, cum jam et facta eadem et in manualia seminariorum Galliæ introducta constet? Quæstiones illas de praxi hodierna quoad Galliæ capitula non ego primus exagito : in medium eas adduxerunt præter cæteros, etiam dictorum manualium auctores. — Fateor, inquis, at diversis conclusionibus, et jus episcopale firmantibus, non convellentibus. — Diversis utique, subjiciam ego, at plene et audacter mendacibus. Neque aliqua saltem probationis specie falsam quam junioribus propinant clericis doctrinam munire curant; quodque fuerat huc usque apud heterodoxos etiam inauditum, jus commune dicunt id ipsum quod jus illud reprobat; sententiam doctorum communem, quod sententia illa unanimis explodit; praxim in Gallia olim obtinentem, quam constat contrariam extitisse : idque in classicis seminariorum libris. Atque ut unum inter multa, exempli gratia, referam, dum affirmant collationem canonicatuum ad Episcopum ex juris communis præscripto exclusive pertinere, idque tanquam extra controversiam omnem proferunt, frustra quæres de tam aperte falso asserto vel minimam probationis larvam. Quorum manualium unum nuper fuit a Sacra indicis Congregatione confixum. Atque utinam, hac suadente animadversione, tandem removeantur a seminariis Galliæ alii non minus nocivi libri; quibus sub fucato episcopalem auctoritatem muniendi prætextu, rebellionis erga Sedem Apostolicam funestissimum germen incautis clericorum generationibus injicitur, episcopalis ipsa auctoritas a fundamento corroditur, et ecclesiis tempestatum ac turbinum nubes aliquando explosuræ coacervantur. — Laudandi, inquis, auctores illi, quod firmandæ Episcòporum auctoritati desudent — quasi inconcussa illa Præsulum auctoritas fictitio et mendaci jure firmari possit, et non potius vero et certo; aut mendaciis, alioquin lapsura, indigeat! Hujus profecto auctoritatis hostes non propugnatores reputandi qui hoc arenaceo et ridiculo fundamento eam superexstruunt. Sibi forte gratulantur, quod aliquibus Galliæ Episcopis sic adulando gratum fecerint : at neque hoc ipsos assecutos existimaverim. Quis enim venerabilium horum Præsulum non injuriam duxerit falsa sibi tribui

Digitized by Google

jura, atque iis auctoritatem suam fulciri commentis, quæ debeant a Sede Apostolica reprobari? Quasi non præsto sint in orthodoxæ doctrinæ et veri juris ecclesiastici promptuariis ditissima præsidia, quæ eam invincibilem atque omnibus presbyterianismi moliminibus inaccessam faciant. Dum ergo quæstiones de capitulis præsentem Galliæ ecclesiarum statum spectantes attigimus, nobis incœptum non imputetur. Præierant alii falsa de iisdem spargentes, quæ confutandi incumbebat necessitas.

Quod vero occasione eorum quæ in nostro tractatu exposuimus aliqua forte oriri possit Episcopos inter et capitula Galliæ disceptatio, non est cur adeo reformidetur. Præsto est enim Romæ permanens tribunal, Sacra nempe Congregatio *concilii* ad dubia hujusmodi jura declaranda. Jam vero lites quæ tam facile unica possunt et solent responsoria epistola dirimi, nedum nocivæ æstimandæ sint, id potius afferunt utilitatis, quod animos, non facile aliter quieturos, pacificent atque in solidam concordiam adducant. Excutiendam autem hanc a centro unitatis dependentiam, atque Apostolicæ Sedis in declarandis juribus interventum, ille solus dixerit, qui schismatici jam veneni aliquid incautus hausit, nec quibus malorum monstris opinio hæc sit fœta attente ponderavit.

Objicere nobis vicissim quis poterit in erroneas *nos* ivisse conclusiones, nec omnia sat validis auctoritatibus munivisse. Ad quod promptum responsum est : nos scilicet, si talia exciderint, corrigere esse paratos. Maximi nominis canonistas non piguit errata fateri et retractare. Quanto magis nos id decet, in difficilibus præsertim et fere nondum expensis quæstionibus, quibus recentes Galliæ mutationes ortum dedere. Atque ideo advertet lector, dum occurrerunt hujusmodi ad præsentem diœceseon Galliæ statum juris communis applicationes, non absolute affirmando, sed doctioribus rem expendendam relinquendo, conclusiones nos deduxisse.

De iis vero quæ inutiliter abundare in tractatu hoc viderentur, utpote nullam in Galliis applicationem habentia, faveat lector recordari nos non pro Gallia tantum scripsisse, licet diligentiori cura quæ hujus regionis ecclesiis propria sunt pertractemus.

Tractatum denique istum, sicut et alios editos aut proxime

Digitized by Google

edendos, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium matri et magistræ, cui totis nos præcordiis adhærere, et usque ad mortem in omnibus obsequi velle profitemur, humillima qua par est et promptissima voluntate, judicio, correctioni atque omnimodæ animadversioni subjicimus.

Digitized by Google

APPENDIX

IN QUA COLLIGUNTUR UTILIORES QUÆDAM FORMULÆ

I

Formula deputationis vicarii capitularis per capitulum. (*Apud Monacelli*, tit. 1, n. 2.)

Nos Archidiaconus, canonici et capitulum cathedralis ecclesiæ N., sede vacante, per mortem bonæ memoriæ N. Episcopi. — Admodum reverendo Domino N., juris utriusque doctori, salutem in Domino sempiternam.

Cum ex sacrorum canonum dispositione, cathedralium ecclesiarum capitula in locum deficientium Episcoporum (*præsertim* si ex humanis eripi contigerit) subrogentur, ejusque in spiritualibus et temporalibus succedant; eorumque munus sit viduitati Ecclesiæ ita consulere, ut ministrorum solertia atque diligentia incommoda minime sentiri permittant : ne igitur supradicta Ecclesia culpa nostra aliquid detrimenti patiatur; Nos canonicis sanctionibus et Sacri concilii Tridentini decretis, ut par est, obtemperando; vocatis omnibus et singulis canonicis; intra tempus octo dierum, a præfato concilio statutum, ad vicarium, qui vices nostras sustinere debeat, deputandum; congregatisque his qui debuerunt, potuerunt, voluerunt interesse; habitis capitulariter secretisque suffragiis; sine votis omnium, sed majoris partis interessentium et ut præmittitur congregatorum; te advocatum reverendum Dominum N., juris utriusque doctorem supradictum, de cujus probitate, scientia et sollicitudine plurimum in Domino confidimus, generalem in spiritualibus et temporalibus vicarium et officialem nostrum in prædicta ecclesia cathedrali, civitate et diœcesi,

Digitized by Google

tenore præsentium deputamus, facimus, creamus et constituimus pro tempore sedis vacantis : cum omnibus ac singulis facultatibus, privilegiis, honoribus, oneribus, emolumentis, præeminentiis et prærogativis ad hujusmodi munus exercendum debitis, necessariis, opportunis.

Dantes tibi plenam et liberam potestatem omnia et singula exercendi quæ capitulo, sede vacante, in utroque foro a jure permittuntur; et proinde causas omnes tam civiles quam criminales et mixtas, etiam hæresis, et matrimoniales, audiendi, cognoscendi, terminandi, ac decidendi, cum facultate excommunicationem aliasque ecclesiasticas censuras et pœnas, etiam pro ecclesiarum immunitate et libertate tuenda, ferendi et infligendi; resignationes beneficiorum cum causa recipiendi, præsentatos ad beneficia jurispatronatus instituendi, et nova cum reservatione dicti juris dotandi, et super interstitiis dispensandi. Necnon ea omnia faciendi, mandandi et exequendi, quæ nos facere, mandare, vel exequi possumus, etiamsi requirerent speciale mandatum (*si vicarius deputatus non esset doctor, addatur :* cum voto tamen consultoris idonei juris utriusque doctoris, tibi bene visi, in sententiando et procedendo ad actus quoscumque irretractabiles et qui consilio videbuntur indigere). Præcipimus itaque universo clero hujus civitatis et diœcesis, aliisque hujus ecclesiæ jurisdictioni subjectis, quatenus te in vicarium et officialem nostrum generalem, ut præmittitur, recipiant, tibique tanquam tali in omnibus pareant et obediant. Dantes tibi voces et vices nostras, contradictores et rebelles pœnis et censuris ecclesiasticis compescendi. In quorum fidem præsentes scribi jussimus per infra scriptum nostræ Curiæ notarium, et manu propria subscripsimus, sigilloque capituli jussimus muniri. Datum, etc.

II

Quomodo aptari posse videatur præcedens formula ad præsentem statum ecclesiarum Galliæ.

1° Ubi dicitur *Nos Archidiaconus*, substituenda est qualitas quæ in unoquoque capitulo primæ post episcopalem dignitati competit. In multis enim locis archidiaconus non est prima dignitas.

Digitized by Google

2° Ubi dicitur *juris utriusque doctori*, nihil ponendum si non sit doctor; vel exprimendus ejus doctoratus prout est, si sit doctor aliter quam in utroque jure.

3° Ubi dicitur *secretisque suffragiis*, delendum *secretisque*, si vota non fuissent secreta : probavimus enim formam suffragii secreti, licet multo laudabiliorem, non absolute requiri.

4° Ubi dicitur *sine votis omnium sed majoris partis*, in casu unanimitatis, substituendum esset: *ex unanimi suffragio omnium* interessentium.

5° Ubi dicitur *Te advocatum*, supprimenda vox *advocatum*.

6° In Gallia supprimi possunt hæc : *præsentatos ad beneficia juris patronatus instituendi et nova cum reservatione dicti juris dotandi*, eo quod applicationem non habeant.

7° Ubi dicitur *cum voto tamen*, etc., omittenda est a capitulo istius voti manifestatio in Gallia, donec adsint in diœcesibus sufficienti numero clerici gradibus academicis ornati.

8° Si in aliqua diœcesi jam a multo tempore, verbi gratia, a prima sedis episcopalis vacatione post concordatum anni 1801, aliqua ab hac diversa formula vigeret, nihil obstat quin servetur, modo alias aliquo vitio formæ non laboret; jus enim hujusmodi formulam non determinavit; unde quælibet ecclesia suum stylum, præsertim antiquitate jam venerandum, laudabiliter in hac materia sequitur. Puto tamen serio revisendas esse formulas a non sat peritis in quibusdam Galliarum regionibus introductas.

III

Formula erectionis canonicatus. (*Apud Monacelli*, tit. 2, form. 4.)

N. Episcopus N. — Testatorum pias voluntates, ut exequantur, libenter intendimus. Sane sicut accepimus NN. in humanis agens in ultimo, cum quo decessit, testamento, inter alia per eum disposita voluit, et mandavit, quod ex suis bonis unum canonicatum cum præbenda in ecclesia cathedrali N. erigeretur, et institueretur, dictusque canonicatus pro prima vice per dilectum Nobis in Christo N. dicti testatoris executorem testamentarium, pro futuris vero vicibus per N. nominaretur prout in dicto testamento plenius continetur. Volens propterea idem N. executor præmissa executioni demandari facere, nobis humi-

Digitized by Google

liter supplicavit, quatenus auctoritatem nostram ordinariam interponere dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, in dicta ecclesia cathedrali N. unum canonicatum unamque præbendam præter illos, qui ad præsens existunt pro uno presbytero, de clero sæculari, qui ad instar veterum dictæ ecclesiæ N. canonicorum, locum, et stallum in choro, ac vocem in capitulo habeat; necnon in ea in processionibus, ac missarum, et aliorum divinorum officiorum celebrationibus, cæterisque universis actibus publicis, et privatis aliis dictæ cathedralis canonicis se conformari, ac in eadem personaliter residere, eique in divinis deservire debeat, et teneatur auctoritate nostra ordinaria, habito consensu nostri capituli, ac alias omni meliori modo quo possumus, cum honoribus et oneribus universis perpetuo erigimus, et instituimus; illique sic erecto, et instituto pro ejus dote, et præbenda, et onerum supportatione bona stabilia fructifera hæreditaria d. N. et per d. N. executorem testamentarium assignata in territorio N. vocabulo N. valoris... ut constat in actis nostræ curiæ, tradimus, applicamus, et appropriamus; ita quod liceat canonicatum obtinenti, per se, vel per alium, nomine dicti canonicatus et præbendæ, propria auctoritate corporalem, realem, et actualem possessionem bonorum hujusmodi cum omnibus juribus et pertinentiis suis, libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, et proventus, jura, obventiones, et emolumenta quæcumque percipere, erigere, levare, locare, dislocare, ac in suum usum convertere, et utilitatem, cujusvis licentia desuper minime requisita... (1).

. . . In quorum, etc.

N. Episcopus N.

Lectum, latum, et publicatum fuit supradictum decretum erectionis canonicatus die . . . in Aula . . . . præsentibus N. N. testibus.

N. Cancellarius episcopalis.

(1) Reliqua pars formulæ quam non transcribimus, continet concessionem juris-patronatus.

Digitized by Google

IV

Formula erectionis præbendæ theologalis. (*Apud Monacelli*, tit. 2, form. 5.)

N. Episcopus N. — Cum in decreto consistoriali nostræ electionis ad Episcopatum N., et in ipsis litteris apostolicis desuper expeditis, Sanctissimus D. N. Pius IX, nostram conscientiam oneraverit ad erigendam in hac nostra cathedrali ecclesia præbendam theologalem juxta præscriptum sacri concilii Tridentini, hucusque a nostris prædecessoribus nunquam erectam: volentesque propterea nos ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ, ut decet, parere mandatis, et decretis prælibati concilii Tridentini promptam pro viribus dare executionem : hinc est, quod vacante canonicatu ejusdem cathedralis, quem dum viveret obtinebat N. illius ultimus possessor, qui extra Romanam curiam de mense N. proxime præteriti diem suum clausit extremum, canonicatum prædictum modo vacantem, et cujus collatio ad nos spectat, in præbendam præfatam theologalem vigore dicti Sacri concilii Tridentini erigimus et instituimus pro uno idoneo canonico, qui per se ipsum singulis diebus dominicis anni, et servata forma ejusdem concilii, exceptis temporibus vacationis de jure permissis, lectionem Sacræ Scripturæ publice in eadem cathedrali ecclesia, clero populoque, modo et super materiam a Nobis et successoribus nostris præfiniendam, habeat, quique in posterum perpetuis futuris temporibus canonicus theologus nuncupetur. Cui quidem præbendæ theologali sic erectæ, attenta exiguitate reddituum canonicatus, ad hoc ut idem canonicus theologalis ejusdem onera alacrius et commodius subire valeat, etiam nunc pro tunc, et quando casus vacationis evenerit, vigore ejusdem concilii, perpetuo unimus, annectimus et incorporamus beneficium simplex sancti N., erectum in ecclesia N., quod nunc possidet N., liberæ collationis, cum omnibus suis juribus, redditibus et proventibus, sine tamen præjudicio hodie possidentis: ita quod idem, dicto beneficio ut præmittitur postea vacante, licite corporalem, realem et actualem possessionem ejusdem, auctoritate propria libere apprehendere, illiusque fructus et proventus percipere et in suos usus convertere et retinere possit, cujusvis alterius superioris licentia minime re-

Digitized by Google

quisita: et ita erigimus et unimus respective tam ordinaria quam delegata auctoritate, ac alias omni. Datum, etc.

N. Episcopus N.

Lectum, latum, et publicatum fuit supradictum decretum erectionis præbendæ theologalis in Aula, etc., die . . . præsentibus N. N. testibus specialiter adhibitis, et vocatis.

N. Cancellarius episcopalis.

V

Quomodo præcedens formula aptari posse videatur præsenti statui ecclesiarum Galliæ.

1° Si Episcopus neque in decreto consistoriali, neque in litteris apostolicis mandatum a Summo Pontifice acceperit de erigenda præbenda theologali, loco verborum quæ occurrunt initio formulæ, poni potest: *Cum in unaquaque cathedrali ecclesia sacrum concilium Tridentinum præscripserit erigi præbendam theologalem, hucusque... volentes igitur nos decretis prælibati...*

2° Si collatio canonicatus in theologalem erigendi esset simultanea, nec simultanea divisa fuisset per turnum, ita ut ex turno non pertineret ad Episcopum, omittenda essent hæc verba: *Cujus collatio ad nos spectat.*

3° Si Episcopus ad quem pertinet modum, materiam et tempus lectionum a canonico theologali habendarum determinare, aliter quam *singulis dominicis* vellet fieri lectiones, hæc apte mutanda forent in formula.

4° Si nulla fiat unio beneficii theologali præbendæ, omittenda est tota pars formulæ ad hanc unionem relativa, et dicendum in fine: *Et ita erigimus tam ordinaria...*

VI

Erectio præbendæ pœnitentialis. (*Apud Monacelli*, tit. 2, form. 6.)

Cum in hac nostra cathedrali ecclesia N. erecta adhuc non fuerit præbenda pœnitentialis, Nos Sanctissimi D. N. Pii IX jussionibus in litteris apostolicis nostræ promotionis ad Episcopatum factis, et decretis Sacri concilii Tridentini obedire vo-

Digitized by Google

lentes : hinc est, quod vacante canonicatu nostræ cathedralis, quem dum viveret obtinebat N. illius ultimus possessor, qui extra romanam curiam de mense N. diem suum clausit extremum, canonicatum prædictum modo vacantem, et cujus collatio et provisio ad Nos spectat, in præfatam præbendam pœnitentialem vigore decreti concilii Tridentini, cap. VIII *De reform.* sess. 24 erigimus et instituimus pro uno canonico juris utriusque doctore, aut in sacra theologia vel jure canonico licentiato, aut alias aptiori, ætatis (si fieri potest) quadraginta annorum, quique in posterum futuris perpetuis temporibus canonicus pœnitentiarius nuncupetur, cum onere confessiones fidelium nostræ jurisdictioni subjectorum ad cathedralem ecclesiam confluentium, præsertim diebus festis solemnioribus sacramentaliter audiendi, et tempore quo frequentius accedunt in sede confessionali a nobis destinata, pœnitentes absolvendi, et horis opportunis confiteri volentibus sui copiam faciendi, cum indultis, et gratiis in lucrandis fructibus, et distributionibus dictæ præbendæ, dum confessiones audit ab eodem Sacro concilio, et decretis Sacræ Congregationis concessis, ac aliis facultatibus opportunis : et ita auctoritate ordinaria, ac apostolica delegata, et omni alio meliori jure quo possumus et debemus, *erigimus* et instituimus. Datum, etc.

N. Episcopus N.

Lectum, latum, et publicatum fuit supradictum decretum erectionis præbendæ pœnitentialis in Aula N. die... præsentibus N. N. ad id specialiter adhibitis, et vocatis.

N. Cancellarius episcopalis.

Nota. Quomodo illa formula aptari possit præsenti statui ecclesiarum Galliæ, satis patet ex dictis ad præcedentem.

VII

Collatio canonicatus cathedralis vacantis per obitum. (*Apud Monacelli*, tit. 2, form. 12.)

Dilecto, etc. J. U. D. N. familiari nostro, clerico loci N. etc. — Grata familiaritatis obsequia, quæ nobis hactenus impendisti, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistis ; nec non

Digitized by Google

litterarum scientia, vitæ ac mórum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam juvari percipimus, Nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratias liberales. Cum itaque canonicatus et præbenda nostræ cathedralis ecclesiæ N., quorum collatio, provisio et omnimoda dispositio ad Nos hac vice spectare dignoscuntur, et quos quondam N. qui extra Romanam Curiam de mense N. diem clausit extremum, possidebat, vacaverint et vacent ad præsens : Nos volentes Tibi, præmissorum obsequiorum et idoneitatis intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum et præbendam prædictos, sicut præmittitur vacantes, cum plenitudine juris canonici, ac omnibus suis fructibus, proventibus, juribus, et pertinentiis universis, Tibi auctoritate ordinaria tenore præsentium conferimus, et de eisdem providemus : Teque coram nobis personaliter constitutum per annuli traditionem, et bireti capiti tuo impositionem investimus, et in realem, corporalem, et actualem possessionem auctoritate nostra per N. cui vices nostras committimus immitti mandamus ; amoto quolibet alio illicito detentore : recepto prius per Nos et per Te præstito ad Sancta Dei Evangelia corporali juramento, quod Nobis et successoribus nostris Episcopis obediens eris et fidelis, et Sanctæ matri Ecclesiæ : eisdemque canonicatui et præbendæ, ac ipsi ecclesiæ cathedrali, secundum ipsius statuta, laudabiles consuetudines, et ordinationes, deservies et deservire facies in divinis, juraque et libertates prædictorum manutenebis et pro posse defendes, nihilque quod ad dictum canonicatum et præbendam pertinet alienabis, sed alienata et distracta ad jus et proprietatem eorumdem reduces, et pro juribus reduci procurabis. Quo circa mandamus omnibus Dignitatibus et canonicis reverendi capituli, ut Te in fratrem et concanonicum recipiant, et stallum in choro, locumque et vocem in capitulo tradant et assignent, Teque in talem habeant, tractent, et portionem de redditibus universis faciant, prout habent alii canonici, responderi : emissa tamen prius per Te ipsum professione fidei coram nobis, aut vicario nostro generali, et postea coram capitulo. Et ita conferimus, providemus, et assignamus, ac exequi mandamus omni, etc. Datum, etc.

N. Episcopus N.

Loco ✝ sigilli. N. Cancellarius episcopalis.

Digitized by Google

VIII

Collatio canonicatus et præbendæ ecclesiæ collegiatæ. (*Apud Monacelli*, tit. 2, form. 15.)

N. Episcopus N.

Dilecto, etc.

Cum, sicut accepimus, canonicatus et præbenda in Collegiata ecclesia N. loci N. hujus nostræ diœcesis, quos Rev. canonicus N. illorum ultimus possessor obtinebat, per obitum ejusdem de mense N. vacaverint et vacent ad præsens, ne divinus cultus in dicta collegiata ecclesia detrimentum patiatur, eidem de idoneo canonico providere volentes, Tibi cujus vita et morum probitas ac virtutum merita, quæ Nobis ipsis nota sunt, et aliorum fide dignorum commendantur testimonio, prædictos canonicatum et præbendam, præmisso, sive alio quovis modo vacantes, cum illis forsan annexis, et omnibus juribus, honoribus, oneribus, et pertinentiis suis universis, auctoritate nostra ordinaria, ac omni alio meliori modo, jure et forma quibus melius possumus, conferimus et assignamus, de illisque coram Nobis, flexis genibus, humiliter constitutum et acceptantem, per bireti tuo capiti impositionem, cum juris canonici plenitudine investimus, recepto prius a Te, etc. Quo circa, etc. (*et sequere ut in formulis præcedentibus, prætermissa obligatione emittendi professionem fidei, ad quam non tenetur canonicus collegiatæ*). Datum, etc.

N. Episcopus N.

Loco † sigilli. N. Cancellarius episcopalis.

Hæc formula respicit casum quo ex speciali jure ad Episcopum pertineret collatio canonicatuum collegiatæ. Vidimus enim collationem illam ad capitulum regulariter pertinere.

IX

Collatio beneficii ad capitulum cathedrale spectantis. (*Apud Monacelli*, tit. II, form. 16.)

Universis, etc. Nos N. N. et N. N. Dignitates, canonici et capitulum cathedralis N. — Salutem in eo qui vivit et regnat.

Cum itaque beneficium seu capellania perpetua ad altare

Digitized by Google

N. erectum, cujus collatio, provisio et omnimoda dispositio ad capitulum nostrum quoties vacat pertinet pleno jure, quod seu quam N. dum viveret obtinebat, per illius obitum de mense N. secutum vacaverit et vacare noscatur ad præsens : Nos volentes dilectum nostrum clericum N., in ætate legitima constitutum, apud nos de litterarum scientia, vitæ ac morum honestate aliisque virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, beneficium seu capellaniam sic vacantem, cum omnibus juribus, honoribus, oneribus ac pertinentiis suis, præfato N. auctoritate nostra, et omni alio meliori jure quo possumus, tenore præsentium conferimus, assignamus ac providemus : ipsumque clericum N. in corporalem, realem, et actualem possessionem, seu quasi dicti beneficii, seu capellaniæ, juriumque et pertinentiarum prædictorum, poni et induci mandamus, ac ponimus et inducimus per præsentes : cum jam receperimus ab eodem in forma solita et consueta juramentum præstari solitum. In quorum omnium testimonium præsentes expediri, et sigillo capituli per nostrum secretarium muniri jussimus hac die, etc. (*et sequitur subscriptio Dignitatum et canonicorum*).

X

Instrumentum installationis canonici. (*Apud Barbosam.*)

In nomine Domini. Amen. Per hoc præsens publicum possessionis instrumentum notum sit quod anno... die... mense... coram venerabilibus et circumspectis viris Dominis N. decano, atque N. N. et N. canonicis ecclesiæ cathedralis N..... in loco capitulari dictæ ecclesiæ, propter et ad infrascripta capitulariter congregatis, atque capitulum ipsius ecclesiæ N..... facientibus, et repræsentatis, in mea notarii publici, testiumque infrascriptorum præsentia personaliter constitutus honorabilis vir D. N. principalis pro se ipso publice dixit et exposuit, quod nuper talis dignitas, seu canonicatus et præbenda in dicta ecclesia N., per mortem quondam N. ultimi eorumdem canonicatus, et præbendæ, seu dignitatis N. dum vixit possessoris extra Romanam Curiam defuncti vacarit, et de eadem, aut de eisdem per N. N... provideri obtinuit, prout in litteris provisionis ibidem in me-

Digitized by Google

dium exhibuit, ipsisque DD. decano, canonicis et capitulo intimavit, plenius continetur. Quapropter dictus N. se et ad prædictorum canonicatus et præbendæ vel dignitatis præfatæ ecclesiæ N. admitti, ac in et ad corporalem, realem, et actualem possessionem eorumdem, vel ejusdem cum omnibus juribus, et pertinentiis per eosdem Dominos, decanum, canonicos et capitulum recipi et admitti, sibique de illarum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus et distributionibus universis integre respondere instanter postulavit. Quibus quidem litteris in dicto capitulo lectis et intellectis, dicti Domini decanus, canonici, et capitulum eumdem Dominum N. personaliter, in et ad prædictorum canonicatus, et præbendæ, vel dignitatis N. in præfata ecclesia corporalem, realem, et actualem possessionem cum omnibus juribus, et pertinentiis suis vigore dictarum litterarum concorditer, et nemine contradicente receperunt, induxerunt, ac ad canonicatum, et præbendam præfatos, aut dignitatem N. admiserunt, et in signum vere et realis adeptæ possessionis hujusmodi, dictus decanus ipsi Dom. N. stallum in parte dextera (vel sinistro choro) dictæ ecclesiæ, necnon locum in capitulo realiter assignavit. Super quibus omnibus et singulis dictis Dom. N. per me notarium publicum infrascriptum fieri petiit instrumentum. Actum in N. sub anno, die et mense quibus supra: præsentibus ibidem pro testibus N. N. et N. in dicta civitate residentibus ad præmissa vocatis, habitis et rogatis; et dicti Dom. decanus, ac duo vel tres ex dictis Dominis capitularibus pro toto dicto capitulo, suis hic se subscripserunt nominibus, etc.

XI

Invitatio capituli ad concilium provinciale. (*Ex actis Mediolanensibus.*)

N. Archiepiscopus, etc., canonicis ac capitulo ecclesiæ N. salutem in domino. Deo bene juvante Nos concilium provinciale, hoc anno die decimo mensis maii de more in basilica nostra metropolitana habebimus.

His igitur nostris, vos ad illud invitare voluimus. Quare aliquos certos procuratores ad constitutam eam diem huc mittatis licet, qui et ipsi præsentes in concilio adsint, et nos instruere iis

Digitized by Google

de rebus possint quæ ad vos vestrumque capitulum aliqua ratione pertineant. Valete in Domino. Datum, etc.

XII

Procuratio capituli deputatis ad synodum provincialem. (*Ex actis Mediolanensibus.*)

In nomine Domini, etc. Et pro eis comparendum, interveniendum, et assistendum in concilio provinciali in præfata ecclesia metropolitana N. sub illustr. et reverend. D. N. Archiepiscopo, ac in quibuscumque sessionibus super inde fiendis et tenendis, et quibuscumque congregationibus privatis et generalibus tam in palatio archiepiscopali N. quam in dicta ecclesia et alibi servandis et tenendis, ac eorum votum dicendum et ferendum, ac omnia alia faciendum, quod, præfati reverendi domini constituentes facere possent, si personaliter adessent. Et generaliter, etc. Dantes, etc. Et volentes, etc. Promittentes, etc. Et de prædictis, etc. Actum, etc.

XIII

Formula ad requirendum consilium capituli quoad decreta synodalia. (*Ex Monacelli.*)

Die..... mensis..... anno.....

Convocato coram illustrissimo et reverendissimo D. N. Episcopo in mansionibus palatii episcopalis hujus civitatis N. capitulo cathedralis, nempe N. N. et N. Dignitatibus et canonicis majorem partem capituli constituentibus, ibique capitulariter congregatis, fuerunt per me infrascriptum de mandato ejusdem D. N. Episcopi intelligibili voce lecta decreta, et ordinationes, quæ evulgari, et publicari debent in proxima futura synodo habenda die... : super quibus, expleta lectura, idem D. N. Episcopus consilium eorumdem DD. Dignitatum et canonicorum sic capitulariter congregatorum requisivit : qua per eos requisitione audita, propositum et determinationem dicti domini N. Episcopi de synodo agenda, et decreta (per me, ut supra, ipsis præsentibus, et audientibus lecta) in ea publicanda, laudaverunt,

Digitized by Google

et approbarunt. In quorum, etc., præsentibus N. N. testibus, etc. Datum, etc.

XIV

Litteræ commendatitiæ pro canonico. (*Apud Monacelli*, tit. IV, form. 7.)

N. Episcopus N. — Dilecto, etc. canonico nostræ cathedralis, — Tibi, ut liti, quam habes Romæ super... assistere possis, et facilius ad optatum finem illam perducere, ab hac civitate Urbem versus discedendi licentiam concedimus et impertimur. Attestantes te esse canonicum sacerdotem sæcularem optimis moribus imbutum, scientiaque præditum, missamque publice celebrasse et celebrare, nec te esse de aliquo crimine inquisitum, neque condemnatum, nullaque alia censura ecclesiastica aut pœna innodatum, quod sciamus. Rogantes propterea omnes et singulos ecclesiarum ministros, ad quos declinabis, ut te in talem recipiant et admittant, missamque et alia divina officia celebrare sinant. Præsentibus ad tres tantum menses, ad formam sacri concilii Tridentini (sess. 24, cap. 12. *De reform.*), valituris. In quorum, etc. Datum, etc.

N. Episcopus N. N. Cancellarius.
Loco † sigilli episcopalis.

XV

Suspensio contra vicarium capitularem ex eo quod in administranda diœcesi reus a novo Episcopo repertus sit. (*Apud Monacelli*, parte III, tit. I, form. 3, edit. Venet., 1772, pag. 532.)

Visis actibus syndicatus N. vicarii generalis capituli proxime præteritæ sedis vacantis, ex quibus constat de concessione litterarum dimissorialium ad ordines, favore clerici N., et clerici N., *non arctatis intra annum* sedis vacantis, expeditarum, et Episcopo N. directarum : eoque monito ad dicendum causam quare non debeat declarari suspensus, *et nihil quod relevet deducto*, dicimus prænominatum N., qui formam sibi a Concilio Tridentino præscriptam *in cap.* 10, *sess.* 23, non servavit, *esse suspensum* totaliter ab officio et beneficio, prout nos suspensum declaramus et denunciamus, eique ac capitulo intimari volumus et mandamus, etc.

N. Episcopus. N. N. Actuarius.

Digitized by Google

XVI

Notificatio Episcopi de syndicatu habendo circa administrationem vicarii capitularis. (Italice, *Apud Monacelli*, parte III, tit. I, inter adnotationes ad form. 41; illam formulam in latinum vertimus.)

Cum velit (prout et tenetur) dominus N., in hac ultima sedis vacatione vicarius capitularis, illustrissimo et reverendissimo Episcopo rationem reddere administrationis sui officii, juxta dispositionem Sacri concilii Tridentini (c. 16, sess. 24); notum fit omnibus qui sese ab eo gravatos existimarent, tempore quo prædictum munus gessit, vel qui putarent se posse justa de causa reclamare emendationem pro illato aliquo præjudicio sive ecclesiæ, sive capitulo aut locis piis, sive jurisdictioni et immunitati ecclesiasticæ ; ipsos debere, intra terminum decem dierum a præsenti publicatione, exponere et exhibere illustrissimo Episcopo sua gravamina aliaque postulata : quippe quæ, elapso prædicto termino, jam non audientur nec admittentur. Datum, etc.

N. Cancellarius Episcopalis.

XVII

Sententia declaratoria contra vicarium capitularem qui in visitanda diœcesi exegit procurationem indebitam. *Apud Monacelli*, parte III, tit. I, form. 4, p. 533. Edit. Venet., 1772.

Attento recursu parochi et cleri loci N. contra N. vicarium generalem capituli præteritæ sedis vacantis, super prætenso gravamine eis tempore visitationis illato, in exactione procurationis, visis probationibus per eos deductis, ex quibus satis constat de exactionis et munerum receptione, monito et audito eodem N. dicimus eum censuram suspensionis ab officio et beneficio, contentam in constitutione concilii Lugdunensis quæ incipit *Exigit*, a concilio Tridentino (in c. 3, sess. 24) innovatam, incurrisse, et esse denunciandum, prout nos suspensum declaramus et denunciamus, donec de duplo a nobis liquidando supradictis plene satisfaciat, et intimari volumus et mandamus.

N. Episcopus (sive N. Vicarius generalis) N.

N. Actuarius.

Digitized by Google

XVIII

Sententia suspensionis ad tempus contra canonicum choro non debito modo assistentem. (*Apud Monacelli*, parte III, tit. I, form. 7, editio Venet., 1772, pag. 538.)

Visa et attenta informatione capta, ex qua constat canonicum (sive presbyterum) N. et canonicum N. decreti concilii Lateranensis et nostri edicti super devota et studiosa divinorum officiorum celebratione et interessentia, etiam post paternales admonitiones nostras, transgressores et violatores existere, ipsos a divinis (seu ab officio) per tres menses suspendimus, et suspensos totaliter declaramus et denunciamus, et intimari et ad valvas capituli publicari mandamus.

N. Vicarius generalis.

N. Actuarius.

FINIS TRACTATUS DE CAPITULIS

Digitized by Google

INDEX

JUXTA MATERIARUM ORDINEM

Proœmium 1

PARS PRIMA. Quid sit capitulum 1

SECTIO I. Quid sit quoad sua constitutiva fundamentalia, seu de ipsius essentia 2

CAPUT I. De capitulorum institutione notio historica 2

§ 1. Quid fuerit antiquum presbyterium 2

§ 2. Quod postea vocatum fuit capitulum, eamdem institutionem esse videtur ac antiquum presbyterium, ac proinde apostolicam dici posse. 5

§ 3. Falsum est capitula derivasse ab institutione monastica, seu canonicos ab exordio fuisse monachos 9

§ 4. Quid fuerint olim presbyteria seu capitula quoad exercitium parochialitatis 12

§ 5. Quæ fuerint olim præcipua capituli sive collegii cathedralis jura et prærogativæ 15

§ 6. Unde et quando cœperint dissensiones ac lites Episcopos inter et capitula 27

§ 7. Quænam fuerint celebriores aliquot discordiæ, a millenario Ecclesiæ ad hæc usque tempora 23

§ 8. Quomodo notio historica de capitulis in quoddam systema a Joanne Polito fuerit ordinata 27

CAPUT II. De institutionis hujus essentiali et præcipuo fine 34

Propositio 1ª. Finis essentialis et primarius capitulorum cathedralium est, auxiliari et supplere Episcopo in ecclesiæ seu diœcesis regimine. 34

Propositio 2ª. Non antiquo tantum, sed etiam novo jure canonici sunt consiliarii nati Episcoporum 40

CAPUT III. De definitione et variis speciebus capitulorum 43

§ 1. De voce ipsa capituli 43

§ 2. De accurata capitulorum definitione 44

§ 3. Capitulorum variæ species 46

§ 4. De collegiatarum dignitate, et in insignes et non insignes distinctione. 47

CAPUT IV. De definitione et variis speciebus canonicorum 49

§ 1. De origine illius vocis, canonicus 49

§ 2. Quænam sit recta canonicorum definitio 54

§ 3. Canonicorum variæ species 54

§ 4. Notio de canonicis regularibus 55

Digitized by Google

Sectio II. Quid sit capitulum quoad varias personas quibus coalescit vel quæ ipsi aptantur 56
CAPUT I. Quibus proprie personis constituatur capitulum 56
CAPUT II. De duplici capituli capite 59
CAPUT III. Quomodo ex lege Tridentina omnes canonicatus annecti debeant tribus majoribus ordinibus, nempe presbyteratus, diaconatus et subdiaconatus 61
CAPUT IV. De numero canonicorum, et quatenus augeri vel minui possit .. 65
CAPUT V. De Dignitatibus in genere 68
§ 1. Quid sit dignitas, et quomodo a personatu et officio differat 68
§ 2. Quinam sint dignitates, et quomodo discernatur in qualibet ecclesia an aliquis sit necne dignitas 70
§ 3. Unde factum fuerit ut dignitates de jure non sint de capitulo 72
§ 4. De prærogativis dignitatum 73
CAPUT VI. De officio et prærogativis primæ dignitatis 75
CAPUT VII. De archidiaconis 78
§ 1. De origine, incrementis et imminutione dignitatis archidiaconalis synopsis historica 78
§ 2. Quid sint archidiaconi ex jure communi, a Tridentino concilio usque nunc 82
§ 3. Utrum de jure communi post Tridentinum ad archidiaconnm pertineat examinare promovendos ad ordines et ad parochialia beneficia ... 84
§ 4. Quid juris circa archidiaconatum, quando per statutum vel localem consuetudinem evasit dignitas mere honorifica, absque ulla ordinaria jurisdictione? — Et quid sentiendum de archidiaconis ad nutum Episcopi revocabilibus, quales nunc alicubi existunt in Gallia? 88
CAPUT VIII. De archipresbyteris 91
CAPUT IX. De theologo et theologali præbenda 93
§ 1. Institutio canonici theologi quomodo introducta et perfecta; et quid de theologali ad nutum Episcopi revocabili 93
§ 2. Ad erectionem canonicatus theologalis requiritur deputatio ab Episcopo 96
§ 3. Ad quem pertineat collatio præbendæ theologalis 96
§ 4. Ad Episcopum exclusive pertinet eligere personam cui conferatur præbenda theologalis 97
§ 5. Qualitates in canonico theologali requisitæ. — An debeat eligi per concursum, et an debeat esse in theologia doctor 98
§ 6. Quomodo procedere possit Episcopus contra canonicum theologalem, qui recte officio suo non fungitur 101
§ 7. Describitur officium theologalis canonici 102
§ 8. An canonici aliique clerici ab Episcopo cogi possint ut lectioni theologali intersint? 105
§ 9. An in statu præsenti ecclesiarum Galliæ et aliarum quæ reguntur ex concordato anni 1801, obligatoria permanserit canonicatuum theologalium erectio? 107
CAPUT X. De pœnitentiario 109
§ 1. Describitur ipsius officium et potestas 109
§ 2. De qualitatibus ad pœnitentiarii munus requisitis 111
§ 3. Quæ particularia privilegia habeat, et quibus aliis canonicis communibus careat 112

Digitized by Google

§ 4. Ad quem pertineat electio personæ et collatio præbendæ pœnitentialis 113
§ 5. Quomodo Episcopus possit vel teneatur canonicatum pœnitentialem erigere 114
§ 6. Quomodo procedendum sit contra pœnitentiarium, si præbenda sua privandus sit 115
§ 7. Quid juris quoad statum præsentem ecclesiarum Galliæ 115
CAPUT XI. De primicerio, sacrista et custode 116
CAPUT XII. De punctatore et ejus officio 119
CAPUT XIII. De beneficiariis 122
CAPUT XIV. De coadjutoribus 123
CAPUT XV. De canonicis supernumerariis 124
CAPUT XVI. De canonicis honorariis 127
§ 1. Præmittuntur quædam documenta ex quibus determinari valeat jus circa hujusmodi canonicos 128
§ 2. A quo tempore invaluerit mos creandi canonicos honorarios proprie dictos 132
§ 3. An legitima sit creatio canonici mere *honorarii*, qui scilicet nullatenus inserviat ecclesiæ cui adscribitur 133
§ 4. Non potest Episcopus canonicos honorarios creare absque capituli consensu 134
§ 5. Quot possint creari in unoquoque capitulo canonici honorarii 136
§ 6. Quonam jure potiantur canonici honorarii 136
§ 7. Canonici honorarii non magis sunt ad nutum revocabiles quam canonici præbendati 137
CAPUT XVII. De canonicis et beneficiatis jubilatis 139
CAPUT XVIII. De scholastro 140
CAPUT XIX. De hebdomadariis 140
CAPUT XX. De ætate requisita ad dignitates et canonicatus cathedrales .. 142
Sectio III. Quid sit capitulum quoad bona temporalia quibus sustentatur. 145
CAPUT I. De præbendis 145
§ 1. Earum origo 145
§ 2. Quid sit præbenda; quid canonia; et quomodo differant 146
§ 3. De jure optandi præbendas vacantes 147
CAPUT II. De distributionibus 148
§ 1. Earum origo, et textus juris de eis decernentes 148
§ 2. Determinatur jus commune quoad distributiones 150
CAPUT III. An pensiones canonicis hodie in Gallia solvi solitæ, habeant rationem præbendæ seu beneficii ecclesiastici; et num obnoxiæ sint Tridentino præcepto de convertenda tertia parte in quotidianas distributiones. 154
Propositio 1ª. Certum est dictas pensiones rationem habere veri beneficii ecclesiastici 154
Propositio 2ª. Prorsus erravit dominus Emery, contendendo dictas Gubernii pensiones non habere rationem beneficii nec boni ecclesiastici .. 158
Propositio 3ª. Pensiones a Gubernio Galliæ canonicis solvi solitæ decretis Tridentinis de convertenda tertia parte in quotidianas distributiones obnoxiæ videntur 162
Propositio 4ª. Legi Tridentinæ satisfacere posse videntur hodierna capitula Galliæ aliter quam per separationem tertiæ partis in distribu-

Digitized by Google

tiones convertendæ; videlicet per mulctas, contra absentes statutas, usque ad concurrentiam tertiæ partis pensionis..... 163

Sectio IV. Quid sit capitulum quoad legem ipsius coadunationes regulantem..... 164

CAPUT I. De requisito capitularium præsentium et suffragiorum numero ut actus capitularis valeat..... 165

§ 1. De requisito præsentium numero..... 165

§ 2. Quænam sit pars major et sanior et quomodo æstimanda..... 167

§ 3. Qualiter requiratur votum majoris aut sanioris partis..... 169

§ 4. Quibusnam in casibus major pars decernere possit cum præjudicio minoris, et singulorum..... 171

CAPUT II. Quo in loco habendum capitulum..... 172

CAPUT III. Quando et per quem convocandum sit capitulum..... 174

CAPUT IV. Quomodo fieri debeat convocatio ut sufficiens sit et canonica.... 177

CAPUT V. Quinam vocem habeant in capitulo..... 178

CAPUT VI. An vicarius generalis Episcopi, sive canonicus sit sive non, interesse possit capitulo, et vocem habeat..... 180

CAPUT VII. Quatenus vox in capitulo per procuratorem dari queat..... 181

CAPUT VIII. De ratione dandi votum in capitulo..... 182

CAPUT IX. De ordine, modo et congruo tempore quo fieri debet capitularis tractatio..... 187

CAPUT X. De modo capiendi possessionem..... 188

PARS SECUNDA. A quo sit capitulum, seu de potestate canonicatus et dignitates erigendi et conferendi..... 189

CAPUT I. Ad quem pertineat erigere cathedralem et capitulum cathedrale. 189

§ 1. Quid sit ecclesia cathedralis et quid collegiata..... 189

§ 2. Ad solum Papam pertinet ecclesiam erigere in cathedralem vel metropolitanam..... 190

§ 3. Ad solum Papam pertinet erigere capitulum cathedrale vel *metropolitanum*..... 190

CAPUT II. Collegiata et collegiale capitulum erigi nequit nisi a summo Pontifice 191

CAPUT III. An Episcopus, semel erecto capitulo, novos canonicatus et novas dignitates creare possit?..... 193

Propositio 1ª. Absque consensu capituli non potest Episcopus novos canonicatus neque novas dignitates creare..... 193

Propositio 2ª. Assentiente capitulo potest Episcopus novos canonicatus erigere..... 195

Propositio 3ª. Episcopus, consentiente capitulo, potest erigere dignitates usitatas, non vero inusitatas..... 195

Propositio 4ª. Neque Episcopus neque capitulum possunt, etiam ex mutuo consensu, instituere canonicatus supranumerarios cum exspectativa præbendæ..... 196

CAPUT IV. Ad quem pertineat collatio canonicatuum et præbendarum cathedralis..... 197

§ 1. Jus collationis simultaneæ olim aliquatenus controversum fuit..... 197

§ 2. Sententia tamen admittens collationem simultaneæ esse faciendam, multo communior semper fuit, et meliori etiam olim fundamento nitebatur..... 198

3. Omnino nunc certum est canonicatuum et præbendarum cathedralis collationem ad Episcopum simul et capitulum regulariter pertinere .. 201

Digitized by Google

§ 4. Ex origine aut consuetudine potest collatio præbendarum ad solum Episcopum vel ad solum capitulum pertinere 204
§ 5. Unde ortum jus commune simultaneæ 205
§ 6. In quo consistat jus collationis simultaneæ 207
§ 7. Effectus juris simultaneæ 208
§ 8. De concordia inita Episcopum inter et capitulum pro exercitio collationis simultaneæ, et de effectibus inde fluentibus 209
§ 9. De falsa opinione eorum qui putarent jus conferendi beneficia pertinere ad ordinem episcopalem, vel ad essentialia jurisdictionis ordinariæ Episcopalis 211
§ 10. An in hodiernis Galliæ ecclesiis collatio canonicatuum pertineat simul ad Episcopum et capitulum 214
Propositio 1ª. Ante concordatum anni 1801, jus collationis simultaneæ de facto vigebat in multis Galliarum capitulis; et jus illud esse jus commune tanquam certum habebatur 214
Propositio 2ª. Postquam anno 1802 erecta fuere nova Galliæ capitula, prima canonicatuum et dignitatum collatio fuit penes solum Episcopum. At post expletam illam *primam* collationem, vigere cœpit jus collationis simultaneæ; ita ut vacantes canonicatus ab Episcopo simul et capitulo conferri debuerint 216
Propositio 3ª. Episcopi Galliæ non habent hodie jus exclusivum canonicatus conferendi, nisi illud jus acquisiverint per legitimam præscriptionem contra capitula 220
Propositio 4ª. Episcopi Galliæ, non tantum prima vice, sed etiam postea constanter ad hodierna usque tempora, canonicatus vacantes, absque ullo capituli interventu contulerunt 221
Propositio 5ª. Capitula Galliæ non videntur jus suum simultaneæ collationis amisisse, per præfatam Episcoporum possessionem, seu per legitimam præscriptionem 221
§ 11. Quomodo ex regulis Cancellariæ collationes multæ ad Romanum Pontificem pertineant 230
CAPUT V. De parocho seu vicario perpetuo cathedralis, an ab Episcopo, an vero a capitulo eligendus et deputandus sit? 231
§ 1. Præmittuntur notiones quædam de vicariis perpetuis in cathedralibus. 231
§ 2. In cathedralibus electio et nominatio vicarii perpetui curati pertinet ad capitulum, approbatio ad Episcopum 233
§ 3. Quid juris quoad cathedrales hodiernas Galliæ et aliarum regionum quæ concordato anni 1801 reguntur? 239
§ 4. An vicarius curatus cathedralis debeat necessario esse perpetuus.... 240
Propositio 1ª. Potest Episcopus, si ita opportunum judicaverit, permittere capitulo ut curam exerceat per vicarium amovibilem 240
Propositio 2ª. Potest Episcopus statuere ut capitulum curam non exerceat nisi per vicarium perpetuum, seclusa immemorabili in contrarium capituli possessione, aut speciali privilegio 241
Propositio 3ª. Etiamsi capitulum ab immemorabili esset in possessione nominandi vicarium amovibilem, videtur posse Episcopus illum mutare in perpetuum, seu erigere vicariam perpetuam 241
Propositio 4ª. Generaliter loquendo, expedit ut in cathedralibus cura animarum per perpetuum, et non per revocabilem ad nutum capituli vicarium exerceatur 242

Digitized by Google

CAPUT VI. Ad quem de jure communi pertineat collatio canonicatuum et præbendarum ecclesiæ collegiatæ 243

PARS TERTIA. Ad quid teneatur capitulum, seu de canonicorum obligationibus 244

CAPUT I. Obligationes erga Episcopum, seu de juribus Episcopi erga capitulum 244

§ 1. Quænam honorifica teneatur capitulum exhibere Episcopo 244

1° Honorifica Episcopo exhibenda quoad locum 244

2° Honorifica Episcopo debita quoad assistentiam 245

3° Debita Episcopo quoad associationem 252

§ 2. An et quatenus canonici debeant e sacristia cathedralis Episcopo paramenta præstare 259

§ 3. An et quomodo ad Episcopum et ejus vicarium generalem pertineat jus convocandi capitulum et in eo interveniendi 260

§ 4. An et quæ Episcopus capitulo præcipere possit 264

§ 5. De jure Episcopi cogendi capitulum ut sibi exhibeat libros resolutionum capitularium 266

§ 6. Potestas judiciaria Episcopi in capitulum 267

§ 7. Quasnam pœnas Episcopus canonicis infligere possit 268

§ 8. Quomodo possit Episcopus punire canonicum qui officio suo non recte fungitur 270

§ 9. Potestas legislativa Episcopi quoad capitulum (*remissive*) 271

§ 10. An et quatenus possit Episcopus duos canonicos in suo servitio retinere 271

§ 11. De jure Episcopi relative ad eleemosynas missarum in cathedralibus 273

§ 12. De jure Episcopi visitandi cathedralem, collegiatas et capitula 275

CAPUT II. Obligationes quoad divinum officium et servitium chori 278

§ 1. Quid sit divinum officium, unde ortum, et quo breviario utendum sit, sub pœna non satisfaciendi. Remissive 279

§ 2. Obligatio quoad integritatem officii tum sub culpa, tum sub pœna restitutionis 280

§ 3. Obligatio quoad debitum horarum ordinem 283

§ 4. Obligatio quoad locum, seu obligatio assistendi choro 284

§ 5. Obligatio quoad tempus recitationi officii assignatum 286

§ 6. Obligatio quoad cantum 289

I. An satisfaciant qui choro assistunt sed non canunt? 289

II. Quisnam sit cantus ecclesiastici finis, et quænam inde consectaria? 291

III. An canonici et alii beneficiati cathedralium teneantur addiscere cantum quem vocamus Gregorianum? 293

IV. An et qualis licitus sit musicæ et instrumentorum usus? 294

V. Ad quemnam pertineat electio magistri capellæ et musicorum? 295

VI. Dum organum ficte canit, canonici debent recitare 296

§ 7. Obligatio satisfaciendi per seipsum, non per substitutum 296

§ 8. Obligatio quoad intentionem et attentionem 299

§ 9. Obligatio quoad modum pronuntiandi 300

§ 10. Obligatio non mutandi proprium diei officium 302

§ 11. Cui et quanta debeat fieri restitutio 302

§ 12. An et quatenus liceat officii recitationem interrumpere 303

§ 13. Causæ excusantes a servitio chori 304

Digitized by Google

1° Causæ excusantes ita ut absens lucretur et fructus præbendæ et distributiones quotidianas 304
2° Causæ ita excusantes ut tamen absens non lucretur distributiones.. 310
3° Causæ aliquæ de quibus dubium esse posset an excusent a servitio chori 311
§ 14. Causæ excusantes a recitatione divini officii 313
§ 15. Obligatio quoad legitimum breviarium et legitimam officia ordinandi et celebrandi regulam (*remissive*) 314
§ 16. Eximia Clementis XI monitio de recte persolvendo a canonicis divino officio 316
CAPUT III. Obligatio quoad missam conventualem 316
I. An canonici teneantur ad quotidianam celebrationem missæ conventualis cum cantu? 316
II. An aliquoties teneantur canonici ad plures eadem die celebrandas missas conventuales? 319
III. An canonici et beneficiati, pro missa conventuali, pro qua emolumentum et distributiones recipiunt, possint aliam eleemosynam recipere et sacrificium alteri applicare? 320
IV. An idem dicendum, ubi nullæ fiunt quotidianæ distributiones? 321
V. An missa conventualis suppleat onus parochi cathedralis vel collegiatæ applicandi pro parochianis diebus festis? 322
VI. Quo tempore canenda sit missa conventualis? 322
VII. An ratione exiguitatis redituum possit missa conventualis cani tantummodo diebus festis? 322
VIII. An ratione parvi numeri canonicorum tolerari possit consuetudo cantandi missam conventualem festis dumtaxat diebus? 323
IX. Quid censendum de Episcopi decreto, quo tollens consuetudinem non cantandi missam conventualem nisi diebus festis, sub censuris et aliis pœnis statueret dictam missam a capitulo quotidie cantari? 325
X. Quid de hodiernis capitulis Galliæ, quæ missam conventualem quotidie non cantant, vel non omnes missas conventuales pro eodem die a rubrica præscriptas? 325
XI. An canonici teneantur inservire pro diacono et subdiacono Dignitatibus et earum coadjutoribus? Et an vice versa? 326
XII. Sexta et nona recitanda est in choro post missam conventualem, neque satisfit obligationi si recitentur tempore missæ conventualis.. 327
CAPUT IV. Obligatio residendi, et de vacationibus a jure concessis 327
§ 1. Quænam sit residendi lex 327
§ 2. De pœnis contra canonicos non residentes, et quomodo in eis infligendis procedendum 331
CAPUT V. Obligatio emittendi professionem fidei 334
§ 1. Exponitur jus commune 334
§ 2. An in statu præsenti ecclesiarum Galliæ urgeat prædicta obligatio., 336
CAPUT VI. Obligatio assistendi capituli deliberationibus, et varia munia acceptandi 337
CAPUT VII. Obligatio interessendi concionibus adventus et quadragesimæ.. 339
PARS QUARTA. Quid possit capitulum, seu de ipsius juribus et prærogativis 340
CAPUT I. Delineatur antiqua capitulorum potestas, inde paulatim ad certos vigentis nunc disciplinæ limites redacta 340

Digitized by Google

CAPUT II. De jure quod habet capitulum ut Episcopus requirat ipsius consilium 341
§ 1. De jure communi tenetur Episcopus in pluribus consilium capituli requirere 344
§ 2. Utrum per consuetudinem eximi possit Episcopus a requirendo capituli consilio 345
§ 3. Quibusnam in casibus de jure communi teneatur Episcopus capituli consilium requirere 345
Propositio 1ª. Tanquam certa admittenda est regula generalis, debere Episcopum in omnibus arduis negotiis consilium capituli exquirere : at simul certum est dari posse consuetudinem quæ Episcopum a tali regula, ex parte saltem, eximat 346
Propositio 2ª. Dantur speciales casus in quibus jura expresse decernunt requirendum esse ab Episcopo consilium capituli : ast etiam in his casibus potest Episcopus a tali obligatione per consuetudinem contrariam legitime præscriptam eximi 346
Propositio 3ª. Non videtur valida consuetudo, etiam quadragenaria, nunquam et in nullis rebus capituli consilium expostulandi 348
§ 4. An in statu præsenti ecclesiarum Galliæ teneantur Episcopi capitulorum consilium requirere 349
§ 5. Quando Episcopus tenetur capituli consilium requirere, an teneatur etiam illud sequi 351
CAPUT III. De jure capituli ut requiratur ipsius consensus 351
§ 1. In quibus generatim requiratur consensus capituli 351
§ 2. De requisito consensu capituli pro alienatione rerum ecclesiæ 353
§ 3. An et qualiter de jure communi requiratur consensus capituli ad erectionem novæ parochiæ, canonicatus, vel dignitatis, et ad concedendam alicui monasterio ecclesiam parochialem 358
§ 4. In exigendo subsidio caritativo indiget Episcopus consensu capituli .. 359
§ 5. An requiratur consensus capituli ad unienda vel disjungenda beneficia, et an ad ipsa supprimenda? 359
§ 6. An requiratur consensus capituli ut Episcopus possit punire subditorum excessus 362
§ 7. Necessitas consensus capituli in constituendis examinatoribus prosynodalibus 369
§ 8. Qualis esse debeat capituli consensus quando requiritur 369
CAPUT IV. De jure capituli condendi statuta 370
§ 1. Præmittuntur variæ auctoritates 370
I. Insignis glossæ textus qui per communem doctorum sententiam et Curiæ Romanæ praxim transiit in regulam juris 370
II. Sacræ Rotæ Romanæ decisiones variæ 371
III. Sacra Congregatio concilii, et concilium Romanum sub Benedicto XIII 374
IV. Doctrinæ Suaresii analysis 376
V. Citantur nonnulli alii doctores 377
§ 2. Determinatur jus commune circa potestatem legislativam capituli .. 386
Propositio 1ª. Capitulum potest statuta aliqua sibi condere 386
Propositio 2ª. Capitulum potest aliqua statuta sibi condere absque Episcopi auctoritate aut consensu 387
Propositio 3ª. Capitulum potest absque Episcopi consensu statuere ge

Digitized by Google

neratim circa ea quæ nec statum generalem ecclesiæ, nec ipsum Episcopum aut ipsius jura concernunt..... 387
Propositio 4ª. Potest capitulum etiam pœnalia statuta condere, modo pœnæ eæ sint quæ non excederent jurisdictionem mere œconomicam seu improprie dictam..... 388
Propositio 5ª. Licet Episcopus statutis a capitulo conditis contradicere possit, non tamen potest contradicere ex alio titulo quam quod capitulum excesserit potestatem ipsi a jure communi concessam..... 389
Propositio 6ª. Potest capitulum, inconsulto Episcopo, statuere etiam circa ardua et statum ecclesiæ et jura Episcopi tangentia : sed nulla et irrita remanent talia statuta donec accesserit consensus Episcopi, saltem tacitus, et saltem ex longa tolerantia suppositus..... 389
Propositio 7ª. Regimen et administratio ecclesiæ cathedralis pertinet simul ad Episcopum et ad capitulum : unde et ad utrumque pertinet statuta de his condere..... 390
Propositio 8ª. Circa regimen et administrationem ecclesiæ cathedralis, nec capitulum sine consensu Episcopi, nec Episcopus sine consensu capituli, potest valide statuere, aut jam mutuo assensu stabilita mutare..... 391
Propositio 9ª. Statim ac erectum fuit aliquod capitulum, ad ipsum de jure communi pertinet sibi statuta condere..... 391
Propositio 10ª. Ad eosdem pertinet statutorum correctio et mutatio, ad quos pertinuit de jure communi confectio..... 392
Propositio 11ª. Videtur potestatem condendi statuta quæ capitulis competit esse jurisdictionis proprie dictæ, licet ad leviora quædam restrictæ..... 392
Propositio 12ª. Statuta a solo capitulo legitime confecta, et a fortiori si ab Episcopo vel a Sede Apostolica fuerint approbata, obligant singulos capitulares, etiam successores eorum qui statutum condiderunt. 392
Propositio 13ª. Capitulum potest statutorum suorum transgressores punire..... 393
§ 3. Quodnam jus particulare admittendum sit in ecclesiis Galliæ a tempore concordati anni 1801..... 394
1° Colliguntur textus ex quibus determinari debet jus particulare ecclesiarum Galliæ quoad capitula..... 394
2° Determinatur jus particulare ecclesiarum Galliæ quoad capitula.... 397
Propositio 1ª. In ecclesiis erectis anno 1802, decretum Cardinalis Capraræ contulit Episcopis primofuturis potestatem statuta capituli absque ullo ejusdem capituli interventu condendi; Episcopis vero successoribus potestatem ea statuta mutandi, requisito prius capituli consilio..... 397
Propositio 2ª. Quod decrevit Cardinalis Caprara de successoribus primorum Episcoporum videtur intelligendum de successoribus proximis, non autem de successoribus in perpetuum..... 398
Propositio 3ª. In ecclesiis anno 1822 erectis omne jus condendorum statutorum pro capitulis earumdem ecclesiarum Episcopis a Sancta Sede commissum est..... 399
Propositio 4ª. In ecclesiis anno 1822 erectis statuta capitulorum supprimi, augeri et mutari nequeunt nisi juxta jus commune..... 400
Propositio 5ª. Ergo jus particulare quoad capitula in Galliæ ecclesiis

Digitized by Google

fuit transitorium seu ad tempus, cum primis nempe novarum ecclesiarum Episcopis aut eorum proximis successoribus extinguendum et extinctum 400
CAPUT V. De jure capituli quoad synodum et synodalia statuta..... 400
CAPUT VI. Potestas capituli quoad pœnalia..... 405
CAPUT VII. De jure capitulis proprio sese congregandi absque licentia Episcopi, et quo casu exceptionali idem jus aliis de clero competat..... 408
§ 1. An capitula jus habeant sese congregandi absque licentia Episcopi? 409
§ 2. Reliqui de clero regulariter non habent jus sese congregandi absque licentia Episcopi..... 413
§ 3. Casus exceptionalis quo alii de clero præter capitulum possunt sese congregare sine licentia Episcopi..... 415
CAPUT VIII. Jus administrativum capituli circa bona ad beneficiatos seu capellanos cathedralis spectantia 416
CAPUT IX. De jure et officio capituli admonendi Episcopum si quando forte a recto tramite aberraret..... 417
§ 1. Quomodo juxta doctrinam catholicam procedere possit et debeat correctio ab inferiori ad superiorem 417
§ 2. Quid particulare capitulo incumbat quoad officium caritativæ admonitionis erga Episcopum..... 423
CAPUT X. Jus capituli quoad seminarium..... 423
§ 1. Legis Tridentinæ textus expenditur..... 424
§ 2. De commissione deputatorum pro administratione spirituali seminarii..... 427
I. Electio duorum deputatorum pro administratione spirituali ad solum Episcopum pertinet..... 427
II. Duo deputati pro administratione spirituali, statim ac electi fuerunt ab Episcopo, perpetui sunt, et non ad libitum Episcopi revocabiles... 427
III. Omnino tenetur Episcopus de jure communi, commissionis pro administratione spirituali consilium requirere in iis quæ ad hanc commissionem spectant..... 428
IV. Episcopus eorum consilium sequi non tenetur..... 429
V. Quænam pertineant ad commissionem pro administratione spirituali institutam?..... 430
VI. Absentes a choro ad obeundum munus illud non privantur distributionibus..... 433
§ 3. De commissione deputatorum pro administratione temporali seminarii..... 433
I. Ad quos pertineat electio deputatorum pro administratione temporali seminarii?..... 433
II. Semel electi, sunt inamovibiles..... 435
III. Ita tenetur Episcopus requirere consilium hujus commissionis, ut acta absque hoc consilio sint irrita..... 436
IV. Episcopus non tenetur sequi consilium deputatorum pro administratione temporali seminarii 437
V. Determinari possunt materiæ hanc commissionem spectantes hoc modo : excepta exactione taxæ, Episcopus tenetur illius consilium requirere in tota administratione temporali seminarii, etiam in deputandis rectore et officialibus, et in recipienda ratione administrationis quotannis reddenda 437

Digitized by Google

VI. Officium dictæ commissionis extenditur ad omnia diœcesis seminaria..... 440
§ 4. De commissione deputatorum pro reddenda ratione administrationis seminarii..... 441
§ 5. Quid evadat jus capituli quoad seminaria, quando eorum gubernatio ordinibus vel Congregationibus religiosis committitur..... 443
§ 6. An in statu præsenti ecclesiarum Galliæ admittendum sit prædictum jus capitulorum circa seminaria..... 448
§ 7. Praxis administrandi cum prædictis commissionibus seminarii a sancto Carolo Borromæo statuta..... 451
CAPUT XI. Utrum capitulum jus habeat exigendi aliquid solvi a noviter receptis?..... 452
CAPUT XII. Prærogativæ canonicorum quoad habitum..... 453
§ 1. Insignia dignitatem super alios de clero denotantia semper habuisse videntur canonici..... 454
§ 2. De canonicorum præcipuis insignibus brevis notio..... 456
§ 3. De necessario Sedis Apostolicæ indulto ut canonici insignibus uti, aut illa mutare possint..... 459
§ 4. Canonici extra propriam ecclesiam concionantes, aliamve sacram functionem, uti singuli peragentes, nequeunt insignia canonicalia induere. — Et quid sentiendum de contraria Galliæ praxi..... 460
CAPUT XIII. Prærogativæ quoad præcedentiam..... 464
§ 1. Regula sedendi et præcedendi inter eos qui sunt de capitulo..... 465
§ 2. De præcedentia relative ad vicarium generalem Episcopi..... 470
§ 3. De præcedentia relative ad vicarium capitularem..... 473
§ 4. De præcedentia quoad synodum..... 473
§ 5. De præcedentia relative ad reliquos qui non sunt de capitulo..... 474
PARS QUINTA. De capitulo, sede vacante..... 477
Sectio I. Ad quem et quomodo, sede vacante, devolvatur diœcesim regendi potestas..... 477
CAPUT I. Quotuplici modo sedes vacet..... 477
CAPUT II. An jurisdictio quam habet capitulum, sede vacante, tunc tantum incipiat in capitulo existere quando moritur Episcopus, an vero jam antea habitualiter in capitulo existens incipiat solummodo in illo consolidari et transire ad actum seu exercitium..... 480
CAPUT III. Certum est, sede vacante, jus administrandæ diœcesis devolvi ad capitulum..... 481
CAPUT IV. A quo tempore jurisdictio Episcopalis transeat in capitulum; a quo tempore capitulo liceat illam exercere, et a quo tempore currere incipiant octo dies ad deputandum vicarium capitularem..... 483
CAPUT V. Quomodo capitulum possit diœcesim administrare eo tempore quo ad ipsum pertinet jurisdictionis exercitium..... 486
CAPUT VI. A tempore Tridentini concilii capitulum non potest jurisdictionem ultra octo dies per se ipsum exercere, sed ad illam exercendam tenetur vicarium deputare..... 486
CAPUT VII. An hodie adhuc urgeat præceptum Tridentinum deputandi œconomum pro temporalium bonorum administratione?..... 488
CAPUT VIII. An capitulum plures possit deputare vicarios?..... 489
§ 1. Res fuit aliquatenus inter auctores controversa..... 489

Digitized by Google

§ 2. Omnino tenendum est unum tantum eligi posse vicarium capitularem, excepto casu consuetudinis contrariæ legitime præscriptæ..... 490
§ 3. Quænam debeat esse consuetudo ut liceat capitulo plures deputare vicarios..... 495
§ 4. Quando, extra casum legitimæ consuetudinis, capitulum plures eligit vicarios capitulares, electio non est tantum illicita, nec tantum invalida quoad cæteros præter primum nominatum, sed est omnino irrita, ita ut tunc electio ad metropolitanum devolvatur..... 495
§ 5. An hodie in Gallia licite ac valide plures vicarii capitulares deputari valeant..... 497
Propositio 1ª. Plures vicarios capitulares deputandi praxis, nisi a tempore concordati anni 1802 legitime præscripserit, censenda non est licita nec valida..... 497
Propositio 2ª. Dicta praxis plures vicarios capitulares deputandi, non videtur a tempore concordati contra jus commune legitime præscripsisse. 497
Propositio 3ª. Dictam capitulorum Galliæ praxim plures vicarios capitulares deputandi legitimam non esse, colligitur ex recenti decisione Sacræ Congregationis concilii..... 499
Propositio 4ª. Legitimam esse dictam capitulorum Galliæ plures vicarios capitulares deputandi praxim, non videtur peremptorie colligi ex eo quod decem concilia provincialia, recens in Galliis celebrata, legitimam eam declaraverint, nec correcta fuerit ejusmodi declaratio a Romanis revisoribus..... 500
§ 6. Quando uniti fuere æque principaliter duo episcopatus, unumquodque capitulum cathedrale debet suum deputare vicarium, qui in ea tantum diœcesi in qua eligitur jurisdictionem habet..... 504
CAPUT IX. Capitulum in deputando vicario nullam potest sibi jurisdictionem reservare..... 504
CAPUT X. Vicarius capitularis non potest deputari ad certum tempus, sed deputari debet pro toto vacationis tempore..... 510
CAPUT XI. An vicarius necessario debeat esse doctor et quidem in jure canonico..... 512
CAPUT XII. An vicarius capitularis debeat necessario assumi de gremio capituli..... 520
CAPUT XIII. An in vicarium capitularem eligi possit parochus..... 525
CAPUT XIV. Quænam ætas requiratur in vicario capitulari, et quinam ordo sacer..... 528
CAPUT XV. Ad quem devolvatur deputatio vicarii capitularis tum in casu non factæ electionis a capitulo intra debitum tempus, tum in casu nulliter factæ, et quale sit jus illius ad quem fit devolutio..... 529
§ 1. Casus electionis non factæ intra debitum tempus..... 529
§ 2. Casus electionis nulliter factæ..... 530
§ 3. Casus appellationis interjectæ a capitulo contra deputationem vicarii factam a Metropolitano..... 533
§ 4. Quænam requirantur qualitates in vicario quem deputat Metropolitanus ex jure ad se devoluto..... 533
§ 5. Quid si moriatur vicarius a Metropolitano ex jure ad ipsum devoluto constitutus..... 533
CAPUT XVI. Quid de collegiatis, vacante sede sui Prælati, jurisdictionem quasi episcopalem habentis?..... 534

Digitized by Google

§ 1. Mortuo Prælato inferiori, jurisdictionem quasi episcopalem habente, jurisdictio transit ad capitulum collegiale..... 534
§ 2. An capitulum collegiatæ, mortuo Prælato, jurisdictionem quasi episcopalem habente, possit jurisdictionem per se ipsum exercere; an vero teneatur, sicut capitulum cathedrale, vicarium infra octo dies deputare? 536
CAPUT XVII. Quomodo a capitulo peragi debeat electio ut sit legitima?... 536
§ 1. An electio necessario facienda sit per secreta suffragia?..... 536
§ 2. An numerandum sit votum quod sibi ipsi aliquis daret..... 538
§ 3. Ad quos pertineat vicarium capitularem eligere 539
§ 4. Electio vicarii capitularis non spectat ad canonicos uti singulos, sed ad capitulum; unde ad nihil inserviunt suffragia extracapitulariter data, quantumvis authentica et per litteras patentes firmata..... 543
§ 5. An irrita evadat electio si quis idoneus rejectus fuerit a numero concurrentium 544
§ 6. Quando non remanent nisi unus vel duo capitulares jus habentes suffragii, eo quod cæteri vel mortui sunt, vel per censuras voce activa privati sunt, vel alio modo impediuntur, an electio per illum unum aut per illos paucissimos facta valeat?..... 544
§ 7. Quatenus vocandi sint absentes, et an suffragium dare valeant per procuratorem. — Et an in scriptis..... 545
§ 8. Quinam, a quo, et quomodo vocandi electores, et quinam sufficiat votorum numerus (*remissive*) 547
§ 9. An facta electione, vicarius capitularis jurisdictionem exercere possit ante litteras patentes confectas eique traditas..... 547
Sectio II. Quomodo sese habeant ad invicem capitulum et vicarius capitularis quoad potestatem..... 548
CAPUT I. Exponitur principium ex quo determinari queat capituli et vicarii capitularis in invicem potestas..... 548
CAPUT II. Potestas vicarii in capitulum est ipsamet potestas ordinaria Episcopi, qualis primo transierat in capitulum, et quæ tota postea vicario confertur..... 549
CAPUT III. Consectaria quæ ex duobus præmissis capitibus fluunt..... 550
I. Vicarius capitularis non est vicarius capituli, sed Episcopi..... 550
II. Vicarius capitularis non potest a capitulo revocari 551
III. Vicarius capitularis non tenetur rationem suæ administrationis reddere capitulo..... 552
IV. Non potest capitulum cognoscere de criminibus quibus accusaretur vicarius capitularis, nec eum judicare aut etiam syndicare..... 552
V. In nullo casu vicarius capitularis indiget mandato speciali capituli.. 552
VI. Non potest capitulum constituere officiales quibus teneatur uti vicarius capitularis et quos removere nequeat..... 552
Sectio III. Quænam sit extensio potestatis tum capituli, tum vicarii capitularis, vacante sede; et quomodo expiret illa potestas..... 553
CAPUT I. Jurisdictio seu potestas quam habet capitulum ante vicarii capitularis electionem, eadem omnino est ac jurisdictio quæ electo vicario capitulari competit..... 553
CAPUT II. Pro regula communiter admittitur totam jurisdictionem ordinariam Episcopi, præter illa quæ a jure communi reperiuntur excepta, ad capitulum et postea ad vicarium capitularem transire..... 554

Digitized by Google

CAPUT III. Quænam jurisdictionis species ad capitulum transeant, quænam non transeant..... 556
I. An capitulum succedat Episcopo tam in jurisdictione voluntaria quam necessaria?..... 556
II. An capitulum succedat in jurisdictionalibus quæ Episcopo competunt ex privilegio aut ex aliquo alio speciali jure?..... 557
III. An capitulum succedat in competentibus Episcopo ex consuetudine?..... 557
IV. An capitulum succedat in jurisdictione delegata quam possidebat Episcopus?..... 557
V. An et quomodo capitulum succedat in jurisdictionalibus quæ sunt ordinis Episcopalis?..... 560
CAPUT IV. Jurisdictio capituli, sede vacante, expenditur in particulari circa varia objecta..... 561
§ 1. Ad capitulum non transeunt quæ competunt Episcopo ratione dignitatis Episcopalis..... 561
§ 2. An, sede vacante, capitulum aut vicarius capitularis possint condere statuta, seu constitutiones pro tota diœcesi..... 562
§ 3. An possit de criminibus inquirere et cognoscere, ac ea punire..... 564
§ 4. An capitulum aut vicarius capitularis possit, sede vacante, syndicare tam suos quam defuncti Episcopi officiales..... 565
§ 5. Quænam sit capituli, aut vicarii capitularis, potestas in censuris ferendis..... 566
§ 6. Quid possit quoad dispensationes..... 566
§ 7. An possit concedere indulgentias..... 567
§ 8. Quid possit quoad approbationem confessariis dandam vel retrahendam..... 568
§ 9. An possit causas arduas et in specie matrimoniales cognoscere et expedire..... 568
§ 10. De potestate capituli et vicarii capitularis, sede vacante, quoad concedendas litteras testimoniales et dimissorias ad suscipiendos ordines... 569
§ 11. Potest diœcesim visitare et quonam ritu id fieri debeat..... 573
§ 12. An synodum diœcesanam celebrare?..... 578
CAPUT V. De potestate capituli, sede vacante, in materia beneficiaria.... 580
§ 1. Non potest conferre beneficia quorum collatio pertinebat ad solum Episcopum, et cuinam reservetur hæc collatio..... 580
§ 2. Ad capitulum pertinet, sede vacante, collatio beneficiorum, quando, ante vacationem, illam habebat simultanee cum Episcopo..... 581
§ 3. An et quomodo possit vicarius capitularis deputare vicarium seu œconomum qui beneficia vacantia administret?..... 582
§ 4. Capitulum sive vicarius capitularis potest præsentatos ad beneficia instituere et electos confirmare..... 584
§ 5. Quid possit quoad beneficia parochialia per concursum conferenda. — Celebris declaratio modum concursus faciendi determinans..... 585
CAPUT VI. Quomodo expiret potestas capituli et vicarii capitularis..... 589
§ 1. An expiret antequam novus Episcopus ostenderit capitulo litteras provisionis Apostolicæ?..... 589
§ 2. An nominatus ad episcopatum ab aliquo Gubernio juxta concordatum hujus Gubernii cum Sancta Sede, possit diœcesim administrare ante confirmationem Apostolicam?..... 591

Digitized by Google

An idem possit in vicarium capitularem eligi? 591
An consuetudo prædicta peragendi, aliquid valere censenda sit? (Remissive ad tractatum de Episcopo.) 591
§ 3. Quomodo capitulum et vicarius capitularis teneantur novo Episcopo rationem reddere administrationis suæ 592
Epilogus 594
Appendix quasdam utiliores formulas exhibens 598
I. Formula deputationis vicarii capitularis 598
II. Quomodo aptari posse videatur præcedens formula ad præsentem statum ecclesiarum Galliæ? 599
III. Formula erectionis canonicatus 600
IV. Formula erigendæ præbendæ theologalis 602
V. Quomodo præcedens formula aptari posse videatur Galliæ 603
VI. Formula erigendæ præbendæ pœnitentialis 603
VII. Formula conferendi canonicatus cathedralis qui vacat per obitum ... 604
VIII. Formula conferendæ præbendæ collegiatæ 606
IX. Collatio beneficii ad capitulum cathedrale spectantis 606
X. Instrumentum installationis canonici 607
XI. Invitatio capituli ad concilium provinciale 608
XII. Procuratio a capitulo facta deputatis ad synodum provincialem ... 609
XIII. Formula ad requirendum consilium capituli quoad decreta synodalia 609
XIV. Litteræ commendatitiæ pro canonico 610
XV. Formula suspensionis contra vicarium capitularem qui a novo Episcopo reperitur reus excessuum in administranda diœcesi, sede vacante. 610
XVI. Notificatio Episcopi de syndicatu habendo circa administrationem vicarii capitularis 611
XVII. Sententia declaratoria contra vicarium capitularem qui in visitanda diœcesi exegit sibi solvi indebita 611
XVIII. Sententia suspensionis ad tempus contra canonicum choro non debito modo assistentem 612

FINIS INDICIS.

Corbeil. — Typogr. et stér. de Crété.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google